


A very faint, large watermark-like illustration occupies the background of the page. It depicts a classical building's facade, likely a temple or a grand residence, featuring multiple columns and architectural details. The image is rendered in a light gray or beige tone, blending with the paper's texture.

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/justifontaninifo00font_0





TIBRI
Mugnanum
Attilianum

Polimartium

Kia

Millaria tria

Iouium

3

2

1

Palatiolum

Bassanum

Bassanellum

Rivus

Tractus
Touij

Pinna

Balneolum

Gallesium

Molarum

HORTA

C. Leonis

Pons
Augustus

Rivus Puna

Malleatum

TIBRI
STRIES

C. Bauche

Ba.
C.S.
Viti
Pars

Agri Narniensis

C.S.Lib.

Agri Amerini

Orciculi

Nar. f.


Montorium

AGER HORTANVS
IN TVSCIA
SUBVRBICARIA

LIBERIS

INAR

Reffuge



JUSTI FONTANINI
FORO JULIENSIS

D E

ANTIQUITATIBUS
HORTAE
COLONIAE. ETRUSCORUM

LIBRI. DUO

ACCEDUNT

Acta vetera, inter quae Decretum sincerum Gelasii I.
ex insigni codice Vaticano.



R O M A E

Apud FRANCISCUM GONZAGAM in via Lata.

M DCC VIII.

P R A E S I D U M P E R M I S S U .

Quicquid sub terra est in apricum proferet aetas
Horat. lib. i. epist. 6.

FERDINANDO N U P T I O ARCHIEPISCOPO. NICAENO VIRO. ILLUSTRISSIMO. ET. REVERENDISSIMO

JUSTUS. FONTANINUS.



ORTANIS Antiquitibus , temporum calamitate & majorum incuria laceris atque dispersis , te auspice , medicas manus admovevi , FERDINANDE NUPTI , vir illustrissime , easque magno quasi naufragio superstites tabulas in unum congeSSI ,
a ij ut

ut Coloniae Augustae , olim in
Tuscia suburbicaria florentissimae ,
imaginem quandam pro virili expres-
sam , tibi uni primum , deinde erudi-
to orbi spectandam proponerem . Ve-
reor tamen , ne apud sapientes viros
inconsultus appaream , utpote qui
in retegenda clarissimae urbis facie
haud satis pro dignitate animo repu-
taverim quantum recentior ejus am-
plitudo priscae illi , omni licet lau-
dum genere ornatissimae , te uno ci-
ve antecellat . Tu enim in Urbe re-
rum domina quatuor Summis Ponti-
ficibus diurna rerum experientia
probatus , praecipuisque muneribus
subeundis adhibitus , universae Au-
lae Romanae , ceterarum omnium
emunctissimae , oculos in te conver-
fos , nullis externis opibus subnixus
ita sustinuisti , ut ad singula , quae
tuae prudentiae iidem optimi Ponti-
fices incumbere voluerunt , natus ,

& a quodam veluti numine factus,
omnium consensu credereris. Quare,
praestantissime FERDINANDE, te per
varios eosque arduos munera gra-
dus supremo nutu traductum, ut in-
de patefieret animi tui magnitudo
mira quadam virtute munita, omnes
non immerito existimant. Dictu vero
difficile est quantum ista morum tuo-
rum gravitas, versatile ad omnia in-
genium & singularis humanitas om-
nes devinxerint, usque eo sane, ut
plurimi occurrant, qui certatim studia
omnia se tibi debere fateantur: inter-
quos ob tua in me merita primas jure
mihi deferri hic lubens ostenderem,
nisi declinanda esset suspicio, mul-
tiplices laudes tuas privatis officiis
meis potius fore adscribendas, quam
publicae famae, in cuius ore versan-
tur. Has equidem necesse non habeo
fusiori stilo persequi, tum quod splen-
dore ipsae suo sine aliena oratione sa-
tis

tis eniteant , tum ne eas enarrando
videar pudorem tuum onerare vo-
luisse . Illud tamen silentio neuti-
quam est praetereundum , immo ve-
ro & omnium ore celebrandum ma-
gnopere est , quod ipse non raro su-
spexi ; te nimirum inter severiora
divini humanique juris studia , in
quorum sanctiori larario justitiae &
religioni diu noctuque litare consue-
visti , saepenumero aevi retroacti il-
lustres fastos , tanquam sacros Tripo-
das consulere : unde ex mentis tuae
hinc instructae ditissimo aerario ni-
hil non luculentum , perfectum , com-
mendatumque prodire omnes piae-
dicant , & palam compertum est . In
his vero tot tantaque praecelsae indo-
lis tuae specimina protulisti , doctri-
na , integritate , animoque in omnes ef-
fuso , ut CLEMENS XI . Pont . Max .
insignium virorum acerrimus judex
ad honoris culmen amplissimo ordini

proximum , te pro ea , qua fulges modestia , de hoc minime cogitantem , evexerit. Quae quum ita sint, ut novis ornamentorum accessionibus quam-primum floreas & tuorum meritorum cumulus in excelsō loco jam positus , & vota publica flagitare non cessant. Neque profecto is , qui rerum potitur , sapientia juxta ac auctoritatis fastigio summus , frustra id nos sperare jubet. ROMAE prid. Kal. Februario-rias MDCCVIII.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

*Dominicus de Zaulis Episc. Verulanus
Vicesgerens.*

REverendissimi Patris Paulini Bernardinii Sac. Apost. Pal. Magistri nutu opus , cui titulus : *Justi Fontanini de Antiquitatibus Hortae Coloniae Etruscorum libri duo &c.* magna animi voluptate perlegi : & Cl. Viri studium in eruendis perlustrandisque veteribus monumentis tanta diligentia & accurato labore , mirabar . Sicut vero in reliquis jam summo Litteratorum plausu editis lucubrationibus , quibus multa supplevit , illustravit , & critica virgula notavit , debitam doctrinae & honoris palmarum est promeritus ; ita evulgatis hisce Antiquitatibus , tum nostrae Italiae , tum posteritati maximum emolumentum , quin etiam Auctori amplam gloriae segetem accessuram censeo . Quamobrem cum opus ipsum nulla Fidei Catholicae bonisque moribus adversa contineat , & ex ejus lectione omnigenae eruditionis feracissima , ecclesiasticae historiae & profanae bona plura redundatura sint , feliciter in lucem prodire poterit . Dabam in Collegio Urbano de Propaganda Fide die 29. Januarii 1707.

*Ego Franciscus Dominicus Bencini S. T. D. & Lector
& in eodem Collegio Bibliothecae Praefectus.*

IMPRIMATUR

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Praedicatorum
Sacri Apostolici Palatii Magister .

I N D E X

C A P I T U M

L I B E R . P R I M U S

C A P U T . I

Urbium & populorum origines a magnis viris de-
scriptae. II. Hortae urbis situs & variae appella-
tiones. III. Condita a Pelasgis. IV. Quando Pelasgi
in Etruriam migraverint. Hortae cives contra Acneam
praelati. Tiberis navigabilis juxta Hortam. V. Gens
Hortensia ex eadem urbe deducta. VI. Horta male cum
Ortona confusa. VII. Horta una ex duodecim urbibus
Etruriae, non autem Vcii. VIII. Tres Etruriae a Lu-
cumonibus rectae

pag. i

C A P U T . I I

Horta Colonia militaris ab Augusto deducta. Tem-
plum Martis Ultoris ab eodem erexit. Horta in
Tribu Quirina & Arniensi descripta. II. Octa-
vianus plures in Italia Colonias militares deduxit :
quando Augusli cognomentum adsumpsit. III. Ea-
rundem militarium Coloniarum numerus. IV. Duum-
viratus magni habitus. V. Seviri Augustales non
magistratus, sed sacerdotes fuerunt. A Tiberio insti-
tuti. A sodalibus Augustalibus distincti. Sex tan-
tum. VI. Inter se ordinem servarunt. Pontificatus a
Quinquennalitate diversus

24

C A P U T . I I I

*Domitiani nomen cum titulis ex publicis monumentis
erasum. Nomina item aliorum. II. Liturae Arcuum
Septimii Severi a nonnullis perperam explicatae.
III. Fulvii Plautiani & Plautillae Augustae nomina
in aliquot saxis deleta. IV. Inscriptionis Hortanae
restitutio tentata. V. Perfectissimorum genera &
antiquitas. Capenates Foederati. Quot Pentapoles
in Italia? VI. Curatores Reipublicae. VII. Ordo &
Populus in Colouiiis*

42

C A P U T . I V

*Falisci Etruriae cum aliis male confusi. II. Varia no-
mina & situs Coloniae Faliscorum. III. Fescennium,
& poesis inde dicta. Veiis locus suus adsignatus.
IV. Opidum Faliscorum non est Gallesum, sed Civitas
Castellana. V. Quando interierit. Strabo explicata-
tus. VI. Graciliani & Felicissimae martyrum acta
perpensa. VII. Castrum Amerinum a via Amerina
denominatum. Ameriae antiquitas. Quid Castel-
lum in constitutione Ludovici Pii?*

73

C A P U T . V

*Unica urbs aliquando Colonia & municipium appelle-
lata. II. Aequi Falisci haud diversi ab Etruscorum
Faliscis contra Salmasium. III. Antonii Massae
Hortam in Faliscorum agro statuentis opinio rejecta.
IV. Lacus Vadimonis cum aliis inepite confusus: ejus-
dem situs: male per Josephum Scaligerum locatus in
Umbria, & per Annium a Deo Vadimone denomina-
tus. De eo Plinii junioris testimonium. Res apud
illum*

I N D E X C A P I T U M . xj

- illum patratae . Abrahamus Ortelius contra Lucam Holstenium defensus . V. Carolus Siganus ab Anniano Catone deceptus . Sotion emendatus . Ejusdem lacus singulares virtutes* 93

C A P U T . VI

- Sancti Landi martyris acta examinantur . II. Inscriptiones Herculi sacrae . III. Hercules Somnialis . IV. Hesperides tres cum Hercule in tabula Ortna* 107

C A P U T . VII

- Herculis cultus apud Etruscos fusi ostenditur . As Etruscus a Bernardino Baldo explicatus . II. Draconis Corcyrensis locus perpensus . Asses Etrisci cum Jano & clava . III. Varia de lingua veteri Etrusca . IV. Primaeva origo Etruscorum* 120

C A P U T . VIII

- Evocati Augustorum quinam & unde dicti . II. Tiberinus Pater , Hortae cultus . III. Fluvii ut Dei quare adorati . IV. Fasti consulares correcti . Nomina compendiariis notis signata . V. Officium ab Epistulis . VI. Non Epistola , sed Epistula usque ad sextum saeculum scriptum fuisse probatur contra doctissimos viros* 147

C A P U T . IX

- Feminarum cognomina asserta . Gens Plutia a Plautia diversa . II. Francisci Robortelli sententia de b ij servis*

xij INDEX CAPITUM.

Servis medicis contra Sponium confirmata . III. A Cyato idem ac pincerna . IV. Duplicis generis sepulcra , familiaria & hereditaria . V. Liberti Augustales . VI. Gens Tucia & Catia antiquissimae . Materi pro Matri . Horta in Tribu Arniensi descripta antequam Colonia militaris deduceretur . VII. Liberti hereditariis sepulcris per testamentum honorati 165

LIBER. SECUNDUS

C A P U T . I

Proba Falconia Poetria civis Hortana . Johannes Boccatus perperam fugillatus a Thoma de Simeonibus . II. Eadem cum Anicia Faltonia Proba male confusa , & domo Romana credita . III. Variorum errores castigati . IV. Proba Poetria non Faltonia , sed Falconia appellanda contra Simeonium 189

C A P U T . II

Probæ Falconiae Cento Virgilianus a sancto Hieronymo memoratus . Osidius Geta Medeam Tragoediam Centonibus Virgilianis contexuit . II. Anicia Faltonia Proba a literarum laude neutiquam commendata . Quando Centonem suum Proba conscripserit . III. Ejus nuncupatio perperam Sedulio attributa 203

C A P U T . III

Probæ Cento a Gelasio relatus inter apocrypha . Decreto de libris canoniciis & apocryphis perperam Gelasio abjudicatum . II. De eo variorum sententiae discussæ . III. Quid in Decreto significetur nomine apocry-

INDEX CAPITUM. xiii

cryptorum. Ejusdem vocis originatio. IV. Decretum in antiquis codicibus Gelasio adsignatum, & in Collectionibus expressum. Perperam Hormisdae attributum. V. Paschale carmen Sedulii quando editum & in Decretum Gelasii relatum. VI. Asterius illud emendavit, non primus edidit. Idem Paschale carmen diversum a Paschali opere

211

C A P U T . I V

Proba & ejus Virgiliocento a multis laudantur. Non scripsit Homerocentonem. Lilius Gyraldus & Julius Roscius notati. Scripsit de bellis civilibus. II. Virgiliocentonis diversae editiones & codices manu exarati. III. Errores codicis Padolironensis. Casparis Barthii opinio non probata. Locus sancti Hieronymi explicatus. Tres Probae a sanctis Patribus memoratae. IV. Ausonii de Centonibus sententia ab Henrico Stephano castigata. Probae Virgiliocento ab eodem & a Barthio magni factus & emendatus

233

C A P U T . V

Centones unde dicti. II. Homerocentes a veteribus memorati. III. Varia Centonum genera. Potissimi fuerunt in re militari. IV. Quid Centonarii & Dendrophori in inscriptionibus antiquis. V. Patricii Homerocentes Eudocia Imperatrix perfecit. VI. Idem Patricius a Pelagio uiro Patricio diversus. Zonaras & Cedrenus in concordiam redacti

246

C A P U T . VI

Hortae Episcopus sanctus Cassianus Alexandrinus sub Joviano Imperatore. II. Inde transit ad ecclesiam Aedu-

Aeduensem . Errores variorum castigati & sancti Cassiani chronologia restituta . III. Ejus Acta nunquam typis ante hac vulgata 265

C A P U T . VII

Series Episcoporum Hortensium purgata, aucta & variis hinc inde observationibus illustrata . 272

APPENDIX. ACTORUM.

- I. *Acta Elasii I. decretum genuinum de libris recipiendis . Ex codice Vaticano* pag. 317
- II. *Acta S. Cassiani Hortensis, deinde Aeduensis episcopi . Ex codice Sangermanensi* 335
- III. *Alia metro descripta . Ex codice Sangermannensi* 343
- IV. *Acta ejusdem translationis & miraculorum . Ex codice Joliano* 361
- V. *Sermo de S. Cassiani & aliorum tumulatione . Ex codice Sanquintinensi* 370
- VI. *Officium S. Cassiani . Ex Breviario Sanquintinensi* 378
- VII. *Missa ejusdem . Ex Missali Aeduensi* 382
- VIII. IX. *Eiusdem duplex vita . Ex Breviariis Aeduensibus* 383.384
- X. *Gregorii III. epistola ad episcopos Tusciae Langobardorum . Ex codice Vaticano* 385
- IX. *Conradi II. Imperatoris diploma . Ex Regesto Farfensi* 386
- XII. *Henrici III. Imperatoris diploma . Ex eodem Regesto* 390
- XIII. *Notitia publica Berardi Abbatis Farfensis . Ex eodem Regesto* 395
Noti-

I N D E X A C T O R U M . xv

- | | | |
|----------------------|--|--------------|
| xiv. | <i>Notitia privata Gyrardi Comitis . Ex eodem Regesto</i> | 397 |
| xv. | <i>Innocentii III. epistola ad Potestatem Ortanensem . Ex Archivo Vaticano</i> | 399 |
| xvi. | <i>— Alia ejusdem ad Ortanos . Ex eodem Archivo</i> | 400 |
| xvii. | <i>Gregorii IX. Epistola ad Guidonem Ortanum episcopum . Ex eodem Archivo</i> | 402 |
| xviii. | <i>Innocentii IV. processus judicialis inter Ortanum episcopum & Abbatem Saxivivi . Ex eodem Archivo</i> | 403 |
| xix. | <i>Martini IV. electio Ortani episcopi . Ex eodem Archivo</i> | 409 |
| xx. | <i>— Epistola ad Ortanum Capitulum de eadem re . Ex eodem Archivo</i> | 411 |
| xxi. | <i>— Alia ad Communilitatem Ortanam de eadem re . Ex eodem Archivo</i> | 411 |
| xxii. xxiii. xxiv. | <i>Bonifacii VIII. epistolae III. ad Ortanum episcopum . Ex eodem Archivo</i> | 412.413.414 |
| xxv. | <i>Electio Potestatis Ortanensis . Ex Archivo Reatino</i> | 415 |
| xxvi. | <i>Bonifacii IX. epistola ad Ortanum episcopum . Ex Archivo Vaticano</i> | 418 |
| xxvii. xxviii. | <i>— Ejusdem diplomata II. Ortanis . Ex eodem Archivo</i> | 422.423 |
| xxix. | <i>— Aliud Paullo de Juvenatio . Ex eodem Archivo</i> | 424 |
| xxx. | <i>— Epistola ad eundem . Ex eodem Archivo</i> | 426 |
| xxxi. xxxii. | <i>— Epistolae II. ad Berochium Domicellum Ortanum . Ex eodem Archivo</i> | 327.429 |
| xxxiii. xxxiv. xxxv. | <i>— Diplomata III. eidem . Ex eodem Archivo</i> | 429.436.437 |
| xxxvi. | <i>— Aliud Baffanibus . Ex eodem Archivo</i> | 538 |
| | | <i>Aliud</i> |

xvj I N D E X A C T O R U M .


- xxxvii. — *Aliud Ortanis . Ex eodem Archivo* 439
 xxxviii. — *Aliud Johanello & Andreae Thomacellis . Ex eodem Archivo* 441
 xxxix. — *Aliud Vicarello Domicello Ortano . Ex eodem Archivo* 453
 xl. *Paulli Ortani episcopi diploma . Ex veteri protocollo* 454
 xli.xlii. *Jacobi Insulani Cardinalis diplomata II. Ortanis . Ex editione Ortana* 455.461
 xlvi. *Eugenii IV. conjunctio Ortani & Castellanensis episcopatum . Ex Ughello* 465
 xliv.xlv. *Francisci Condulmerii Cardinalis epistolae II. ad Ortanos . Ex Archivo Vaticano* 498
 xlvi. *Nicolai V. diploma Ortanis . Ex editione Ortana* 470
 xlvii. *Innocentii VIII. confirmatio Statutorum urbis Ortanae . Ex Archivo Vaticano* 472
 xlviii. — *Ejusdem epistola ad Angelum Pechinolium Ortanum episcopum . Ex eodem Archivo* 473
 xlxi. *Angeli Pechinolii Ortani episcopi literae ad Innocentium VIII. de sua legatione ad Matthiam Hungariae Regem . Ex eodem Archivo* 474
 l.li.lvi. *Leonis X. diplomata III. Ortanis . Ex editione Ortana* 491
 liii. *Clementis VII. literae Vicario Episcopi Ortani . Ex Archivo Vaticano* 495

V A R I I T Y P I

<i>Urbs Hortana</i>	3
<i>Pons Hortanus</i>	32
<i>Tabula Herculis & Hesperidum</i>	117
<i>Nummi Etrusci</i>	125.126.127.138.139.140
<i>Imago pueri Etrusci</i>	146
<i>Nummus Alberici II. Comitis Tusculani</i>	289
	PRAE-

P R A E F A T I O

LECTORI BENEVOLO.



B hinc septennium & quod excurrit hae nostrae Antiquitates Hortanae absolutae jam fuerant, ut nonnullis viris doctissimis, qui eas legerunt, atque pro sua humanitate in suis scriptis etiam laudarunt, vulgata res est: quod justis de caussis dictum volumus: haud sane ad ja^ctantium. non enim ignoramus quanti fint facienda observationes, quae aliud propemodum cogitanti exciderunt: quasque perpetuo silentio obruissemus, nisi secus illis visum fuisset, quibus lubenter non obsequi religio est. Quare eas in unum volumen congeftas atque hinc inde auctas edere tandem decrevimus in duos libros distinctas. Prior complectitur Hortanas Antiquitates pro modulo nostro expli-

catas ab origine urbis secundum eorum seriem , quae ad nostram notitiam venerunt . Raptim quoque , ut res exigit , semel atque iterum ad proximas urbes excurrimus , puta ad Faliscos & Vejos : de quorum situ quoniam variae , nec nisi vulgo probatae opiniones circumferuntur , ab affectu opidanorum vel studio partium excogitatae ; nos ab hac labe immunes , qui singulorum caussas procul habemus , veriorem , ut quidem credimus , & eruditis acceptiorem iis de urbibus sententiam proferre haud sumus veriti , Alter vero liber constat dissertatione de Poetria insigni Proba Falconia Hortana , quam hactenus viri celeberrimi *Faltoniam* & *Romanam* dixerunt : ubi etiam de ejus scriptis fusi agitur , & de Decreto Gelasiano , in quo ejusdem Centones sub nota apocryphorum memorantur . Haec omnia subinde clauduntur exercitatione chronologica de Hortanis episcopis ; & veterum demum actorum Appendix illuc spectantium : inter quae eminet fin-

cera editio ejusdem Decreti , quod **Gelasio I.** Pontifici Maximo suffragiis criticorum deinceps adjudicatum iri vix dubitamus . Hoc autem loco iis , quae diximus pag. 222. & 333. de vetustis codicibus , in quibus Decretum illud Gelasium auctorem praefert , addere lubet & alium codicem antiquissimum literis Saxonice , servatum Neapoli in bibliotheca coenobii sancti Johannis de Carbonaria , in quo exstat *Gelasii Decretale* , ut olim adnotavit pag. 111. sui Itineris Italici Johannes Mabillo-nius , nuper eruditorum & proborum omnium dolore nobis sublatus . Exilem vero conatum nostrum illos haud omnino aspernaturos confidimus , qui non ignorant quanti intersit rei literariae , antiquarum urbium lipsana omnia evulgari ; dum illis historia sacra & profana , res geographica & chronologica illustrantur : quae studia utinam eo pacto majoribus nostris arrisissent ac nostrae aetatis clarissimis vi-ris arrident . non enim doloremus de-

perditos & in aedificiorum fundamen-
tis jaciendis dissectos atque sepultos
quamplurimos literatos lapides , simu-
lakra & nummos fusos , inscriptasque
membranas in varios usus praepostere
collocatas (non tamen omnes , sicut
Pyrrhonaei quidam Thrasones perfri-
cta fronte blaterare non dubitant , qui-
bus jure maximo sua verba redduntur)
quarum rerum subsidio doctrina tem-
porum mirum quantum augeri potuif-
set . Nihilominus accidente potentio-
rum praefidio , quo fane res literaria
magnopere indiget , tantae calamitati
adhuc consuli utcunque posset ubi ce-
lebriorum & vetustiorum urbium Ita-
liae nostrae monumenta a peritis viris ,
qui profecto non defunt , accurate il-
lustrata ederentur . Italica enim Hi-
storia post Graecam omnium est erudi-
tissima & scitu dignissima , utpote quae
universalis Historiae majorem & pree-
stantiorem partem constituit , quemad-
modum viri eximii ex Transalpinis
non inviti agnoscunt , dum nostra-
tium)

tium rerum commentarios undique studiose conquirunt : quae cura praecipue tetigit clari nominis philologum Johannem Georgium Graevium . Hic enim post Romanarum Antiquitatum Scriptores varios in unum corpus digestos , animum etiam converterat ad Antiquitatum Italicarum Scriptores colligendos , ipsis Batavorum typographis animo plane regio stimulos addentibus : raro quidem exemplo , neque , ut nunc res sunt , hic in Italia sperando . Licet autem Graevius id omnino absolvere non potuerit morte praeruptus , absolvendum tamen reliquit studiis Jacobi Perizonii V. C. De his te monitum volui , Lector benevole , ut lucubrationem nostram quantulamcumque aequi bonique consuleres . Interim vale .

επέβαλεν από την πόλη την προστασίαν της
και την επιτήρησην της συνθήκης που έχει
προστατεύσει την πόλη της από την παραβίαση
της από την Κομιστερία. Ο πρωτοβουλία
της πόλης ήταν να δημιουργηθεί ένα συντονιστικό
σώμα που να παρακολουθεί την παραβίαση
της συνθήκης και να προστατεύει την πόλη της.

BLASIUS CARYOPHILUS. V. C.

A D A U C T O R E M.

Α'μφανέοντι τόπον δ' Ορφης, καχ' θέσκελα ἔργα,
Νηὸν κ' ἐνώδη Αμφιτρυωνιάδ',

ΦΟΝΤΑΝΙΝΕ φέρει σοι νῦν κλέος θρονόμηκες
Ιταλίη γλυκερὸν μὲν τὸ λέγχον δ' ἔπος.

Εἰς τε φόως ἀγαρες ΦΟΝΤΑΝΙΝ' ἀφητα ἔργα
Τέκμωρ ἐνδηλον δ' αμφοτέρων ἀρετῆς.

J U S T I . F O N T A N I N I
D E . A N T I Q U I T A T I B U S
H O R T A E
E T R U S C O R U M
L I B E R . P R I M U S

C A P U T . I

S Y N O P S I S

- I. *Urbium & populorum origines a magnis viris descriptae.* II. *Hortae urbis situs & variae appellationes.* III. *Condita a Pelasgis.* IV. *Quando Pelasgi in Etruriam migraverint.* Hortae cives contra Aeneam praeliati. *Tiberis navigabilis juxta Hortam.* V. *Gens Hortensis ex eadem urbe deducta.* VI. *Horta male cum Ortona confusa.* VII. *Horta una ex duodecim urbibus Etruriae, non autem Veii.* VIII. *Tres Etruriae a Lucumonibus rectae.*




RIMAE urbium & populorum origines omni aevo apud omnes gentes tam venerabiles & pene dixerim sacrae fuerunt, ut scriptorum omnium antiquissimus & sanctissimus Moses magnam earum partem divino volumini de mundi creatione inseruerit, & de plurimis insuper egerit Esdras seu quisquis alias

A

in

2 DE . ANTIQUITATIBUS . HORTAE

in narratione eorum , quae praetermisserat Moses . Immo & ceteri auctores , qui longo intervallo sequuti sunt , in eadem vestigia incurrentes id ipsum ob oculos habuerunt , quemadmodum ex Herodoto historiae Graecae parente & ex Thucydide literis & genere nobilissimo appetet . Sane M. Porcius Cato Censorius , ut ad nostros deveniam , vir magnus domi forisque , *ut pote qui tres summas in homine res praestitisse existimatus est , optimus orator , optimus imperator , optimus senator* (ut de eo inquit Plinius libro septimo capite tricesimo septimo) Italicarum urbium origines septem libris complexus est : in quorum fragmentis , quae nobis veteres scriptores servarunt , quaeque a se collecta explicavit Antonius Riccobonus in Commentario de historia , tanta notitia Italiae antiquitatum elucet , ut nemo non doleat , scripta auro & cedro dignissima per temporis injuriam magna rei literariae calamitate aboleri potuisse : quod idem fatum historias etiam Sempronii Asellionis nobis invidit . Haec monumenta a priscis auctoribus laudatissima si nostra aetate superessent pro Catonianis & Sempronianis illis , quae , ut omnes jam norunt , ex officina famosi hominis Annii Viterbiensis prodierunt , perspecta utique haberemus primordia ejus urbis , de qua scribere adgredimur , Hortae scilicet in Etruria mediterranea Coloniæ : neque ejus originem in tanta rerum antiquitate anxio



Hortae conspectus septentrionalis

A. Horta
B. Monest. S. Bernardini
C. Monest. S. Maria Gratiarum
D. Mon. Cappuccinorum
E. Ecclesia S. Laurencij
F. Traiectus Tiberis
G. Rudera portae Augusti
H. Ecclesia S. Marci

anxio labore & studio conjecturarum hinc inde jam exspiscari opus esset, procul abjectis mendaciis & imposturis, quae fraudulentissimo ausu in sui Petri Baccarini de Horta chronicis Hortanis commentus fuit rei literariae pestis Alphonsus Ceccarellus apud Leonem Allatium ad calcem editionis secundae Animadversionum in Antiquitates Etruscas ab Inghiramio vulgatas.

II. Posterioris aevi scriptores Hortam locant in Etruria suburbicaria, patrimonium sancti Petri nunc dicta, & quidem in ipso Ducatu Romano Anastasius in Zacharia: estque in colle trans Tiberim sita ubi recipit Narem fluvium in limite Umbriae ad *quadragesimum* ab Urbe lapidem, ut ait idem Anastasius in Benedicto III. non vero ad *vicesimum quartum*, ut putavit Daniel Papebrochius in tomo altero Maii Bollandiani pag. 154. neque ad *tricesimum quartum*, ut scripsit Michael Antonius Baudrandus in Geographia ordine literarum disposita. *Hortae* quideam vocabulo non unum oppidum appellatum invenio. *Hortae* in Boetica prope Nebrisam meminit Petrus Marsus in Silium Italicum libro tertio: & *Horta* Dertosanae in Catalonia dioeceseos legitur in tomo altero Martii Bollandiani pag. 667. De *Horta* insula Novariensis lacus in Gallia Cisalpina, in quam Berengarius conjectus fuit ab Ottone Imperatore, loquitur Carolus Sigonius in libro sexto

4 DE . ANTIQUITATIBUS . HORTAE

de Regno Italiae . Orta in Aprutio memoratur a Johanne Berardo in Chronico Casauriensi tomo quinto Spicilegii Dacheriani pag.395. At his urbibus nihil omnino est cum nostra hac *Horta*, quae olim vario nomine appellata est. Siquidem a Plinio in libro tertio capite quinto , ubi alphabetico ordine civitates enumerantur septimae regionis Italiae , in qua est Etruria , vocatur *Hortanum* : a Geographo Ravennate libro quarto pag.214. & ab Anastasio in Vigilio , *Hortas* sive *Ortas* : a Paullo Diacono populari nostro in libro quarto capite octavo de Gestis Langobardorum *Horta* , vel, ut alii malunt , *Hortas* : a Johanne Boccatio in capite nonagesimo quinto de claris mulieribus *Orthi* : & ab ejus exscriptore Jacobo Philippo Bergomate capite centesimo & vicesimo septimo libri ejusdem argumenti *Orti* : ab aliis *Horti* & *Orta* ; unde etiam ejus civium diversa appellatio facta est .

III. Hanc eandem urbem non quidem latini nominis , quasi ab *hortorum* amoenitate sic dictam , ut placuit Friderico Taubmanno in notis ad librum septimum Aeneidos ; sed Etruscae vel Graecae appellationis ego facile putarim : nam praeterquamquod de *Horta* Dea uxore Romuli meminit Lilius Gyraldus in syntagmate primo de Djs gentium , cuius templum semper patuisse tradit Plutarchus in Quaestionibus Romanis tomo secundo
ope-

operum editionis Xylandri pag. 275. *Orthe* etiam, five *Orthi* Ορθη opidum in Theffalia memoratur apud Homerum in libro altero Iliados vers. 739. a Strabone in libro nono, a Plinio libro quarto capite nono & ab Eustathio in Homerum pag. 333. a cuius opidi civibus, memoria vetera repetenti mirum forte videri non poterit conditam fuisse. *Ortham* five *Ortam* urbem Etruriae mediterranae atque ob memoriam Thessalicae Orthae patrio nomine appellatam : Pelasgos enim, qui Peloponnesum relinquentes in Hemoniam five Theffaliam migraverunt, Etruriae vel tunc temporis Umbriae oris postea infedisse, eruditis nota & per vulgata res est, de qua fusius agit Romanarum & Graecarum antiquitatum peritissimus scriptor Dionysius libro primo capite undevicesimo editionis Oxoniensis nuperrime adornatae per Johannem Hudsonium, ubi narrat eosdem Pelasgos Thessalia a Deucalione pulsos & per varias regiones jactatos, tandem de Italia petenda cogitasse & consensis navibus, mari Jonio trajecto, ad unum e Padi ostiis nomine Spinetum adplicuisse, urbemque ostio fluminis cognominem condidisse: at illos, qui mediterranea petierant, superatis Italiae montibus pervenisse in Umbrorum agrum Aboriginis finitimum: quae gens cum primis antiqua & ampla & alios multos Italiae agros habitabat. Itaque Umbriae tunc late patenti Pelasgi incubuerunt.

6 DE . ANTIQUITATIBUS . HORTAE

runt . Inde postea rejectos Pelasgos, in Aboriginum terras invasisse tradit Dionysius, qui capite vice-simo sexto testatur postquam res Pelasgorum deficere coeperunt, nihilominus quandam earum partem nomen Pelasgicum utcunque adhuc retinuisse : cui tandem nihil praeter Crotonam opidum Etruriae vetustissimum reliqui mansit . Herodotus in libro primo capite quinquagesimo septimo in hac urbe , quam ipse Κρηνῶνα Crestonem appellat , adhuc suo tempore Pelasgorum linguam obtinuisse auctor est; eandemque a Pelasgis nomen tulisse opinatur Theodorus Ryckius in Dissertatione de primis Italiae colonis capite tertio num .xxi. ad calcem Castigationum Lucae Holstenii ad Stephanum de urbibus , propterea quod in Thessalia , unde illi a Deucalione pulsi erant , ejusdem ferme nominis urbs antiquissima exstiterit: in cujus ipsi memoriam patriae urbis appellationem repetiisse videntur . Sic etiam Pisas vetustissimam Etruriae urbem a Pisaeis , antiqua Peloponnesi gente & ludis Olympicis apud ipsam celebratis ubique notissima , oriundos scribit Geographorum doctissimus & accuratissimus Strabo libro quinto , Plinius libro tertio capite quinto & alii , quorum testimonia congerit saeculi nostri & literarum decus amplissimum Henricus Norisius Cardinalis in Cenotaphiis Pisanis Dissertatione prima capite primo : licet tamen Dionysius tradiderit , Pelasgos jam nobis

nobis superius laudatos, quorum antiquissimam patriam Peloponnesum Ephorus apud Strabonem in libro quinto & Apollodorus in Bibliotheca libro secundo capite primo, *Pelasgiām* appellant, icto cum Aboriginibus foedere, maritimae Etruriae opida incoluisse, partim ab hostibus antea habitata, partim ab ipsis condita, inter quae *Pisa* enumeratur. Haec Dionysii sententia legitimo & vero Catoni perperam adsignatur in spuriis fragmentis falsi Catonis ab Annio confictis. Porro Argivi etiam Etruriae incolae, quorum Rex Hallesus urbem Faleriorum exstruxit, Pelasgi fuerunt ex Strabone libro octavo, necnon & Tyrrheni, ut ex Thucydide & Sophocle ostendit Samuel Bochartus in parte altera Geographiae sacrae sive in Chanaan libro primo capite tricesimo tertio pag. 649. editionis Cadomensis. Gentem vero Pelasgam fuisse errabundam valde & vagam testatur Herodotus in libro primo capite quinquagesimo sexto, ubi vocat eam πολυπλάνητον καρτα, idest *pervagantem maxime*. Id autem calamitati & infelici Pelasgorum fortunae tribuit Dionysius, qui eorum mutationes recenset in libro primo: sed Jacobus Palmerius in libro primo capite nono Graeciae antiquae hanc notam amolens, illos rerum dominos fuisse ostendit, causamque eorundem erroris & peregrinationis putat fuisse πολυπλάνηται & abundantiam juventutis, quam

quam solum natale non capiebat . Hinc plures expeditiones in Graeciae diversas partes & extra Graeciae terminos Pelasgicum nomen ubique gentium celeberrimum reddiderunt : quae sane potissima caufsa multis post saeculis in Italiam & in alias Imperii Romani provincias Gothos & Langobardos ex septentrionali plaga deduxit .

IV . Prima illa Pelasgorum in Italiam migratione ex doctissimo Ryckio facta est periodo Julianae ~~MMMCLXXXVI.~~ ante primam Olympiadem anno ~~DCCLII.~~ ideoque ~~CCCXLIV.~~ ante epocham Troiae captae secundum Eusebii Scaligeriani calculum ad Eratosthenis canones correctum . Et sane Poeta maximus sub ipso Trojano excidio *Hortam* sive *Hortim* hanc nostram rebus florentem facit in libro septimo Aeneidos , ubi copias duce Messapo contra Aeneam pro Turno praeliaturas misisse traditur , quas ipse *Hortinas* appellat vers . 716 .

Nursia & *HORTINAE* *classe*s , *populique Latini* , ubi *classibus* equites significari docet Servius : quanvis ego non videam cur naves quoque hic a Virgilio denotari non potuerint : siquidem Tiberim eo loci , ubi Hortam a septentrione alluit , naves sustinuisse , gravissimi auctores produnt : ex quibus Dionysius in libro tertio capite quadragesimo quarto scribit quod Tiberis *navigiis fluvialibus* *mediocris magnitudinis* *ad ipsos usque fontes* *navigari* quidem potest ; usque ad ipsam vero

Urbem

Urbem magnis marinis onerariis. Livius in libro altero capite tricesimo quarto narrans caritatem annonae & famem, quae Romae grassatae fuerunt anno U. C. cclxi. unde ex Sicilia, Cumis, & Tuscia commeatus deduci oportuit, testatur per Tiberim ex Tuscia, cui postea *annonariae cognomen* indiderunt, frumentum Romam advectum: *ex Tuscis*, ait Livius, *frumentum Tiberi venit: eo sustentata est plebs:* quo quidem naves onustas juxta Hortanam urbem allapsas nemo non videt. Haec mire confirmat Tacitus Annalium libro tertio capite nono ubi iter Pisonis, mortuo Germanico, Romam adventantis describens, prope Narniam in Narem fluvium eum descendisse, atque inde secundo Tiberi Romam usque ad sepulcrum Augusti in campo Martio delatum affirmat: *ab Narnia* (verba sunt Taciti) *vitandaes suspicionis, an quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi devectus, auxit vulgi iras, quia navem tumulo Caesarum adpulerat:* quippe Nar prope Hortam, atque, ut ait Strabo in libro quinto, *supra Oriculos in Tiberim exiens navigabilis scaphis haud magnis.* Sed ubi postea cum Tiberi conflatur, navibus amplioribus sustinendis aptus efficitur. Livius in libro quarto capite decimo tertio sub anno U. C. cccliv. haec habet: *insignis annus hieme gelida ac nivosa fuit, adeo ut viae clausae, Tiberis innavigabilis fuerit.*

quod sane intelligendum est de navigatione Tiberina supra Hortam , ubi amnis facilis est , glacie compressa ; potissimum vero Perusiam & Tuderum versus : quod secus evenit infra Hortam ob violentiam Naris in Tiberim magno impetu irruentis . Ab aliis scriptoribus ejusdem opidi cives dicuntur *Hortani* , *Ortanenses* , & *Hortenses* : qui tamen confundendi non sunt cum *Hortensibus* illis a Plinio libro tertio capite quarto in prima regione Italiae , nempe in Latio , collocatis : neque cum *Hortensibus* sextae regionis , Umbriam complectentis : quo cognomento Urbinates dictos fuisse prodit idem Plinius libro eodem capite decimo tertio .

V. Ab *Horta* hac nostra gentem *Hortensiam* in Romana Republica florentissimam eductam fuisse conjectit popularis noster interioribus literis ornatissimus Philippus a Turre , modo Adriensis Pontifex , in Monumentis veteris Antii capite primo : quare posthabito Alejandro ab Alexandre , qui libro primo Dierum genialium capite nono Hortensios sic dictos putavit quod *hortorum* studio tenerentur , ego ejusdem eruditissimi auctoris sententiam facile amplector , praecipue quum videam ad eam confirmandam suppetias etiam ferri per Graecorum auctoritatem , a quibus idem Latinum nomen *Hortensius* , aequa ac reliqua ab urbibus derivata , non aliter efferri consuevit ,

quam

quam exclusa litera *v*, ut Ο̄γρησιος pro *Hortensius*, Gallia Ναεβονησια & Λαγυδηγησια pro *Narbonensis* & *Lugdunensis*: & Hispania Ταξιχανησια, pro *Tarragonensis*, explosa semper litera *v* ante *s*: ex quo Franciscus Hottomannus in notis ad Orationem Ciceronis pro L. Quinctio putavit latine etiam scribendum *Hortesius*, non *Hortensius*: sed Fulvius Ursinus aeneae tabellae & veterum omnium, ut inquit, librorum auctoritate secus edoctus, contra opinatur. Neque tamen iisdem Hortensiis quicquam fuisse puto cum Hortensibus Umbriae, ac Latii. hi enim cito interierunt, immo Philippus Cluverius in Italiae antiquae libro tertio capite quarto pag. 969. istud vocabulum cum ceteris populis opidorum, qui a Plinio in libro tertio capite quinto recensentur, existimat esse corruptum, propterea quod Hortenses Latii neque ab aliis auctoribus memorati reperiantur, neque ubinam fuerint investigari possit, quum jam aetate Plinii, nullis relictis vestigiis, periissent. Et forte isti *Hortenses* Latii sunt *Hortonenses* ex *Horton*, ultra Algidum montem, de qua paullo post agam. Umbriae autem *Hortenses* hoc nomine parum innotuerunt, quum nihil aliud, quam Urbinates, alios ab Urbinatibus Metaurensibus, indicarent. Notum est porro, antiquos a multis Italiae opidis variis de caussis seu quod in iis habitarent aut nati essent aut per maiores suos inde orti; seu

quod memorabile aliquid vel ipsi , vel patres eorum in illis gessissent , cognomenta sumpsiisse , ut pluribus exemplis docet vir eruditionis non proletariae Jacobus Perizonius in Animadversionibus historicis capite primo pag. 34. Sic Tarquinii ab urbe Tarquinensi , Coriolani a Coriolo , Aternii ab Aterno , Gabini a Gabiis , & Pompeii a Pompeiis opidis vetustissimis denominati fuerunt , ut bene adnotatur apud virum in literariae perinde ac Belgicae Reipublicae fastis laudatissimum Gisbertum Cuperum in additamento ad Harporatrem pag. 237. His aequo ac familia *Hortensia* ab urbe *Horta* addi potest *Aquilejensia* ab *Aquileja* nostra , quae prostat in lapide antiquo apud memoratum Turrium in Dissertatione de Beleno pag. 261. Neque omittendum est , eandem familiam cum & sine adspiratione a veteribus scriptam fuisse , *Hortensiam* nempe & *Ortensiam* : cuius rei exempla suggerit Scaliger capite vicesimo tertio Indicis Thesauri Gruteriani : quod pridem quoque observaverat Claudius Dausquius in Orthographicis : nempe eodem modo quo *Horta* & *Orta* in libris & lapidibus usurpari videmus .

VI. Mirari certe vehementer subiret , quod miratus fuit etiam Leander Albertus in Descriptione Italiae , Hortae , licet antiquissimae urbis , praeter unum Plinium , veteres scriptores Strabonem , Ptolemaeum , Melam , & Stephanum Byzant-

zantium non meminisse ; nisi nota res esset eosdem
auctores de urbibus amplitudine & frequentia
celebrioribus , atque ad vias regias seu litorales sitis
mentionem facientes , ceteras missas fecisse , quae
inde aberant , cujusmodi Hortam fuisse nemo non
novit . Hinc Strabo & Ptolemaeus de Urbino ,
Iguvio , Tiferno , Sarsina , & Auximo eadem
caussa tacuerunt : quas tamen antiquissimas & ho-
nestissimas urbes in Umbria & Piceno fuisse aliunde
comperimus . enimvero quod Julius Roscius civis
Hortinus scribit in argumento elegantis opusculi
Antonii Massae de origine & rebus Faliscorum ,
Hortae civitatis memoriam existare apud Dionysium
Halicarnasseum , id falsum est ; & Roscius
amore patriae passus est se in errorem abduci a Si-
gismundo Gelenio latino interprete Dionysii . hic
enim libro decimo Antiquitatum Romanarum
capite vicesimo sexto sub anno Varronianico ccxcix .
quum narrasset , Aequos populos in Latio non ita
pridem a Romanis devictos , arma resumpsisse &
Corbionis opidi praesidium sopitum magno nu-
mero interfecisse , haec subdit : οἱ δὲ λοιποὶ μεγάλῃ
χειρὶ σφατεύσαντες ἐπὶ πόλιν βιρτῶνα τῷ Λατίνων ἔθνες
ἐξ ἐφόδῳ παραλαμβάνονται , quae sic vertit Sylbur-
gius : ceteri magno numero egressi , Ortonem La-
tini nominis opidum primo impetu ceperunt : sed
Virtonem seu Birtonem reddere debuisset , ut red-
dendum agnoverat Lapus Biragus primus inter-
pres

pres Dionysii : *Hortanam* vero pro *Birtonem* expressit Gelenius . Sylburgius in notis pag . 72 . obser-
vat in vulgatis Livii codicibus eam urbem vocari *Hortanam* , in MSS . *Hortonam* : alia Livii exem-
plaria *Artonam* etiam exhibit , & codex Vatica-
nus *Bottonem* Βοττώνα : ex qua diversitate Sigonius
in scholiis Livianis libro altero num . xxiii . coniicit
ubique legendum esse *Ortonam* , sicuti etiam legi-
tur apud Livium libro tertio capite tricesimo , qui
idem factum narrat quod Dionysius , locatque
eam ultra Algidum montem , quam antea libro se-
cundo capite quadragesimo tertio non *Etruscām* ,
sed *Latinam urbem* appellaverat . Corbionem ,
opidum situm fuisse ultra Algidum versus Praene-
sten circa Lavicanam viam , & non procul inde *Hor-
tonam* , ostendit Cluverius in libro secundo capite
duodecimo Italiae antiquae pag . 780 . & libro ter-
tio capite quarto pag . 968 . putatque Lucas Holste-
nius in notis ad Cluverium pag . 162 . & 201 . ean-
dem *Hortonam* eo loci fuisse ubi nunc est *Montefor-
tino* , ad quod propius accedit nomen *Birtonis*
Dionysii . Ab hac autem alia est *Ortona* in Apru-
tio citeriori , quam Frentanorum navale appellat
Strabo libro octavo : quaeque vix Romanis erat
cognita quando Latinam Hortonam Aequi cepe-
runt . Quod spectat ad Strabonem , vir eruditus
& disertus Vincentius Borghinius in sua Etruria ,
quae prostat inter ejus lucubrationes Italice scri-
ptas

ptas volumine primo , suspicatur pag. 315. man-
cum & mutilum esse illum auctorem ubi agit de
Etruria , quia saepenumero codicibus veterum scri-
ptorum ob injuriam temporum ad unicum apogra-
phum redactis , hoc si mutilum erat , mutila itidem
omnia exemplaria inde exscripta vulgari necesse
erat : quod quidem Straboni evenisse oportet , ubi
interrupta deprehenditur illa pars quae ad Etru-
riam pertinet : quamobrem ea caussa esse potuit
cur hodie apud Geographum quotquot fuerunt pe-
ritissimum , Hortae nullam mentionem factam vi-
deamus .

VII. Quum vero urbem Hortanam sub ipsa
Illi ruina populis florentem ostenderim ex Virgilio
Italicarum rerum consultissimo , conjicere licet
eam unam fuisse ex duodecim urbibus totidem po-
tissimos Etruriae populos constituentibus , qui duo-
decim pariter inter se *dynastias* , ut vocat Polybius
libro secundo pag. 105. editionis Casaubonianaee ;
sive ut Dionysius libro sexto capite septuagesimo
quinto *ηγεμονίας* idest *principatus* sive *ducatus* ,
ut verit Sylburgius , formabant : quos Servius Da-
nielis in librum decimum Aeneidos , *praefecturas*
appellat . Livii & Dionysii testimonia , qui praeter
Strabonem , Plutarchum , & Servium eos duode-
cim populos memorarunt , Cluverius recitat in
libro altero Italiae antiquae pag. 403. Hi singuli
singulos principes sive reges habuerunt , qui Etru-
sca

sca lingua *Lucumones* appellabantur , unde ait Servius ad secundum Aeneidos : *propter duodecim populos Tusciae , duodecim Lucumones , qui reges sunt lingua Tuscorum* . Eosdem duodecim Etruriae populos & Lucumones memorat in quinctum Aeneidos ex M.Terentio Varrone , atque etiam in decimum , ubi ex duodecim Lucumonibus unum ceteris omnibus imperasse demonstrat : quod per vices & certo singularum urbium ordine factum censet Cluverius pag. 454. itaut ex ipso duodecim urbium numero unus omnibus praefuerit . Duodenae illae principes urbes totidemque populi steterunt inter Apenninum montem , Tiberim amnem , & mare inferum , ubi Etruscorum gentem cum Pelasgis dominatam fuisse palam est . Quum autem easdem urbes & populos nemo veterum nominatim expresserit , licet de singulis se copiose scripturum promiserit Dionysius , post tot saecula primus omnium Flavius Blondus in Etruria sua pag. 300. operum editionis Frobenianae easdem hoc pacto recensuit : *Lunam , Pisas , Populoniam , Volaterram , Agyllinam (Caerem etiam dictam) Fesulas , Russellanam , Arretium , Perusiam , Clusium , Faleriam , & Vulsiniam* . At vero Alexander ab Alexandro Dierum genialium libro tertio capite duodetricesimo , *Lunam , Pisas , Populoniam , Fesulas , Russellanam , & Faleriam* reticuit , atque ad complendum numerum illum duodenarium

rium advocavit *Mantuam*, *Tarquinios*, *Corytum*, *Fidenas*, *Vetuloniam*, *Vejos*. Carolus Signorius de antiquo jure Italiae libro primo capite nono numerum a Blondo adsignatum retinuit, nisi quod pro Lunensibus Vejentes admisit. Eundem iterum censum etiam turbavit Borghinius in sua Etruria, quoniam pag. 330. *Lunam*, *Caerem*, *Falerios*, *Pisas*, *Fidenas*, & *Mantuam* expunxit, ceterasque in ordine per Blondum & Alexandrum recensito superstites, recipiendas putavit, tanquam veras & originis Etruscae, non autem a Graecis & Pelasgis, ut reliquae, aedificatas: quas propterea ab eo numero ejecit. Sed nihilo minus Philippus Cluverius in libro secundo Italiae antiquae capite primo pag. 453. *Caerem*, & *Falerios* retinuit, sicuti etiam Holstenius ad Stephanum de Urbibus pag. 251. Et quidem si originariae tantum urbes Etruscae duodenarium illum numerum completerent, & reliquae inde essent excludendae, omnes procul exsulare cogerentur, utpote quae ab alienigenis gentibus, Pelasgis, Oenotriis, Tyrrhenisque conditae fuerunt, ut palam facit eruditissimus Ryckius, & praeципue de *Cortona* sive *Crotona* in capite tertio num. xxi. Dissertationis superius laudatae. Quare si in duodenarium eum numerum Hortam recipiendam putamus, nihil nos facere videbimur, quod rationabilibus conjecturis non innitatur.

VIII. Et sane praeterquamquod Hortinos cives tempore adventus Trojanorum in Italiam, potentes fuisse ex Virgiliana Aeneide observavimus: unde quoque inter praecipuos Etruriae populos haberi poterant, nempe inter illos duodecim, quorum veteres scriptores meminerunt; lacus ipse *Vadimonis*, qui ad secundum ab Hortina urbe lapidem patet, nomen Etruscum praeferre videtur, saltem dimidium; Etrusci enim proprio idiomate Reges suos *Lucumones* appellabant, ut supra ex Servio & Dionysio adnotavimus. Ut vero Hortanae urbi inter duodenas locus pateat, Veii mihi ab eo numero expungendi videntur, propterea quod regnum proprium ipsis constituerent, ab Etruscorum dynastia separatum. Hinc Livius libro quarto capite decimo septimo sub anno U.C. CCCXVI. *Lartem Tolumnium, Vejentum regem* appellat, non *Etruscorum*: & libro primo capite tricesimo anno U.C.xcv. Vejentes in ipsa Etruria non agnoverat: *proximi Etruscorum Vejentes*. In libro quinto capite primo anno U.C.cccl. *Vejentes taedio annuae ambitionis, quae interdum discordiarum caussa erat, regem creare*. Non abnuerim tamen Vejentes fuisse Etruscis foederatos: quod ex Livii non uno loco deducitur, & ex Dionysio initio libri noni narrante, sub anno Varoniano CCLXXV. *coactum fuisse concilium Etruscorum*, qui a Vejentibus rogati, ut bello contra Roma-

Romanos *sese adderent socios*, tandem decreverunt, licere Etruscis, qui vellent ire in eam militem, ita ut in Vejentum auxilium justus exercitus confluueret: συνήκθη εἰς κοινὴν ἐκκλησίαν τὸ ἔθρος, καὶ πολλὰ Οὐείεντανῶν δεηθέντων συνάργεσθαι σφίσι τῷ πολέμῳ. Τυρρηνῶν μετέχειν τὸ σχατεῖαν. καὶ ἐγένετο χεὶρ αἵσιομαχος ἡ τοῖς Οὐείεντανοῖς τῷ πολέμῳ συναγομένη. Neque alio modo exponenda videntur loca veterum a Cluverio recitata pag. 532. ut inde probet Vejos ob summam potentiam inter duodecim Etruriae populos connumeratos: quum e contrario vel ideo ex se regnaverint, cum Etruscis tamen proximis foederati ad Romanorum vim amo-liendam. Quare ex nostris calculis numerus duodecim urbium Etruriae a veteribus indicatus hoc modo complendus erit. i. *Perufia*. ii. *Cortona*. iii. *Arretium*. iv. *Clusium*. v. *Volaterrae*. vi. *Ve-tulonia*. vii. *Volsinium*. viii. *Rusellae*. ix. *Tarqui-nii*. x. *Caere*. xi. *Horta*. xii. *Falerii*. Haec ut ac-curatius firmentur, & omnis difficultas ex veterum scriptorum testimoniis auferatur, mihi ostendendum est non unam aut alteram, sed tres Etrurias fuisse, quarum singulae duodecim urbes, totidem Lucu-monum sedes habuere. patet enim Etruscos non intra unum Apenninum montem & mare Tyrrhenum clausos stetisse; sed a mari infero ad superum, nem-pe Adriam usque pertinguisse, ut testatur Scylax Ca-

ryandenus in Periplo . Livius libro quinto capite tricesimo tertio Adriam , quae mari Adriatico nomen dedit , *Tuscorum Coloniam* appellans , disertissimis verbis haec omnia confirmat ubi de opibus & potentia Etruscorum loquutus , haec habet : *ii in utrumque mare vergentes , incoluere urbibus duodenis terras : prius cis Apenninum ad inferum mare , postea trans Apenninum totidem quo capita originis erant , coloniis missis : quae trans Padum omnia loca , excepto Venetorum angulo , qui sinum circumcolunt maris , usque ad Alpes tenuere .* unde Camillus Peregrinus junior in Apparatu ad Antiquitates Capuanas pag . 641 . merito arguit Cluverium , qui hanc Etruriam Circumpadanam , quae est secunda ex Livio , quamque *novam* Servius appellat , ipse unus veterem & primam fuisse contenderit . Plinius libro tertio capite decimo sexto *Adriam opidum Tuscorum* vocat , aitque eosdem Tuscos *omnia flumina fossasque a Pado , egesto maris impetu per transversum in Adrianorum paludes , quae septem maria appellantur , fecisse* . Tusci ergo in hac secunda Etruria trans Apenninum duodecim urbes , totidem Lucumonum sedes condiderunt : ex quibus Bononiam , quam Tusci *Felsinam* vocitarunt , reliquis praefuisse , jure dubitari nequit . de hac enim Plinius ita scribit libro tertio capite decimo quinto : *Colonia Bononia , Felsina vocitata quum princeps Etruriae effet*

effet : ubi Plinium de *nova* hac seu secunda Etruria , non de veteri illa intra Apenninum & mare inferum jacente loquutum , in comperto est . hujus enim veteris erat princeps & caput non Felsina , sed *Vetulonia* teste Silio Italico in libro septimo :

*Moeoniaeque decus quondam Vetulonia gentis ,
Bissenos haec prima dedit praecedere fasces ,
Et junxit totidem tacito terrore secures :
Haec altas eboris decoravit honore curules ,
Et princeps Tyrio vestem praetexuit auro .*

Virgilius quidem in decimo Aeneidos videtur Mantuam suam caput Etruriae Circumpadanae constituisse illis carminibus :

*Mantua dives avis , sed non genus omnibus unum .
Gens illi triplex , populi sub gente quaterni :
Ipsa caput populis : Tusco de sanguine vires .*

Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat .
Sed haec more poetico in gratiam patriae suae cecinit Maro : quod agnovit etiam Servius ejusdem interpres , a Poeta novam & veterem Etruriam misceri animadvertisens , ut utriusque principatum patriae suae adsignet , quum alioquin *Mantua* ad haec auxilia in *Mezentium* pertinere non debeat . Quare nullum dubium est , Bononiam caput fuisse Etruriae Circumpadanae , a duodecim Lucumonibus , qui totidem urbibus praeerant , imperio reatae . Harum prima Bononia , secunda Adria , tertia Mantua utique erat . reliquas enim novem alii requi-

requirent . Frustra est ergo Johannes Baptista Agucchius Archiepiscopus Amaseius in epistola Italica de prisca origine , & dominatu Bononiensis urbis , ubi duas Etrurias Circumpadanas , alteram Felsinae , alteram Mantuae subiectam comminiscitur . Tertia Etruria fuit in ea parte Italiae , quam postea Campaniam dixerunt , atque hujus princeps fuit Captia : in qua quidem Etruria iidem populi quum duodecim urbes condidissent , quae cunctarum quasi caput esset , Capuam condiderunt , inquit Strabo libro quinto : illuc enim Etruscos quo tempore trans Apenninum imperio excurrerunt , suas Colonias misisse ostendit Camillus Peregrinus , judicio & eruditione haud quidem vulgari spectabilis , in Apparatu pag. 644. Quare , ut superius jam dicta iterum memoria repetamus , luculenter patet *Hortam* urbem in prima illa & ceterarum antiquissima Etruria sitam , diversam omnino fuisse ab *Ortona* sive *Hortona* in Latio , secus ac Roscius commentus fuerat : quod quidem aliquando animadvertisit Abrahamus Ortelius . quum enim in *Synonymia geographica* pag. 166. *Hortam* , de qua loquimur , cum *Ortona* *Livii* & *Dionysii* eandem fecisset , postea in *Thesauro geographicō* mendum correxit & unam ab alia distinxit . Constat quidem ejusdem Etruscae *Hortae* vetustatem literis commendasse Anastasium in Leone IV. ubi ait , eundem Pontificem in pristinum locum & statum reduxisse muros

muros & portas *Hortanae* & *Amerinae* valde antiquarum civitatum: unde & Flavius Blondus libro primo Italiae illustratae pag. 310. eam *Civitatem vetustam* appellavit. Et sane quanquam cetera argumenta deessent, id abunde testatum relinquerent prisci aevi monumenta & inscriptiones *Hortanae*: quas ex ipsis lapidibus diligentissime exceptas hic subiecte haud extra rem fore existimavi quod pleraque hactenus editae non fuerint, & quod gratiam me initurum sperem ab eruditis, qui tamen id acceptum ferent FERDINANDO NUPTIO Archiepiscopo Nicaeno, viro non tam dignitate ipsa, quam meritis suis amplissimo, mihi vero multis & magnis nominibus semper memorando. is enim easdem inscriptiones, qua est erga me benignitate, mecum humanissime communicavit, & illius nutu & auspiciis haec nostra quantulacunque lucubratio producta est.

C A P U T . I I

S Y N O P S I S

I. *Horta Colonia militaris ab Augusto deducta . Templo Martis Ultoris ab eodem erectum . Horta in Tribu Quirinu & Arniensi descripta .* II. *Octavianus plures in Italia Colonias militares deduxit : quando Augusti cognomentum adsumpserit .* III. *Earundem militarum Coloniarum numerus .* IV. *Duumviratus magni habitus .* V. *Seviri Augustales non magistratus , sed sacerdotes fuerunt . A Tiberio instituti . A sodalibus Augustalibus distincti .* Sex tantum . VI. *Inter se ordinem servarunt . Pontificatus a Quinquennalitate diversus .*



N T E Q U A M vero illud efficio , inscriptio Ortana reliquarum omnium praestantissima , veluti agmen ducens , praemittenda est : quam ex schedis Barberinis in Syntagmate inscriptionum capite quineto num. 302. non ita du-

dum vulgavit Raphael Fabrettus , vir de Romanis antiquitatibus supra omne praeconium benemeritus , idemque mei amantissimus dum fata Deusque sinebant . Ex ea discimus , Ortam ab Augusto Coloniam fuisse deductam : cuius rei nulla apud auctores memoria reperitur : quod nempe Augu-

Augusteae aetatis historiae latine scriptae intercederint: quae causa est cur nemo item historico-rum ceteras Colonias ab eodem Imperatore conditas memoret: quum tamen ex solis nummorum & lapidum inscriptionibus eruantur, ut de Parma, Perusia, & Verona sua docuit Henricus Norisius in Cenotaphiis Pisanis dissertatione prima capite se- cundo. Quam vero inscriptionem Ortanam Fa- brettus protulit, hic iterum exhibeo.

MAVORTI. VLTORI

Q. NINNIVS. Q.F. QVIR. PAETVS
 II. VIR. COLON. ORTANAЕ
 AVG. ET. VI. VIR. AVGVSTAL
 QVINQVEN. II. SACRVM

Hoc marmor plura nos docet. Ortae scilicet (quae antiquitus sine adspiratione scribebatur) Martem titulo VLTORIS cultum fuisse: cui Romae templum eodem titulo erexit Augustus, ut constat ex tabulis Ancyranis apud Gruterum pag. CCXXXII. cujusque AEDITVVS. T. FLAVIVS. AVGusti LIBertus memoratur pag. CCCXVII. 8. Istud tem- plum Augustus *bello Philippensi pro ultione pa- terna suscep*to jam *voverat*, ut ait Suetonius in ejus vita capite undetricesimo: nimirum anno U. C. DCCXII. secundum calculos Norisianos in Cenotaphiis laudatis dissertatione secunda capite

octavo: & demum anno U.C.DCCXXXIV. illud exstrui
jussit , ut in eodem recepta a Parthis Romana signa
suspenderet , ex Dione libro quinquagesimo quar-
to : quod postea dicavit anno U.C. DCCLII. ut
ex Vellejo docet idem Norisius. Nummos Augusti
cum effigie templi & epigraphie MARTIS. VL-
TORIS exhibit Carolus Patinus ad locum citatum
Suetonii . Neque tamen pro eodem voto Augusti
hoc marmor in urbe Ortana MAVORTI. VL-
TORI dicatum existimo : nam Collegium Augu-
stale , cujus in illo fit mentio , institutum fuit a
Tiberio anno quo obiit Augustus U.C. DCCLXVII.
quod infra apparebit . Patet insuper ex eodem
marmore Ortanam urbem in Tribū QVIRINA
fuisse descriptam : quae erat ex una & triginta ru-
sticis , a *Curiensibus* Sabinorum populis sic dicta ,
ut ait Festus . nam Tribus in urbanas & rusticas
divisas fuisse palam est : ex quibus rusticae nobilio-
res habebantur . In urbanis ii , qui rura non habe-
bant censebantur , & praeterea libertini omnes ,
secus ac in rusticis , in quibus tantum ingenui con-
scribebantur : quamobrem urbanae Tribus semper
ignobiliores rusticis habitae sunt , & e rustica in
urbanam transferri erat ignominiae , ut notat Paul-
lus Manutius in libro de Comitiis Romanorum
capite de *Tribubus* , & Carolus Sigonius de anti-
quo jure civium Romanorum libro primo capite
tertio . Attamen constat etiam ad Tribum Arnien-
sem.

sem (sive Arnensem) Ortam aliquando pertinuisse, quemadmodum ex alio lapide Ortano infra capite nono apparebit: quae item erat ex rusticis, & forte antequam Orta Colonia militaris jussu Augusti deduceretur: qua occasione ex Tribu Arniensi in Quirinam transire potuit. Hoc priusquam ostendo, observare lubet cum Petro de Marca in Marca Hispanica libro secundo capite quarto num.v. Colonias fuisse opida propagata ex civitate Romana, civibus paganis vel militibus ex S.C. vel Principis jussu deductis aut ad condendam novam urbem, aut ad supplendam antiquam. Istaec opida teste Agellio libro decimo sexto capite decimo tertio, *jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii, habent: quae tamen conditio quum sit magis obnoxia, & minus libera, potior tamen & praestabilior existimatur propter amplitudinem majestatemque populi Romani: cuius istae Coloniae quasi effigies parvae, simulacraque esse videntur.* Veruntamen idem scriptor celeerrimus Petrus de Marca animadvertisit discrimen aliquod fuisse inter Colonias, quum aliae uberiori, quaedam contractiori immunitate fruerentur, adstrictis vel ampliatis earundem privilegiis: quamobrem a veteribus traditum est alias fuisse immunes; quasdam juris Italici; nonnullas Latinorum, idest jure antiquo Latii utentes, donec Antoninus Caracalla omnes qui Imperio Romano suberant pro civibus

haberi jussit ea constitutione , quam laudat Ulpianus in Lege xvii. D. *de statu hominum* : quamque nuper egregio & bonae frugis pleno Commentario explanavit vir de omni antiquitate meritissimus Ezechiel Spanhemius . Alia in hanc rem disserit Nicolaus Bergerius in praestantissimo opere *de publicis & militaribus Imperii Romani Viis* libro quarto sectione octava , ubi colonos, partem nempe civium Romanorum , in urbes a S. P. Q. R. & postea ab Imperatoribus ob unam alteramve ex quinque his caussis deductos observat . Primo ut provinciales & subiectos in officio continerent . Secundo ut subitis hostium incursionibus veluti totidem arces & propugnacula Imperii Romani opponerentur . Tertio ut Romanus sanguis undique propagaretur . Quarto ut plebem inopem & Urbi imperanti gravem sic exhaustirent . Quinto denique , ut militibus emeritis praemia largirentur .

II. Jam vero scire juverit , Augustum postquam apud Actium victo Antonio jam totius Romani orbis imperium occupasset , plures in Italia Colonias cognomento *Augustas* instituisse , militibus , qui secum omnibus bellis interfuerant , agris eorum , qui Antonii rebus studuerant , divisis , quum Dyrrhachium , Philippos & alia opida , priscis dominis in exsiliis missis , iisdem habitanda concessisset , ut ait Dio libro quinquagesimo primo pag. 445. editionis Johannis Leunclavii .

Hoc

Hoc non semel fecit Augustus longe post suum Consulatum quartum , annumque U.C. DCCXXIV. quo Colonias alias duodeviginti , cognomento *Julias* deduxit , quarum meminit Appianus de Bellis civilibus libro quarto pag. 590. editionis Henrici Stephani: nempe M. Licinio Crassfo & Cn. Lentulo Augure Coss. anno U.C. DCCXL. Item Claudio Nerrone II. & Pisone Coss. U.C. DCCXLVII. & sequenti ; & denique L. Caninio Gallo & Q. Fabricio Coss. suffectis , anno U.C. DCCLII. ut prodit marmor Ancyranum pag. CCXXXI. ubi militum , quibus agri adsignati fuerunt , paullo plura quam ducenta millia fuisse testatur idem Augustus . Hoc vero deductoris cognomentum , quod postea Coloniae sibi adsumperunt , C. Julius Caesar Octavianus in suo consulatu VII. & M. Vipsanii Agrippae III. anno U.C. DCCXXVIII. a Senatu L. Munatii Planci sententia obtinuerat , ex Dione libro quinquagesimo tertio , ac Censorino de Die natali capite vicesimo primo : scilicet anno quarto Actiaco , non autem primo , ut putabat Josephus Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebii num. MCCXXVIII. & in notis criticis ad spuriam elegiam Cornelii Galli , a nobis alibi quoque , nempe in historia literaria Aquilejensi , discussam . Atque haec est insignium Chronologorum sententia , Dionysii Petavii de Doctrina temporum libro decimo capite sexagesimo nono & sequenti , ac Jacobi Usserii in Anna-

libus






libus pag. 581. editionis Parisiensis : qui de compacto id contigisse statuunt annis viginti septem ante epocham Christianam . De his Coloniis ab Augusto deductis loquitur Hyginus inter auctores rei agrariae collectos a Wilhelmo Goesio pag. 160. ubi haec habet : *Divus Augustus in adsignata orbi terrarum pace , exercitus , qui sub Antonio aut Lepido militaverant , pariter & suarum legionum milites colonos fecit , alias in Italia , alias in provinciis . His , quibusdam delectis hostium civitatibus , novas urbes constituit : quosdam veteribus opidis deduxit , & colonos nominavit . Illas quoque urbes , quae deductae a Regibus aut Dictatoribus fuerant (quas bellorum civilium interventus exhauserat) dato iterum Coloniae nomine ampliavit , quasdam & finibus . Siculus etiam Flaccus apud eundem Goesium pag. 23. qui , inquit , a divo Julio deducti erant , temporibus Augusti militiam repetierant , consumptisque bellis , victores terras suas repetierant : in locum tamen defunctorum alii agros receperunt . Ex quo fit , ut his centuriis inveniantur & eorum nomina qui deducti erant , & eorum qui postea in locum successerunt . Augustus ergo Italiae urbes tot delectibus per bella civilia exhaustas , militibus in eas missis frequentandas curavit : quo quidem facto & militum cupiditati , & Coloniarum infrequentiae maximus Imperator consulvit .*

Has

III. Has militum Colonias, quas in Italia deduxit Augustus veteres scriptores, qui hodie supersunt, tanquam rem suo aevo notissimam, literis committere neglexerunt: nam Vellejus, qui de Coloniis a Senatu deductis accurate tractavit, de militaribus ait se ideo loqui non velle, quia *militarium et caussae et auctores et ipsarum PRAEFULGENT NOMINA*, libro primo capite decimo quarto. Hinc haud mirum, si rem omnibus exploratissimam historici silentio praeterierunt: unde etiam Suetonius in Augusto capite quadragesimo sexto, earendem Coloniarum numero expresso, nomina ipsa reticuit: *Italiam, inquit, duodetriginta Coloniarum numero deductarum ab se frequenterit, operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit: etiam jure ac dignatione urbi quodammodo pro parte aliqua adaequavit, excoigitato genere suffragiorum, quae de magistratibus urbicis Decuriones colonici in sua quisque Colonia ferrent, et sub diem comitiorum obsignata Romanam mitterent.* At quaenam fuerint istae xxviii. militum Coloniae ab Augusto intra Italiam deductae, nemo haec tenus pleno numero aperuit. nam Frontinus in fragmento illo operis sui de Coloniis, *undecim tantum nominatim designavit, nempe Soram, Teanum Sidicinum (hanc in duas perpetram divisit Siganus) Puteulos, Acerras, Alatrium, Atellam, Caudium, Beneventum, Cumas, Graviscas,*

vicas, Nuceriam. De Benevento id praeterea confirmat vetus epigramma a Camillo Peregrino vulgatum in Apparatu ad Antiquitates Capuanas pag. 745. & postea a Fabretto capite secundo num. 248. Sigonius de antiquo jure Italiae libro tertio capite quarto addit *Augustam Taurinorum, Bovianum, Capuam, & Ariminum.* Norisius vero in Cenotaphiis Pisanis dissertatione prima capite altero ex Thesauro Gruteriano quinque alias enumerat , *Augustam Perusiam, Coloniam Felicem Nolanam, Coloniam Julianam Augustam, Parmam, Coloniam Augustam Laurentum, & Coloniam Augustam Veronam:* quibus adjungi posse opinatur & urbem *Pisanam* , quanvis praeter *Juliae* cognomen Pisanae urbi impositum , ejus rei testem appellare non possit. His ego ex marmore 8. ccccxxxii. AUGUSTam POLam in Istria (quam Italiae adjunxit Augustus) & *Coloniam Ortanam Augustam* in Etruria , jure optimo superaddo : nec deerunt in posterum penitioris antiquitatis seduli scrutatores , qui quinque reliquas Colonias Augustas Italicas ad complendum numerum a Suetonio indicatum in apertum profrent . Tunc vero quando Orta Colonia Augusta deducta est , erectas fuisse putamus columnas struttiles , vulgo *le pile d'Augusto* , utranque Tiberis ripam contra aquarum impetum defendantes , ubi & antiqui Pontis vestigia adhuc supersunt : cuius , ut tunc

T I B E R I S



Scala di palmi Romani

50 100 200 300

tunc verosimiliter fuit, vel iterum exstrui posset, ichnographiam hic damus, per gnavum & peritum artificem Franciscum Sforzinum nuper delineatam jussu Maecenatis nostri Eminentissimi Cardinalis JOSEPHI RENATI IMPERIALIS, quum pro munere Praefecti Congregationis, ut vocant, boni regiminis, quod providentissime juxta ac vigilansime gerit, de eodem Ponte magnifice reparando meditaretur.

IV. In Ortana Colonia Q. Ninnius Paetus erat *Duumvir* quando lapidem MAVORTI. VLTORI erexit. enimvero in Coloniis Duumviri non fecus ac Consules Romae sub Imperatoribus habebantur: congregabant Senatum, qui in Coloniis *Curia* appellabatur: hinc ii, qui in consilium admittebantur, Decuriones dicti & Romae Senatores: quod luculente docuit, ut juris divini & humani, sic & antiquitatum antistes eximius Antonius Augustinus in Dialogo sexto in numismata & inscriptiones. De Duumvirum magistratu quoniam le-tissima eruditionis copia Cardinalis Norisius in Cenotaphiis Pisanis dissertatione altera capite tertio aliorum studia antevertit, mihi pauca ex ejus operosis lucubrationibus delibasse sat erit, quo Ortanae Coloniae dignitas, & ejus veterum magistratum splendor iis, qui jejunam de illa apud scriptores mentionem factam offenderunt, vel hinc innotescant. Is observat Duumviratum tanti fuisse.

Romanis , ut a nobilissimis Senatoribus accipere-
tur . Hinc Pompejus Magnus post Orientem debel-
latum , ob amorem Juliae relicta Roma , Duumvira-
tum Capuae gessit , quemadmodum testatur Cicero
in Oratione post reditum in Senatum . Ad Duum-
viros in Coloniis pertinebat caussas ad Decuriones
referre , & eorum sententiam rogare . In aliquibus
Italiae urbibus Quatuorviri magistratum gerebant ;
at in una eademque urbe modo *Duumviro*s , modo
*Quatuorviro*s laudari in inscriptionibus patet
ex Thesauro Gruteriano pag . xcvi . 1 . ccccxlvi . 2 .
cccclxvi . 4 . cccclxxii . 7 . dlv . 2 . & alibi passim
quod ideo factum putat Norisius , quia initio
Duumviri creabantur , at postea , quo civium am-
bitioni satisficeret , Quatuorviri , ut ea ratione ad
plures summus Coloniarum magistratus perveni-
ret . In Coloniis eosdem Duumviro e tribunali
jus dixisse in saxis Gruterianis plane compertum
est . At quidem graviora crimina ad Romani Se-
natus cognitionem spectabant , puta proditio ,
conjuratio , beneficium , caedes dolo malo patrata .
Augustus vero sicuti urbani Senatus potestatem ,
ita etiam Coloniarum antiquam jurisdictionem
specie honoris imminuit , ut eruitur ex Suetonio
ubi de Coloniis ab Augusto deductis , inter quas &
Orta fuit , sermonem habet : cuius verba semel re-
citata hic iterum adferam : *genere suffragiorum ,*
quae de Magistratibus urbicis Decuriones Colonici

*in sua quisque Colonia facerent, & sub diem co-
mitiorum ob signata Romam mitterent, quum
usque ad illam diem Coloniae sibi suos magistratus
elegissent absque postulatione confirmationis a Se-
natu Romano. Praeterea ab illo tempore nec gra-
viores expensas, puta in inferiis, arcubus, statuis,
ante impetratam ab Imperatore facultatem, facere
poterant: quod ex Pisanis Cenotaphiis docet eo-
rundem Eminentissimus illustrator. Duumviri li-
ctores habebant, sed non ita fascium usum usque
ad Tiberium; iisdemque togam concessam fuisse
ostendit Octavius Ferrarius de re Vestiaria libro
altero capite tertio. Annuum Duumviratum ob-
servo ex Canone quinquagesimo sexto vetustissimi
Concilii Illiberitani, ubi Christianus anno uno,
quo agit Duumviratum ab Ecclesia segregari prae-
cipitur propterea quod teneretur edere ludos &
spectacula: ubi legi merentur quae congerit Gundisalvus Tellez in commentariis ad idem Conci-
lium libro tertio pag. 439. editionis Lugdunensis.
Huc etiam facit lex xvi. Codicis Theodosiani li-
bro xii. tit. i. in qua respuentes Duumviratum,
nempe ob immensos sumptus, qui iis incumben-
tibant, praeci pue in ludis & spectaculis edendis,
duplicati temporis & magistratus poena damnati
biennio integro ejus onera sustinere coguntur. Ja-
cobus Gothofredus in commentariis ad eandem
legem scribit Duumviros quinquennales fuisse qui*

quinquo quoque anno recurrente id munus sustinebant, ex Grutero cccxxii. 8. At Gundisalvus laudatus ob merita & munificentiam in patriam putat Duumviros in quinquennium electos.

V. Q. Ninnius in Colonia Ortana *Sevir Augustalis Quinquennalis iterum* dicitur. An Magistratus sive Sacerdotii genus fuerint Seviri Augustales, celeberrimi viri, qui doctis laboribus suis antiquas & sepultas has literas illustrarunt, inter se disputant: quippe Thomas Reinesius epistola xxxi. ad Christophorum Adamum Rupertum, & in Supplemento Gruteriano Classe i. num. xii. eos inter magistratus municipales enumerans, actione juris dicundi praeditos fuisse credidit: cui tamen adversatur Norisius in opere saepius adducto dissertatione prima capite sexto, ubi Augustales non magistratus, sed sacerdotes fuisse invictis argumentis declarat: idque amplius firmat etiam eruditissimus Fabrettus capite quinquo sub numero 306. Horum Augustalium originem ad initium principatus Tiberii refert Tacitus libro primo Annalium capite quinquagesimo quarto anno U. C. DCCLXVII. post Augusti apotheosin. tunc enim huiusmodi sodalium Augustalium *sacerdotium Caesar TiberiusJuliae genti sacravit*, inquit idem auctor libro altero Historiarum capite nonagesimo quinquo: unde Romani orbis Coloniae imperantis Urbis exemplo, ut insigni erga demortuum Principem officio sibi suc-

successoris benevolentiam conciliarent, Augustalium Sacerdotum Collegia sive Corpora tunc certatim instituerunt: inter quas Colonias etiam Orta Augusti sacris se initiavit: quod ex alio quoque lapide Ortano inferius adducendo apparet, in quo *C. Baberius Augustalis* noninatur. Quanvis *Seviri* isti *Augustales* passim in veteribus faxis memorati videantur, non inde sequitur Sodales Augustales sex tantum numero in unoquoque Corpore fuisse, ut perperam crediderunt viri summi Marcus Velserus in libro quinto rerum Vindelicarum pag. 275. operum editionis Norimbergenis, & Petrus de Marca in dissertatione de Primitibus num. civ. nam in Collegium Augustalium Romae a Tiberio institutum e primoribus Civitatis unus & viginti sortito adsciti fuerunt: quibus quatuor supra numerum adjecti sunt, ut ait Tacitus. Quum vero eadem Collegia Romae & in Coloniis excrescissent, in his sex primum nominati e Corpore Augustali, *Seviri* appellabantur: at quum eorum numerus amplior etiam evasisset, in plura Collegia partiti sunt: quibus distincti *Seviri* praeerant, quemadmodum ex vetustis elogiis lapidum constare palam facit Norisius loco superius indicato. Neque in singulis Collegiis Seviros plures quam sex unquam existisse putarim, licet apud Fabretum capite quinto num. 316. prostet inscriptio, in qua tredecim *Seviri Augustales* numerantur:

hos

hos enim cum eodem peritissimo veterum monumentorum interprete honorarios fuisse arbitror : unde multiplicitas Sevirorum insurgit , dum Seviraes omnes , munere quanvis jam pridem functi , titulum honoris ergo retinebant , ut differit idem auctor in capite quinto sub numero 315.

VI. Seviros inter se ordinem servasse animadvertis Petrus de Marca . hinc apud Gruterum pag. ccccix. 5. occurunt PRIMI . AVGVSTALES . & in marmore Tudertino xix. 6. PRIMIGENIVS . SEX . VIR . II . AVGVSTALIS . qui *primi* etiam *Magistri* dicebantur . At non ita certum quod ait idem doctissimus scriptor , ubi honorem Augystalitatis aequae ac Flaminii & Pontificatus per quinque annum vel in perpetuum ab ordine Decurionum decretum fuisse opinatur . nam Pontifices erant perpetui , & posteriori aetate temporarii , ut sancit Norisius in Cenotaphiis dissertatione prima pag. 73. ubi quod in prisci aevi monumentis legantur PONTIFICES . QVINQVENNALES . duas ibidem dignitates expressas censet , ut *Quinquennales* fuerint in Coloniis qui Romae Censores dicebantur : de quibus Cicero libro tertio de legibus refert duodecim tabularum sanctiōnem : *magistratum quinquennium habento* : unde singulis lustris creabantur : & quidem bini in singulis civitatibus , ex codem Cicerone in Verri na quarta . Pontificatum vero & *Quinquennali-*
tatem

tatem diversos Coloniarum honores fuisse eruitur ex lapide cccxciv. 7. ubi legitur COMINIVS QVINTVS. PONTIF. ET. QQ. & pag. cccclxxix. 8. C. VALERI . PETRONIANI DECVR. PONTIF. SACERD. IVVEN. MED CAVSIDIC. QVINQ. neque id adversatus est scriptor eruditissimus & Episcopus integerrimus Philippus a Turre in dissertatione de Colonia Foro-juliensi pag. 364. licet in Coloniis Pontifices quinquennales seu lustrales fuisse validis argumentis probare contenderit . Quare dum apud Fabrettum capite quinto num. 303. legitur in faxo Ostiensi *L. Carullus Felicissimus bis sevir Augustalis . idem Quinquennalis Laurentum Lavinatum . Item numero 326. Chryseros Sevir Augustalis Quinquennalis . & numero 332. L. Carullus Epaphroditus Sevir Augustalis . idem Quinquennalis ,* hic duo diversa munera distinguenda sunt , non vero existimandum quod Seviratus non modo annalis , sed & quinquennalis extiterit , ut probat Fabrettus capite quinto num. 315. Eodem pacto noster Q. NINNIVS in Ortana Colonia fuerit non solum *Sevir Augustalis ,* ut notatur in marmore , sed & *Quinquennalis iterum .* Ninniorum autem gens non tantum Ortae , sed Romae etiam floruit , nam pag. ccxiv . & in fastis Consularibus legitur Q. NINNIVS HASTA cum P. MANILIO . VOPISCO . COS anno vulgari cxiv. & pag. lxv. 8. NINNIVS PHI-

40. DE . ANTIQUITATIBUS . HORTAE
PHILETVS . item pag . DCXCVII . 7 . NINNIA
CRONIS . cui vix quadrimae vita functae genitor
eleganti hoc carmine parentavit :

*Quod decuit natam patri praestare sepulto ,
Hoc contra natae praestitit ipse pater .*

Thomas Reinesius clasie sexta numero cxv . recitat
hanc inscriptionem ex Italia per Graevium acce-
ptam & secum communicatam

D. M. S
Q. N I N N I O . Q. F.
A R N. O P P I A N I C O
A E D. ^{III} V I R. I. D
I V L I A. M A R C I A. B. M


Suspicari licet hunc *Q. Ninnium* fuisse ex gente
Ninnia Ortana . Orta enim fuit & in Tribu Ar-
niensi descripta , quod monui , & infra apparebit :
ex qua item Tribu erat idem *Q. NINNIVS* . OP-
PIANICVS *Aedilis Quatuorvir jure dicundo* .
Diversi honorum gradus colonici inter se erant
Aedilitas & *Quatuorviratus* , quemadmodum
contra secus sentientes ostendit Norisius in *Ceno-*
taphiis dissertatione prima capite tertio pag . 38.
Dolendum sane doctissimos veterum hujusmodi
epigrammatum collectores saepenumero adnotare
neglexisse praecipua loca ubi primo effossa fuerunt :
quum vel ex hoc uno capite magna historiae , topo-
gra-

graphiae & reconditae vetustati lux haud raro
tribuatur, atque inde gravissimae scriptorum con-
troversiae variis de rebus, puta de situ urbium,
templorum, theatrorum, thermarum, circorum,
deque id genus innumeris aliis non semel finiantur:
quae tamen controversiae, neglecta adnotatione,
quam dixi, locorum, in quibus literati lapides
eruuntur, nunquam dirimi possunt, iisdem postea
lapidibus, ut saepe contingit, alio translati, ne
dicam iterum sepultis, & ab ignorantia & avaritia
hominum in alias usus redactis. Hanc rem probe
animadvertisit summus & vir & amicus Bernardus
de Montfaucon in capite viceseno Diarii Italici
pag. 281. ubi ad conficiendam Urbis descriptio-
nem accuratam inter alia monitum reliquit, ut sicut
ibi inscriptiones eruerentur, nemini liceret eas loco
movere & amoliri, donec viri docti locum ipsum
& marmor literis consignassent. *plerunque enim
inscriptiones*, ait vir praestantissimus, templorum,
& aliorum, quae e vicino steterant, aedificiorum,
mentionem habent. Inde subjungit. *id si a prin-
cipio factum esset, bene multa ignota rudera quid
olim fuerint jam conspicuum esset*. Quod ille in
Urbe rerum domina jure maximo curari vellet,
id nos ubique & praecipue in reliqua Italia curatum
vellemus.

C A P U T . I I I

S Y N O P S I S

- I. Domitiani nomen cum titulis ex publicis monumentis erasum. Nomina item aliorum. II. Liturae Arcuum Septimii Severi a nonnullis perperam explicatae.
- III. Fulvii Plautiani & Plautillae Augustae nomina in aliquot saxis deleta. IV. Inscriptionis Hortanae restitutio tentata. V. Perfectissimorum genera & antiquitas. Capenates Foederati. Quot Pentapoles in Italia? VI. Curatores Reipublicae. VII. Ordo & Populus in Coloniis.



A M vero explicata utcunque inscriptione a Q.Ninnio Paeto Mavorti Ultori dicata , ex qua Ortanae Coloniae Augustae amplitudo & dignitas prodit , de reliquis infra adducendis idipsum facere conabor . Ce- teris autem hoc loco praeferre

lubet marmor non quidem casu aliquo , sed dedita opera olim prioribus quatuor lineis oblitteratum : cuius latitudo est quatuor palmorum , altitudo vero totidem cum dimidio . Existit olim in fronte ec- clesiae Cathedralis Ortanae , nunc vero jacet in solo extra eandem ecclesiam , & legitur ad calcem opusculi Antonii Massae de Origine Faliscorum , necnon apud Gruterum pag.cclxxxviii. num.i.

OR

OR
DÓ. ET. PÓPVLVS. COLONI
A E. F ALIS CORVM. CV
RANTE. TYRIO. SEPTIMI
O. AZIZO. V.P. CVR. R. P. DEVO
TI. NVMINI. MAIESTATI
QVE. EIVS

Haec inscriptio videtur indicasse publicum aliquod monumentum in urbe Ortana ab Ordine & a Populo Coloniae Faliscorum cuidam Imperatori eretum, ut innuunt postrema verba **D E V O T I N V M I N I . M A I E S T I Q V E . E I V S**, quae nonnisi in Imperatorum monumentis usurpata reperies in inscriptis lapidibus apud Gruterum pag.**CCXLIX.** 4. **CCLXI.** 1.7. **CCLXXXI.** 7. atque alibi passim non solum post Conitantine, sed etiam longe antea, ut Trajano **CCLVIII.** 6. M. Aurelio Antonino, Hadriano & Antonino Pio **CCLIX.** 1.8. & **CCLX.** 1. Cui vero ex Imperatoribus inscriptio dicata fuerit, nos fugit ob quatuor linearum erosionem, quae non solum nomen Imperatoris, sed etiam titulos penitus sustulit, integro tamen faxo relicto, ut patet in schemate quod produxi.

At nihilominus conjicere licet illum fuisse Domitianum Imperatorem . nam Suetonius in ejus vita capite ultimo narrat Senatum adeo gavisum morte Domitiani , ut *novissime ERA DENDOS ubique TITVLOS abolendamque omnem memoriam decerneret*: quod quidem *ex omni aere vel saxo factum* tradit Macrobius in libro primo Saturnalium capite duodecimo . Scribit Lampridius in Commodo capite decimo septimo, hujus Imperatoris *nomen alienis operibus incisum* Senatum quoque erasisse . nam veteres ad extinguidam hominum memoriam nihil efficacius reperire potuerunt , quam eorum nomina undique eradere , ut pluribus exemplis docet Index Gruterianus capite xvii. sub litera N. ubi illi recensentur, quorum nomina obliterata fuerunt . Huc facit quod Reinesius epistola LXIX. ad Rupertum pag. 612. & Jacobus Perizonius in Dissertationum triade pag. 22. observant , nimirum in fronte lapis Colotiani CCLXX. 6. detritum fuisse nomen Fulviae Plautillae Augustae , & in versu sexto nomen L. Fulvii Plautiani ipsius parentis : qui erat ex gente Fulvia , ut contra Panvinium aliosque docuit Norisius in Epochis Syromacedonum dissertatione quinta capite tertio : quique sub L. Septimio Severo vir potentissimus , Praefectus Praetorio & Consul eandem filiam suam Plautillam in uxorem dedit Septimii filio Bassiano, sive M. Aurelio Antonino Pio cognomento Caracallae cum *tanta dote* ,

quan-

quanta Reginis quinquaginta satis fuisse, ut ait Dio libro septuagesimo sexto. Occiso autem eodem Plautiano, & Plautilla in Liparim relegata, utriusque nomen sibi maxime invisum idem Caracalla ex marmore indicato aboleri curavit: quod alibi quoque factum fuisse mox apparebit, si insignium antiquariorum errorem a nemine hactenus animadversum hic in antecessum patefecero; nam de *Inscriptionibus* decreto publico erasis, si ocium aliquando suppetierit, alibi fusius agere meditor.

II. Famianus Nardinus in sua Roma veteri libro quinto capite sexto memorat grande illud Romanae magnificentiae post tot saecula adhuc superstes monumentum ad radices Clivi Capitolini qua itur ad Forum, Arcum videlicet illum triumphalem Imperatori L. Septimio Severo & filio ejus M. Aurelio Antonino Pio erectum, quemadmodum patet ex bipedalibus literis ibidem in marmore primum incisis & excavatis, & deinde aere Corinthiaco repletis: quod contigit anno vulgari cciiii. post diem xiii. Aprilis, ut viri docti observarunt. Quia autem in quarta linea amplae illius inscriptionis, quae utrāque Arcus faciem quaquam occupat, adhuc apparent vestigia characterum, quibus antiquitus deletis alii superpositi fuerunt, putavit Nardinus *L. Septimii Getae* nomen prius ibi lectum fuisse: quod posteaquam frater ejus Caracalla in illum truculentas manus
inje-

46. DE . ANTIQUITATIBUS . HORTAE

injecisset , ex cunctis monumentis jussu ejus obliterate-
ratum unus idem Nardinus existimavit , in ejus rei
testem adducens Spartianum : in quo tamen id ex-
sticcare mihi non licuit , neque ulli sane unquam
licebit , quia Caracalla , ut suum in fratrem Getam
commisum parricidium celaret , illum inter Divos
referri curavit : quod testatur Spartianus in Geta
capite secundo ; unde ajebat de eodem : *si Divus ,*
dum non sit vivus ; tantum abest , ut Getae no-
mini , quem palam se amore prosequi simulabat ,
adeo solemnem infamiae notam inurere voluerit ,
ut illud e publicis & omnium conspectui expositis
Arcubus & inscriptionibus obliterari mandaverit .
Hinc miror virum doctum Josephum Mariam Sua-
resium in Explicatione Arcus Septimii Severi pag. 2.
Nardino hircum mulgenti , ut est in adagio , cri-
brum supposuisse , dum incautum ejus memoriae
lapsum exceptit , Spartiano inconsulto . Ut antiquae
ejusmodi erasionis locus mente facilius compre-
hendatur , eam Arcus inscriptionem , quam non
veluti emissarius cum oculis emissitiis , ut initio
Aululariae Plautinae nonnemo loquebatur , sed
oculis optimo lumine adjutis centies lustravi , to-
tam continuis lineis , uti adhuc est , expressam re-
citabo .

IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. PATRI. PATRIA. PARTHICO. ARABICO. ET
PARTHICO. ADIABENICO. PONTIFIC. MAXIMO. TRIBVNICO. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCONS. ET
IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO. AVG. PIO. FELICI. TRIBVNICO. POTEST. VI. COS. PROCONS. P. P.

OPTIMIS. FORTISSIMISQUE. PRINCIPIBVS

OB. REM. PVBLICAM. RESTITUITAM. IMPERIVM QVE. POPVLI. ROMANI. PROPAGATVM
IN SIGNIBVS. VIRTUTIBVS. EORVM. DOMI. FORISQVE. S. P. Q. R.

Quartae lineae verba , quae totidem abrasis olim superposita fuerunt , jam referuntur ad Severum & Antoninum ejus filium , in superioribus lineis memoratos . Duea postremae lineae caussam erektonis ejusdem Arcus explanant . Eas literas , quarum spacium postea occuparunt verba illa **OPTIMIS FORTISSIMISQVE . PRINCIPIBVS.** in illa eadem linea detritas olim fuisse inde liquet , quod marmor ibi est depresso quam alibi , quodque in eadem linea extra locum a reliquis literis postea occupatum , supersunt foramina ubi aes fuerat infixum : ex quibus signa priorum characterum , qui olim oblitterati fuerunt , omnium oculis exhibentur : quippe illud **OPTIMIS . FORTISSIMIS- QVE . PRINCIPIBVS** clauditur spacio , unius & alterius literae vestigia adhuc retinente : quae etiam manifesto arguunt ; ejusdem lineae characteres olim fuisse nonnihil grandiores , quam nunc sunt , nimirum ceteris aequales .

III. Ego vero in quarto versu elogii ejusdem Arcus ubi vestigia aeneorum characterum supersunt , *Septimii Gaetae* nomen expressum fuisse neutiquam puto , licet praeeunte Nardino id opinati fuerint viri eruditii apud Suaresium : quibus nuper accessit nobile par scriptorum in nummaria antiquitate celebrium , nimirum Johannes Vaillantius in Nummis Imperatorum tomo secundo editionis tertiae Amstelodamensis pag . 253 . & Andreas Morellius

rellius in Specimine rei nummariae editionis secundae Lipsiensis pag. 184. qui de compacto affirmant jussu Caracallae haec verba in eodem Arcu detrita fuisse :

PUBLIO. SEPTIMIO. GETAE. CAESARI. PONTIF.

quibus deinde easdem numero literas superpositas fuisse opinantur. Hadrianus Auzoutus, qui apud Suaresium ex eadem litura haec verba eruebat :

ET. P. SEPTIMIO. GETAE. NOBILISSIMO. CAESARI. OPT.

postea sententiam mutavit, & ea quae jam dixi una cum Vaillantio in foraminibus clavorum deprehendit, illuc admotis scalis, ut testatur Morelius. Sed ego a tantis viris dissentio, atque ibi nomina & titulos non Getae, sed *L. Fulvii Plautiani* olim expressa fuisse non dubito, literarum, quae desunt, numero religiose servato hoc pacto :

ET. L. FULVIO. PLAUTIANO. PR. PR. COMITI. AVGG.

Siquidem Plautiani gloriam & salutem pari precio habitam fuisse ac ipsorum Septimii Severi Imperatoris & Antonini Caesaris eruitur ex epigrammate Gruteriano xxxix. 3. duabus lineis abrafo: quod ego ejusdem *L. FULVII. PLAUTIANI. ET FULVIAE. PLAVTILLAE. AVGVSTAE* nominibus ita restituo.

D I A N A E
P R O . S A L V T E
I M P . L . S E P T I M I . S E V E R I . E T
M . A V R E L I . A N T O N I N I
A V G G . E T
L . F U L V I I . P L A V T I A N I . E T
I V L I A E . A V G . M A T R . C A S T R
E T . F U L V I A E . P L A V T I L L A E . A V G

Superius memoratam erasionem lapidis Colotiani 6. cclxx. quam vidit etiam doctissimus Cardinalis Henricus Norisius & ex eo Pagius in Critica Baroniana anno cxcix. num. iv. hic quoque , a nobis rubro charactere suppletam , exhibemus : in qua inscriptione quum dicatur Plautianus *comes per omnes expeditiones eorum* , nempe Severi & Antonini , manifeste appareat Plautianum Praefectum Praetorio a Seuero in orientem proficiscente , in Urbe relictum neutiquam fuisse . Porro in causa excidii Plautiani enarranda variant Herodianus & Dio , quorum is vero , hic falso crimen per fraudem Antonini appetitum affirmat .

FVLVIAE. PLAVTILLAE. AVG
UXORI

IMP. M. AVRELI. ANTONINI. AVG
PII. FELICIS. PONTIFICIS. CONS
IMP. L. SEPTIMI. SEVERI. AVG. PI. FELICIS
PONTIFICIS. ET. PARTHICI. MAXIMI. COS. III. NVRVI
FILIAE

L.FVLVII. PLAVTIANI. C.V

PONTIFICIS. NOBILISSIMI. PR. PR. NECESSARI
AVGG. ET. COMITIS. PER. OMNES. EXPEDITIONES. EORVM
T. STATILIVS. CALOCAERVS. NOMEN CL
CVM. STATILIO. DIONYSIO. TRIB. LEG. XVI. FLAVIAE
ET. STATILIO. MYRONE. DISSIGNATORE ^{fic}. SCAENAR
FILIIS. ET. STATILIO. DIONYSIO. DISCIPVLO. FICTORVM
PONTIFICVM. C. C. V. V. NEPOTE. SVO
AMPLA. BENEFICIA. DE. INDVLGENTIA
AVGVSTORVM. SVFFRAGIO. PATRIS. EIVS
C O N S E C V T V S

Antoninus Fulviam Plautillam ante annum vul-
garem cciii. uxorem non duxit, ut locuples testis
est Dio initio libri septuagesimi sexti ubi post nar-
rata Imperatoris Septimii Severi Decennalia eo
anno exhibita, inquit: *eodem anno celebratae sunt
nuptiae Antonini filii Severi, & Plautillae Plau-
tiani filiae*: qua de re erudite differit Pagius anno
eodem cxcix. num.v.

Haud absimili pacto, quandoquidem versor inter haec saxa, supplendam existimo septimam lineam detritam in voto dicato anno Dionysiano cxcvii.
pag.XLVI. 9.

HERCVLI. INVICTO. ET
^{fecit} DIBVS. OMNIBVS. DEABVS
^{fecit} Q. SACRVM. PRO. SALVTEM ^{fecit}
 IMP. L. SEPT. SEVERI. ET
 M. AVRELIO. ANTONI
 NO. CAESARI. AVG. NN
 ET. **L. FVLVIO. PLAVTI**
ANO. C.V. PR. PR. ET. TRI
 BVNIS. HELIO. MONIMO
 TREBIO. GERMANO
 EXERCITATORIBVS
 HELIVS. SABINIANVS
 AVR. TITIANVS. GENIO
 T. OPTATI. OB. REDITVN ^{fecit}
 NVMERI. VOTIS. FELI
 CISSIMIS. T. FLA. RES
 PECTVS. C. SEVERINV
 VITALIS. SECIVS. GE
 MELLINVS. PVDESASS ^{fecit}
 FE CE RVNT
 DEDIKAVERVNT
 V. IDVS. IVNIAS. LATE R
 ANO. ET. RVEFINO. COS

Resti-

Restitutionem *L. Fulvii Plautiani* & non *Getae* in quarta linea memorati Arcus triumphalis, alia certiora monumenta amplius confirmant. Etenim nummi Caracallae medii moduli & raritatis eximiae in aversa parte exhibent Arcum eundem cum tribus forniciis ea plane majestate, quam illum erigi jussit Senatus. Supra Arcum duo viri, *Severus* nempe & *Antoninus* currui, quem sex equi trahunt insidentes, utrinque vero duo equites, uno & altero pedite sequente, conspicuntur. Circum vero legitur *A R C V S . A V G G .* in area s.c. in antica parte est effigies Caracallae cum epigraphe *ANTONINVS . PIVS . AVG . PONT . TR . P . VII .* Ex hoc nummo olim Christinae Reginae, quem laudat etiam Franciscus Mediobarbus in suo Occone aucto pag. 287. Suaresius integrum Arcum, barbarorum & temporum injuria deformatum, restituit. Alium ejusmodi nummum aereum ex gaza Regis Christianissimi vulgavit Morellius in Specimine rei nummariae pag. 182. tabula xviii. In antica parte legitur *ANTONINVS . PIVS . AVG . PONT . TR . P . COS .* in postica idem Arcus & epigraphe ut supra. In hoc nummo non animadvertisit Morellius post verba illa *T R . P .* detritum esse numerum Tribuniciae Potestatis vi. qui integer supereft in alio nummo Musei Carthusiae Romanae. etenim Caracalla primam Tribuniciam Potestatem inierat anno cxcvii. & cxcviii. ut hic pro-

probat Pagius num. ix. Quare iidem nummi percussi sunt eodem anno , quo Severo & Antonino triumphantibus erectus est Arcus . Vaillantius in Nummis Imperatorum tomo secundo pag. 253. alium nummum argenteum Caracallae , eumque rarissimum adducit cum eodem Arcu & epigrapha
A R C V S . A V G G . Duplex litera G G duos tantum Augustos , Severum & Antoninum denotat , quibus Arcus erectus est : qui que foli in curru triumphali conspiciuntur , licet in Arcus inscriptio ne honoris caussa etiam Plautianus memoretur . Lapis ergo Colotianus a nobis suppletus inscribebatur Fulviae Plautillae , cuius nomen in prima linea , ut pridem observaverat clarissimus Perizonius , & in quarta ejus parentis FVLVI . PLAVTIANI detritum est : qui ibidem PONTIFEX . NOBILISSIMVS . PR . PR . NECESSARIVS . AVGG ET . COMES . PER . OMNES . EXPEDITIONES . EORVM appellatur . In altero Arcu in foro Boario , qui adnectitur Diaconiae sancti Georgii in Velabro , exstat inscriptio ab Argentariis eidem L . Septimio Severo , M . Aurelio Antonino , & Iuliae matri ejusdem Augusti & Castrorum dictata anno eodem , quo Arcus alter in foro Romano erectus est , nempe vulgari cciii . Hanc a Smetio descriptam recitat Gruterus pag . cclxv . 2 . ubi non solum integra quinta linea est abrasa , ut ibidem signatur ; sed etiam medietas tertiae , quod ibi
prae-

praeteritur , & ego proprius inspexi : idque patet ex depressione & cavitate marmoris , atque etiam ex spissis praeter morem characteribus , qui , paucis primis illis deletis , postea superpositi fuerunt , tanquam si ad prima verba referri deberent . In eadem vero tertia linea leguntur haec verba : IMP CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. PIO FELICI . AVG. TRIB. POTEST. VII. COS quibus postea verbis in spacio olim abrafo haec continuo spissis literis addita fuerunt III. P. P PROCOS. FORTISSIMO. FELICISSIMOQUE PRINCIPI. ET. Quando insculpta fuit inscriptio Antoninus erat Consul I. non vero III. hoc enim accidit anno vulgari ccviii. Quare haec ibi antea charactere ceteris confono legebantur : ET . L FVLVIO . PLAVTIANO . C. V. PR. PR. COMITI. AVGG. In quinta vero linea haec modo apparent : PARTHICI. MAXIMI. BRIT- TANNICI. MAXIMI. Nardinus , qui hanc inscriptionem inversam & depravatam exhibit in libro quinto capite decimo Romae veteris , nomen *Septimii Getae* iterum obtrudit , Spartiano , qui id ne somniavit quidem , in testem vocato . Sic quoque Johannes Petrus Bellorius in veteribus Arcibus Augustorum idem peccat dum ET. SEPTI- MIO. GETAE. NOBILISSIMO. CAESARI olim utrobique lectum fuisse libere affirmat . Sed quum quarta linea claudatur his verbis . IMP CAES

56 DE. ANTIQUITATIBUS. HORTAE

CAES. M. AVRELI. ANTONINI. PII. FELICI. AVG. utique in quinta olim abrafa , ubi ad ingens lineae spaciū implendum literae singulae mirum quantum inter se distant , Plautillae nomen hoc pacto legebatur : **VXORI. FVLVIAE PLAVTILLAE . AVG.** Caracalla *Britannici* nomen adsumpsit anno vulgari ccx. ex Pagio ad annum ccix. num.ii. Ideo ante hunc annum eidem inscriptioni abrasae superposita non fuit appellatio **BRITTANNICI**. quae quidem appellatio errore quadratarii , spaciū illud expunctū implere satagentis , litera **T** supervacanee geminata redundat : quam tamen Onuphrius Panvinius praetermisit in Commentario Fastorum libro secundo pag. 359. In lapide 4. cli. idem Caracalla vocatur **BRITANNICVS. COS. III. DES. IIII.** Is anno Christi ccxiii. **U. C. DCCCLXVI.** quarto annum aperuit teste Norisio in epistola Consulari pag. 127. ex lapide 2. pag. XLIV. Quare constat Caracallam anno ineunte ccxii. designatum fuisse Consulem iv. si designatio Consulum ordinariorum in annum sequentem ipso anni praecedentis initio fiebat , ut arbitratus est Pagius anno ccxii. num.ii. licet id Norisius improbasset . Quum autem occisus fuerit Plautianus anno vulgari ccv. ut supputat longe accuratissimus scriptor Sebastianus Tillemontius in nota xxv. ad vitam Imperatoris Severi tomo tertio historiae Imperatorum pag. 461. editionis secundae Parisiensis anni MDCCII.

quum-

quumque eadem litura facta non fuerit ante annum ccx. inde appareat statim post mortem Severi; quae contigit Eboraci anno vulgari ccxi. die iv. Februarii ex Tillemontio in Severo articulo xxxvi. nomen Plautiani jussu Caracallae ex publicis monumentis erasum fuisse: quod etiam liquet ex titulo **MAXIMI** praeter **BRITTANNICI** Caracallae postea adjuncto in supplemento liturae: quem **MAXIMI** titulum unus Severus antea gerebat. **BRITANNICVS** vero eodem anno, quo idem Severus, appellatus fuit, quando gessit Tribuniciam Potestatem xiii. anno U. C. dccccxcv. vulgari ccx. quod notat Pagius anno ccix. num. ii. Neque Severus erat ita infenso in Plautianum animo atque fuit Caracalla. Raphael Fabrettus de re lapidaria Romanorum sane meritissimus, in Inscriptionum capite decimo num. 107. elogium aliud recitat, in quo *Plautiani & Plautillae* nomina antiquitus abrafa fuerunt, licet ipse, vir alioqui oculatissimus, a Nardino fortasse deceptus, hanc notulam eidem adscripsit. *notanda abrasio nominis Getae*. Sed nunquid Getae nomen in eodem marmore duobus in locis, nulla ratione id flagitante, abradi poterat? Inscriptio autem, nisi mea me fallit opinio, utique hoc pacto supplenda venit:

FORTVNAE. AVG
 PRO. SALVTE. ET. REDITV
 DOMINORVM. N
 SEVERI. PII. FIL
 ANTONINI. AVG
L.FVLVII.PLAVTIANI.PR.PR
 ET. IVLIAE. AVG. M A T R I S
AVG. ET. FVLVIAE.PLAVTILLAE.AVG
 ANTONIVS. LIB
 PROXIMVS. A. LIBELLIS
 VOTO. SVSCEPTO

Sed jam tandem integrum inscriptionem illam sex
 continuis versibus constantem ab Argentariis dica-
 tam in Arcu fori Boarii, una cum nostro supple-
 mento exhibeamus, ut nobis ab hujusmodi erasio-
 nibus expeditis facilius properare liceat illuc unde
 diverteramus. In postremo versu charactere ceteris
 minutiori sunt tria verba peregrinum in modum
 disposita, quorum ordinem mutare duximus reli-
 gioni. nam Famianus Nardinus in loco superius
 indicato inde suspicatur aliquot ex iis Argentariis &
 Negotiantibus, qui Arcum exerant, ad solvendas
 ejus impensas conferre pecunias recusasse, ideoque
 ea verba ceteris addita post decretum illud jam fa-
 tum, ne illi, qui recusaverant, ad vendendas illic
 merces suas ante conlatam pecuniam admitterentur.

IMP.

IMP. CAES. L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTH. MAX. FORTISSIMO. FELICISSIMO

PONTIF. MAX. TRIBVNIC. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. PATRI. PATRIAE. ET

IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. PIO. FELICI. AVG. TRIB. POTEST. VII. COS. I. FVLVIO. PLAVTIANO. C. V. PR. PR.
COMITI. AVGG

IVLIAE. AVG. MATRI. AVG. N. ET. CASTRORVM. ET. SENATVS. ET. PATRIAE. ET. IMP. CAES. M. AVREL. I. ANTONINI. PII
FELICIS. AVG

VXORI. FVLVIAE. PLAVTILLAE. AVG

ARGENTARI. ET. NEGOTIANTES. BOAR. I. HVIVS. LOCI. QVI
INVEHENT. DEVOTI. NVMINI. FORVM.

Tij

Ur

IV. Ut ergo ad Hortanam inscriptionem revertar , quae me alio traxerat , praeter nudum nomen titulos quoque ipsos obliterandos de nullo unquam Imperatore decretum fuisse legimus , dempto Domitiano : atque hinc non solum ejus nomen deletum apparer apud Sponium in Miscellaneis pag. 353. apud Fabrettum capite quarto num. 158. & apud Gruterum pag.v. 2. XII. 2. & LXVIII. 1. Sed praeter ipsum nomen etiam tituli omnes deleti sunt pag.CCXLV. 2. & CCCXI. 1. propterea quod in publicis monumentis & omnium oculis expositis ii tituli viderentur , quemadmodum existit hoc nostrum marmor Hortanum . Hujus proinde lacunas , exemplum suggesteribus aliis inscriptionibus Domitiano dicatis , quibus contigit illud fatum evadere , praeципue vero CVIII. 1.2. CLV. I. CLXXXIX. 12. DLXXIV. 5. DLXXV. 1. ita supplendas esse arbitrarer .

I M P. C A E S A R I
D I V I. V E S P A S I A N I. F
D O M I T I A N O. A V G V S T O
G E R M. P O N T. M A X. O R
D O. E T. P O P V L V S. C O L O N I
A E. F A L I S C O R V M. C V
R A N T E. T Y R I O. S E P T I M I
O. A Z I O. V. P. C V R. R. P. D E V O
T I. N V M I N I. M A I E S T A T I
Q V E. E I V S

Notas post nomen Tyrii Septimii Azizi sic interpretor *Viro perfectissimo CVRatore Reipublicae.* perperam enim apud Massam & Gruterum legitur in octava linea C.V.R. quae puncta in lapide ipso non comparent. Sic apud eundem Gruterum pag.xlv. 2. videre est CVR. R.P.PISaurensium & FANestrium pag. ccclxxxi. 1. CVR. R. P. TEANENSIS. CVR. R.P. TARRICINENSIS. & pag. cccciv. 7. *A. Egnatius CVRator R. CONCORDiensis.* Scio equidem *Viros Perfectissimos* nunquam frequentius auditos fuisse quam tempore Constantini Magni, quem tres Perfectissimorum classes divisisse putat Guido Pancirolus in Commentario ad Notitiam Imperii capite tertio: de quorum tamen auctore nihil definit Jacobus Gothofredus in notis ad Codicem Theodosianum libro sexto tit. xxxvii. Horum primi erant Praefides seu Rectores provinciarum: secundi munere aliquo perfuncti: tertii honorarii, qui codicillis eam dignitatem impetraverant: quae tamen his postremis nequicquam proderat ad fugam munerum, a quibus tam publicis, quam curialibus immunes erant secundi. Gothofredus animadvertisit hos omnes his notis signari solitos V. P. vel ordine inverso P. V.

V. Attamen fatetur eruditissimus Pancirolus eorum originem Constantino antiquorem videri, neque constare quando inventi fuerint

Per-

Perfectissimi : quod etiam Gothofredus affirmat . Et quidem Fabrettus in superius laudati Syntagmatis capite quarto sub num. 169. deprehendit in lapide Gruteriano *Marcellinum Virum Perfectissimum* sub Gallieno, & Lupercum sub Maximiano, in quo tamen siglae paullo aliter apparent nempe V. PERF. His subinde & reliquis antiquissimam inscriptionem ipse adducit num. 170. Herculi dicatum Alexandro Augusto II. & Marcello Coss. anno scilicet ccxxvi. in qua VV.PP. memorantur, & eam dignitatem his vetustiorem adhuc existere puto ex Codicis Justiniane libro nono tit. xli. L. xi. ubi Diocletianus narrat M. Antoninum decreuisse ne filii Perfectissimorum Virorum poenis Plebejorum afficerentur : ex quo videntur Perfectissimi etiam ultra M. Antoninum ad Domitianum usque reduci posse : quem Imperatorem mihi verosimile fit Hortae aliqua de causa moratum fuisse quando illi proxima Faliscorum Colonia istud publicum honoris signum dicavit . Hortae vero in solo alieno Falisci inscriptionem illam erexit propterea videntur quod utrique cum vicinis populis inter se essent Foederati . Certe Capenates , qui ad vicefimum primum ab Horta lapidem , & ad decimum a Faliscis sub Soracte monte , Leprignani prope Morlupum & non alibi , steterunt , in literatis lapidibus ibidem effossis apud Fabrettum capite quarto num. 529. & capite decimo num. 99. Foederati

derati appellantur. *Foederati* vero dici forte potuerunt non tam quod suis institutis & legibus, suisque magistratibus regerentur, & *foederis* cum Romanis tempore deditio[n]is initi conditionibus, aut praescripti pecuniae modi praestatione, vel certo militum numero Remp[re]publicam juvarent: quae erant *Foederatorum* privilegia, teste Petro de Marca in Marca Hispanica libro secundo capite quarto num. iv. verum etiam quod una cum vicinorum urbium populis societatem iniisset, puta cum Faliscis, Hortanis, & Lucoferonensibus, quorum opidum erat sub Soracte, ut notat Lucas Holsteinius ad Italiam Cluverii pag. 61. in eam rem vetus saxum adducens. Quinque urbium *foederatarum*. regionem sive Pentapolim in istis partibus stetisse nonnulli quidem affirmarunt ex Martyrologio MS. sancti Petri Tuscanellae, & ex actis ineditis sancti Ptolemaei episcopi Nepesini, in quibus semel atque iterum memoratur *Pentapolis Tusciae*: quam Nepesinam urbem, vel ejus nominis regionem ex quinque urbibus conflatam interpretantur; sed quae-nam fuerint vel ubinam steterint non liquet. nam Nicolaus Nardinus Famiani filius in libro Italico, quem appellavit Cathedram episcopalem sancti Ptolemaei Nepesini, vix quicquam in rem suam bonae frugis adduxit. Tillemontius autem in no-ta III. ad Persecutionem Neronis tomo secundo pag. 495. propterea quod hanc *Pentapolim* veteres omnes

omnes silentio praeteriissent , an alicubi unquam exstiterit dubius haesit . Sicut vero in oriente variae erant Pentapoles , quas geographi norunt , eodem pacto in Italia non una Pentapolis ex posterioris aevi scriptoribus erui posse videtur . Ab Anonymo Ravennate libro quarto Geographiae pag. 199. *Pentapolis* ad mare Adriaticum memoratur , sed verbis tam barbare confusis , ut crucem fixerint ejus editori Placido Porcheronio . Verba Anonymi haec sunt : *ad mare magnum Adriaticum est provincia Flaminia Ravennatis : item Annonaria Pentapolensis : est super ipsam Pentapolim , id est provincia Castellorum* . Porcheronius se ignorare ait *Annonariam Pentapolensem* aequa ac *Provinciam Castellorum* . Trebellius Pollio in Tetrico seniore meminit *Annonariae regionis* , de qua mire disputant critici . Haec non minus quam *Annonaria Pentapolensis* utique est Picenum annonarium Flaminiae proximum , cuius caput erat Ancona . Hinc Pentapolitanam provinciam jure in Piceno locat Norisius in Dissertatione de Sy-
nodo v. capite quinto pag. 46. editionis Patavinæ . Quaenam vero fuerit *provincia Castellorum* statim patebit . In Concilio vi. CP. apud Labbeum tomo sexto col. 705. laudantur sex urbes episcopales *provinciae Pentapolis* , nempe *Ariminum* , *Pisaurum* , *Fanum* , *Numana* , *Auximum* , *Ancona* . Ariminum urbs Flaminiac videtur antiquae

Penta-

Pentapoli superadditum. In eodem Concilio vi.
col. 708. *Ravenna* est extra Pentapolim quomodo
cam agnoscit etiam Anastasius in Zacharia ubi no-
minat populum *Ravennae*, & civitatum *Penta-*
poleos & *Aemiliae*. Idem Anastasius in Grego-
rio II. loquens de Leone Isaurico Iconomacho haec
habet: *permoti omnes Pentapolenses*, atque *Vene-*
tiarum exercitus contra Imperatoris jussionem re-
stiterunt. Infra vero ait *Langobardis Aemiliae*
CASTRA, *Pentapolim quoque & Auximum se*
tradidisse. Quare provincia *Castellorum supra*
Annonariam Pentapolensem sita, cuius meminit
Anonymous Ravennas, est Aemilia, quam *CASTRA*
habuisse testis est Anastasius. Haec *CASTRA Aemi-*
liae nominatim recenset Paullus Diaconus nostras
in libro sexto de Gestis Langobardorum capite
quadragesimo nono. Anno DCCLVI. quo Pippinus
Regem Aistulphum ea omnia, quae Romanae
Ecclesiae violenter abstulerat, reddere compulit,
Ravenna adhuc erat extra Pentapolim, ut testan-
tur coaevi scriptores ab Andrea Duchesnio vul-
gati in tomo secundo collectionis historiae Fran-
corum. etenim Tilianus & Loiselianus Annaliste
pag. 12. & 26. scribunt eundem Pippinum *Raven-*
nam cum Pentapholi conquisivisse & sancto Petro
tradidisse. Idem habet Eginhardus & Anonymous
Fuldensis pag. 235. & 534. quae mire confirmat
idem Paullus Diaconus in libro secundo capite

undevicesimo scribens, quod in Flaminia est *Ravenna*, & quinque aliae civitates, Graeco vocabulo *Pentapolis dictae*. Picenum annonarium & Flaminia unicum constituebant provinciam secundum divisionem Constantini Magni, quam Carolus Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum cum reliquis divisionibus confert anno DCCLV. num. LXXIII. Ubi vero Paullus Diaconus jam a nobis laudatus in divisione Italiae, quam protulit libro secundo capite nono & sequentibus, in duodecima regione Flaminiam, in decima tertia Picenum constituit; hic intelligit Picenum *suburbicarium*. etenim Picenum *annonarium* sub nomine *Flaminiae* comprehendit; ideoque in eadem sua divisione illud neutiquam nominavit. *Ravennatem Pentapolim* memorat Nicephorus Patriarcha CP. in Breviario historico pag. 23. editionis regiae: & Paullus Diaconus in Historia Miscella libro undevicesimo pag. 601. editionis Canisianae *haud procul ab urbe Ravenna Pentapolim* collocat. Carolus Singtonius in libro primo de Regno Italiae ait *Pentapolim* fuisse partem Piceni, in qua *Senogalliam* reponit, *Numanam* & *Auximum* reticet. Haec scriptorum varietas in adsignandis Pentapolitanae provinciae urbibus, inde orta est quod numerus quinque foederatarum civitatum eo creverit, ut duas Pentapoles five *Decapolim* fecerint, cuius caput fuit postea Ravenna, ut ajunt literae Gregorii II.

in

in Conciliis Labbeanis tomo septimo col. 19. Ludovicus Pius in diplomate, quo donationem Pipini avi sui confirmavit, quodque multi olim ediderunt, ut dicam in fine capitum sequentis, numerum Decapoleos ad Decapentapolim auxit, sive ad tres Pentapoles in Piceno constitutas. ait enim se confirmare Paschali Pontifici, & ejus successoribus praeter Exarchatum *simul & Pentapolim*: *vide-licet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Numanam, Aesum, Forum Sempronii, Montem Feretri, Urbinum & territorium Balnense, Calles, Luceolos, Eugubium cum omnibus finibus & terris ad easdem Civitates pertinentibus*: unde patet ortum versus nihil ad Pentapolim pertinuisse trans Musonem, cuius sinistram ripam adjacet Auximum. Hieronymus Rubeus in Historia Ravennate libro quarto pag. 223. editionis secundae gratis affirmat Ravennam, Caesenam, Classem, Forum Livii & Pompilii civitates in Pentapoli contentas fuisse: ipsamque insuper urbem Ravennatem ab aliquibus Pentapolim dictam propterea quod partes quinque eam constituerent.

VI. Jam vero quod superest elogii Hortani explicare pergamus. Quis fuerit CVR. R. P. nempe *Curator Reipublicæ*, egregie, ut omnia, docet Jacobus Cujacius ad L. ultimam de officio Adfessor. lib. 1. Responsorum Papiniani pag. 6. ubi reiicit

Accursum putantem Curatorem Reipublicae esse Procuratorem fisci vel Caesaris : quum tamen haec duo munera inter se maxime distinguantur ; nam *Respublica* hoc loco accipitur pro qualibet civitate fundata legibus . Quare *Curator Reipublicae* est Curator civitatis cujuscunque , & dicitur etiam *pater Civitatis* innumeris locis in jure , Graece autem λογητὸς , ut ait Gordianus Imperator in Codicis Justiniane libro primo titulo L. Idem Curator Reipublicae jus dicebat inter civitatem & privatum , & decidebat caussas tantum pertinentes ad Rempublicam . Quum proinde jurisdictionem haberet , magistratus utique erat , necnon unus ex Decurionibus : vectigalia locabat , vias curabat , caussasque Reipublicae agebat apud Praesidem vel Principem , ut alibi scribit Cujacius in tit. de Judiciis libro primo Digestorum L. 2. §.ultimo . Quumque Tyrius Septimius Azizus fuerit Vir Perfectissimus & Curator Reipublicae , ego in ea sum sententia , ut illum ex Perfectissimis illis fuisse reputem , qui postea secundum genus Perfectissimorum constituerunt : qui nimirum ad eam dignitatem per honorum civilium gradus adscenderit : quique deinde transferit ad exercendum munus Curatoris Reipublicae & Coloniae Faliscorum , ab Imperatoribus dari solitum , ut patet ex lapide Grutiano cccvi. 3. ad quem quum pertineret quoque de pecuniis & operibus publicis , ut observat Cujacius

cius in librum decimum Codicis Justinianeи tit. XLIII.
L. 3. ideo ipso CVRANTE nostra inscriptio dicata
fuit Domitiano Imperatori ab *Ordine & Populo*
Coloniae Faliscorum.

VII. ORDO vero ET POPVLVS sunt Decuriones, qui in Coloniis idem erant ac Romae Senatores. Hinc legitur pag. CCCLVII. 6. SENATVS P. Q. TIBVRS pag. CCCCLXIII. 3. S. P. Q. NOLANus. Verum pag. MLXXXVI. 3. 4. ORDO POPVLVSQVE. NOLANVS. quo fane nomine municipalis Senatus vulgo nuncupabatur, ut ex rescriptis Caesareis in utroque Codice servatis eruitur. Apud Gruterum inscriptio 6. pag. xix. est hujusmodi.

P R O . S A L V T E
C O L O N I A E . E T . O R D I N I S
D E C V R I O N V M . E T . P O P V L I
T V D E R T I S &c.

Haud dissimilem inscriptionem Corae Volscorum opido repartam Johannes Vignolius V.C. nuper vulgavit cum Dissertatione de Columna Antonini Pii pag. 319.

T I . C L . T I . F I L I O . R O M
I V S T O
O M N I B V S . H O N O R I B V S . C O R A E . F V N C T O
O R D O . E T . P O P V L V S . C O R A E . O B . B E N E M E R I T A
E I V S

Decu-

Decuriones Coloniарum , qui in curia sententia m-
dicebant , non Patres , ut qui Romae aderant in
Senatu decreta condentes ; sed tantum *Conscripti*
appellabantur . Quare in tabula Tarragonensi
ccccxliii. 6. legitur *placere VNIVERSIS . CON-*
SCRIPTIS . & pag. CCCCLVI. placere CONSCRI-
PTIS : quae erat formula in condendis decretis
Coloniарum usurpata . etenim ex usitatis decernen-
di formulis haec prima erat : *placere Senatui : plac-*
cere ordini, ut videre est apud Barnabam Brissonium
in libro secundo de Formulis pag. 215. Sicut vero
Senatus ac plebs Romae , ita & in Coloniis & mu-
nicipiis separatim discernebantur : quod ex vetustis
monumentis animadvertisit eorum interpres accu-
ratissimus Norisius in Cenotaphiis Pisanis differ-
tatione prima capite tertio . Hinc in lapidibus Spo-
letinis apud Philippum Cluverium Italiae antiquae
libro secundo pag. 633. ORDO . SPOLETINO-
RVM . DECVRIONES . ET . MVNICIPES .
Exstat edictum insigne apud Gruterum ccxxviii. 8.
ubi legitur DECVRIONES . ET . POP . CENE-
Tensis . Est Ceneta urbs in agro nostratium Vene-
torum , cuius hoc lapide antiquius testimonium non
supereft . Pag . cccclxv . 5 . occurrunt DECVRIONES
ET . PLEBS . COLONIAE . ASCVLANORVM
item 6 . DECVRIONES . ET . PLEBS . COLO-
NIAE . ANCONITANORVM . ex quibus in-
fertur in Coloniis Decurionum decretis scita populi
& ple-

& plebis adjuncta fuisse, ita quidem ut & ipsa plebs sententiam rogaretur. Hoc fuse Norisius prosequitur, adnotans in Cajano Cenotaphio plebem & populum nomine *Colonorum* sejunctim a Decurionibus designari. Idem populus *Civium* nomine exhibetur in lapide Narniensis Coloniae pag. ccclxxxvii. 2. quem hic integrum lubet adscribere prout emendatiorem produxit Jacobus Sirmundus in Propemptici libro primo pag. 73. quod facimus in gratiam amici nostri Vespasiani Montini Canonici patriae ecclesiae Narniensis.

P V B L I O . C E I O N I O

I V L I A N O

CORRECTORI . T U S C I A E . E T . V M B R I A E
 OB . INSIGNIA . EIVS . GESTA . E T . IN LVSTRE
 ADMINISTRATIONIS . MERITVM
 ORDO . NARNIENSIVM . VNA . CVM
 CIVIBVS . STATVAM . CONLOCAVIT
 PATRONO . DIGNISSIMO .

Haec eadem inscriptio non nihil immutata, quasi ab hacce diversa male geminatur pag. cccclx. 4. Est Narnia ad octavum a Colonia Ortana lapidem, fuitque in Tribu Scaptia descripta ex tabula 2. cccccxlili. Forte in eadem urbe residebat Consularis Tusciae & Umbriae, *Corrector* appellatus: per quem magistratum tres illae provinciae regebantur,

tur , nempe Umbria & utraque Tuscia , *annonaria* , & *suburbicaria* . Inde post Theodosium Tusciae suburbicariae suum datum *Consularem* sic dictum animadvertisit Claudio Salmasius in Eucharistico pag . 174 . ex Novella Leonis & Majoriani de adulteriis , quae inscripta est *Rogatiano Consulari Tusciae suburbicariae* . Sed hoc ante Salmasium adnotaverat doctissimus popularis noster Hieronymus Aleander junior in dissertatione prima de Regionibus suburbicariis capite tertio pag . 29 . Populi consensum Decurionum decretis adstruit praeterea marmor 2 . pag . cccclxxxiv .

ORDO . VOCONTIORVM . EX . CONSENSV ET . POSTVLATIONE . POPVLI

Haec P O S T V L A T I O exprimitur etiam pag . cccccxxiii . 6 . & cccccxxxi . 1 . Postulare autem est desiderium suum vel amici sui in jure apud eum , qui jurisdictioni praest exponere , vel alterius desiderio contradicere L . 1 . § . postulare D . de postulan . nam his verbis : qui jurisdictioni praest , Praetorem magistratuque aut potestate praeditum , significari constat , ut pluribus ostendit Brissonius in libro quinto de Formulis pag . 447 .

C A P U T . I V

S Y N O P S I S

- I. *Falisci Etruriae cum aliis male confusi.* II. *Varia nomina & situs Coloniae Faliscorum.* III. *Fescennium, & poesis inde dicta.* *Veii locus suus adsignatus.* IV. *Opidum Faliscorum non est Galesum, sed Civitas Castellana.* V. *Quando interierit.* Strabo explicatus. VI. *Graciliani & Felicissimae martyrum acta perpenfa.* VII. *Castrum Amerinum a via Amerina denominatum.* *Ameriae antiquitas.* *Quid Castellum in constitutione Ludovici Pii?*



U A E N A M fuerit Colonia Faliscorum in lapide Hortano memorata hic fortasse non abs re erit investigare, quum de illa celeberrimi auctores peregrina omnino, ne dicam prodigalia in lucem ediderint: etenim Hubertus Goltzius in

Magna Graecia tabula xxxv. & xxxvi. postquam exhibuisset nummos ΦΑΛΕΙΩΝ (digammate Aelico inverso) nempe *Falejorum*, subinde pag. 311. hos *Falejos* conflavit cum *Faliscis Argivorum Colonis* in *Etruria* sitis, & proinde omnia, quae ad hos *Faliscos* spectare noverat, ad *Falejos* illos Magnae Graeciae transtulit, miraculo quidem supra-*Amphionis* artem mirando: quem *saxa non urbes*

sono testudinis & prece blanda movisse fictis fabulis tradiderunt Poetae. Ab hoc monstro erroris sibi non cavit U. C. Johannes Harduinus in Nummis antiquis Populorum & Urbium pag. 170. ubi laudatis nummis Falejorum ex Goltzii Magna Graecia , eosdem nummos Faliscis illis accommodavit , qui Halesum Argivum conditorem habuerunt : utque clarius audiretur , se loqui dixit de Faliscis illis , qui steterunt ubi nunc est Civitas Castellana ad Tiberim , Hortam inter & Romam . Nec propterea scriptor acuti ingenii hinc agnovit quam longe abessent hi termini a Magna Graecia , cui nihil omnino cum Etruria , ubi steterunt Falisci . Demiror ab eadem alucionatione occupatum magni nominis antiquarium & ceterorum veluti principem Ezechielem Spanhemium in dissertatione secunda de Praestantia & usu numismatum pag. 107. novae editionis Londinensis . Istos vero Falejos Magnae Graeciae praeterquam in nummis Goltzianis apud nullum auctorem memoratos reperio , nisi forte sint Falisci illi , quos cum Nolani & Abellani , Chalcidensium Colonos vocat Trogi breviator Justinus libro vicesimo capite primo , videaturque locare in Campania : inter quos Faliscos & Nolanos in nonnullis codicibus inseri Japygios Magnae Graeciae testatur Johannes Schefferus .

II. Faliscorum Coloniam, *Falerios, Falerium, Faliscos, Faliscum, Aequum Faliscum, & Junoniam*

niam a veteribus appellatam observat Cluverius in Italiae antiquae libro altero capite tertio pag. 537. quanvis scriptores latini opidum ipsum semper *Falerios*, agri vero incolas & opidi cives *Faliscos* dixerint, & agrum ipsum *Faliscum*: immo & Graeci, nam Dio in Excerptis Valesianis pag. 580. urbem vocat *Falerios* & ejus populos *Faliscos*. Quare longe aberrarunt Stephanus in libro de Urbibus, Strabo libro quinto, & Solinus capite octavo, qui uni ex veteribus *Falerios* & *Faliscum* duo diversa opida fecerunt, quum tamen ex multis Livii testimoniis, quae recitantur a Cluverio, exploratissimum fiat, Romanos, qui inde tantum ad triginta circiter passuum millia distabant, unde Faliscorum ager *haud procul ab urbe Roma* dicitur a Plinio libro septimo capite altero, opidum ipsum semper appellasse *Falerios*, agrum vero & populos *Faliscos*: quorum regio brevis alioquin & admodum angusta, non ad lacum Vulsciensem & Montem Flasconum, quod aliqui fabulantur, sed intra Tiberim & Ciminium montem stetit, ut recte docuit Antonius Massa. Atque hic juverit animadvertere stetisse *Faleriam* urbem etiam in Piceno, cuius incolae vocabantur *Falerienses ex Piceno* ut eruitur ex inscriptione Gruteriana pag. MLXXXI. 2. quanvis Cluverius libro secundo capite undecimo pag. 739. de illius sinceritate dubitare visus sit. Quemadmodum vero prius Graeci auctores, ita posteriori aevo

latini , Orosius , Paullus Diaconus & Freculphus opidum appellarunt *Faliscum* & plurali numero *Faliscos* : unde Massam facile fuit alucinari putantem *Falerios* & *Faliscum* duo opida fuisse , ubi scripsit patriam suam Galesium esse opidum Faliscorum : quod tamen ex Fescennii ruderibus conditum credit Cluverius pag. 551. quod si verum est , haud recte idem Massa Galesium suum locat in Faliscis : a quibus Fescenninos gentem diversam faciunt veteres scriptores , & potissimum Virgilius libro septimo Aeneidos vers. 695.

Hi Fescenninas acies , aequosque Faliscos .

III. Ab hac urbe Fescennina versus ejusdem nominis apud antiquos scriptores famosi habentur . Horatius enim epistola prima libri secundi duo genera vetustissimae & adhuc nascentis poeseos enumerat : alterius , qua vtebantur in Deorum laudibus , alterius vero , quam usurpabant ubi per ludum & jocum convicia sibi dicebant , nam

*Fescennina per hunc inventa licentia morem ,
Versibus alternis opprobria rustica dicit .*

Hos versus *Fescenninos* temere compositos excepit Satyra , teste Livio libro septimo capite altero . Festus , qui scribit ex Fescennina urbe eosdem prodidisse , illos deinde , qui a puerorum multitudine nubentibus canebantur , *Fescenninos* etiam dictos affirmat , quia omnium lasciviarum & opprobiorum plenissimi erant . Servius autem Danielis in

librum

librum septimum Aeneidos haec habet: *Fescennium opidum est ubi nuptialia inventa sunt carmina*. Idem habent Acron & Porphyron Horatii scholia. Alii vero, inter quos Franciscus Bernardinus Ferrarius de veterum Acclamationibus libro sexto capite vicesimo tertio, & Dantis defensor Jacobus Mazzonius libro secundo capite tricesimo nono, eandem poesim sic dictam putaverunt *a fascino*, quod arcere crederetur: quasi nimirum ab urbe *Fescennio* dici non potuerit eo modo, quo *Atellana* poesis ab *Atella* urbe nomen accepit. Lilius Gyraldus in dialogo primo de historia poetarum existimat Fescenninos versus fuisse quales sunt Glyconii Catulli: & forte Glyconium illud Catullianum LXII. in hoc genere Fescenninorum reponendum erit, Catullo ipso etiam id significante iis verbis:

*Neu diu taceat procax
Fescennina locutio.*

Non unus quidem putavit Fescennium stetisse ubi nunc est Civitas Castellana, nulli tamen certo auctori innixus, ut fatetur Massa: quo pacto etiam certissimum est ibi non fuisse Vejos, quod ab aliis est imprudenter asseveratum: qui ab eodem Massa ideo refutantur, uti etiam a Cluverio, a Luca Holstenio, a Famiano Nardino, & post omnes a Raphaele Fabretto in Inscriptionum capite tertio num. 606. ubi ex veteri marmore Uejentano quod

quod protulerat eodem capite num. 324. effossum in meditullio ambitus moeniorum & rupium , munitionem olim constituentium juxta templum Junonis Argivae , ipse verum situm Vejorum designavit in colle inter Cremeram fluviolum , vulgo *la Valca* , & insulam Farnesiorum : ad quem locum Vejorum prisca via cognomento Vejentana a Cassia deduēta , ut signatur in Tabula Peutingeriana , hodie adhuc dirigitur : cuius quidem viae deflexum idem Fabrettus ad sextum lapidem deprehendit , & redditum in viam Cassiam post alia tria a Veiis milliaria . Jacet locus ille Vejorum , ut nunc res sunt , ad decimum ab urbe lapidem : quod intervallum optime convenit *centum stadiis* Dionysii Halicarnassei libro secundo capite quinquagesimo quarto , & duodecim mille passibus Tabulae itinerariae , a veteri urbis Romae amplitudine ductis . Est vero prope diverisorum vulgo *la Storta* , ubi clarissima vestigia magnae urbis apparere animadvertisit Holstenius in notis ad Cluverium pag. 55. ibidemque Flavius Chisius Cardinalis loci illius dominus miranda antiquorum marmororum fragmenta , bases , statuas , columnas , aliaque olim effodi curavit .

IV. Falarienses ruinas Faleriorum opidi vestigia arbitratus est Massa , vel inde se eyicisse putans Galesium esse opidum Faliscorum quod ab Haleso Argivo Faliscae gentis auctore H adspiratione

tio in G literam transfierit: cuius argumenti levitatem, ex Servio ad librum septimum Aeneidos mutuatam, quanvis adprobare visus sit vir intimae eruditionis consultissimus Ezechiel Spanhemius de Praestantia & usu Numismatum dissertatione secunda pag. 108. novissimae editionis; illam tamen auctoritas Geographi Ravennatis, scriptoris omnium antiquissimi, qui ejus urbis meminerit, penitus evertit: hic enim non *Gallese*, ut recenter nunc audit, sed *Galenese* eam urbem appellat libro quarto pag. 214. & Anastasius in vita Gregorii III. *Gallienium* castrum, sicut & Blondus pag. 311. quae quidem appellationes nullam aut parvam, habent analogiam cum *Haleso*. His accedit, quod Massa fateatur, nullum antiquitatis vestigium, Galesii superesse, & quod Strabo libro quinto locet opidum Faliscum *prope viam Flaminiam inter Oriculos, & Romam*: at Galesum situm est inter Tiberim, Ortam, & Faleriae ruinas procul a via Flaminia, septem millia passuum a Civitate Castellana, totidemque ab Horta remotum. Quare situs Faleriorum alibi est investigandus: quem digito indicare videtur Zonaras in Annibus libro octavo num. xviii. elegantissimae editionis Cangii, ubi quum loquutus fuisset de bello Faliscis per Romanos illato, Manlio Torquato agrum illorum vastante, haec subdit: Τερρον μεν αρχαια πόλις εις οὗτος ἐρυμνὸν ιδευμένη, κατε-

σκάφη. ἐτέρα δὲ ωκεανήθη ἔνεφος : tandem etiam antiqua urbs (nempe Faliscorum) in arduo sita monte eversa, aliaque condita in planicie, oppugnatu facilis. Haec neque Galesio, neque Falari quicquam conveniunt, sed tantum Civitati Castellanae nunc dictae, ut optime animadvertisit Cluverius pag. 540. & Holstenius in notis pag. 57. & 59. Urbem autem in planicie conditam uterque eam esse opinatur, quae circiter duodecim millia passuum inde aberat in via antiqua silicibus strata, quae Amerina est, ut observat Holstenius: cuius urbis ingentes ruinae hodieque visuntur, nomenque *Falari* adhuc retinet. Hac postea destructa, quod per Albericum Marchionem Tusciae accidisse anno nongentesimo & decimo septimo sine ullo testimonio asserit Massa, incolas iterum se recepisse ad antiquos Falerios Holstenius existimat, tanquam ad munimentum, sive castellum, atque inde *Civitatis Castellanae* nomen loco indidisse: quod verosimile etiam Massa arbitratus fuerat. Hoc quidem confirmari videtur testimentiis Plutarchi in Camillo, & Zonarae libro septimo num. xxii. qui Falerios vocant πόλιν ἐρυμνην', nempe urbem natura munitam. nam Civitatem quoque *Castellanam*, locum natura satis munitum appellat Anonymus MS. Vaticanus in vita Paschalis II. apud Caesarem Baronium in Annaibus ecclesiasticis sub anno m. c. num. xx. quae memo-

memoria hujus nominis *Civitatis Castellanae* non est tamen omnium antiquissima, ut taceam de Massa, qui vetustiorem non invenit ea, quae est apud Platinam in vita Hadriani IV. anno MCLV. nam *Rodoricus episcopus Castellanae* (nimirum ecclesiae) post episcopos Amerinum & Nepesinum subscriptis Synodo Romanae sub Leone IV. apud Holstenium in Collectione Romana parte altera pag. 116. ubi quum etiam legatur *Johannes episcopus Falaritanae*, hic tanquam alias ab eodem episcopo Faleriorum sive Civitatis Castellanae referendus est ad Falaria in Piceno : quae item civitas fuit episcopal, teste Baronio in notis ad Martyrologium Romanum die XII. Augosti : ad quam proinde amandandi sunt illi episcopi, quos nominat Holstenius in notis ad Cluverianam Italiam pag. 57. fecus ac ille arbitrabatur. Demum in actis inventionis & translationis corporum sanctorum Abundii & Abundantii factae anno millesimo primo jussu Ottonis III. Imperatoris Crescentianus episcopus sanctae *Castellanae ecclesiae*, atque etiam ipsa *Civitas Castellana* nominantur pag. 28. historiae eorundem martyrum editae Romae anno MDLXXXIII. a Collegio Romano Societatis Jesu typis Francisci Zannetti.

V. Quo tempore urbs Faleriorum diruta sit, & Falaris aedificata, quum Zonaras id non expresserit, certo definire non licet, nisi quod inclinante

Imperio post cruentas illas Christianorum perse-
quitiones id ego factum opinor . non enim moror
Famianum Nardinum , virum alioqui in antiqui-
tate eximie peritum , dum in libro , quem inscri-
psit *l' Antico Vejo* , parte secunda capite quarto ita
accepit verba Zonarae , ac si diceret Falerios de-
structos fuisse a Manlio Torquato ; quum parti-
cula *tandem ὑσερον* luculenter ostendat ab Histo-
rico tradi eam ruinam accidisse longo tempore post
Manlium , qui eam urbem subegit anno U.C. DXII.
ut patet ex Fastis Capitolinis apud Gruterum
pag. ccxcvii. neque *Ordo επος Populus* ejusdem
Coloniae Faliscorum monumentum dicare potuif-
sent Imperatori , si eorum urbs pridem interiisset
florente Republica . Quod si vero in Itinerario An-
tonini nulla Faleriorum fit mentio , id neutiquam
factum est propterea quod tunc , quando conscrip-
tum fuit Itinerarium , illi non starent ; sed quia non
erant in ipsa via Flaminia , quam percurrit Itinera-
rium . Stabant vero inter Oriculos & Romam ubi
eorum situm designaverat Strabo : επὶ τῇ φλαμνίᾳ
οὗτοι κείμενοι μεταξὺ Οκρίσλον , καὶ Ρώμην : hoc est
Faleriorum opidum *positum est juxta viam*
Flaminiam inter Oriculos , επ Romam , ubi ni-
mirum occurrit Civitas Castellana ; non ergo ubi
exstittit Falaris , procul scilicet in via Amerina , quae
una fuit ex novem viis militaribus , non secus ac
rami suo stipiti , viae Flaminiae cohaerentibus , ut
in

in laudatissimo opere de publicis & militaribus Imperii Romani Viis adnotavit Nicolaus Bergerius libro tertio sectione vicesima secunda num. 9. in Graeviano Thesauro Antiquitatum Romanarum tomo decimo pag. 287. Eandem viam Americanam per medium Falarim transisse suis oculis vidit Holstenius, ut testatur in notis ad Cluverium pag. 59. In hac autem nostra explicatione loci Strabonis particulam $\varepsilon\pi\acute{\iota}$ non pro *in*, sicut in vulgatis interpretationibus legitur, sed pro *apud*, *juxta*, *prope*, accipimus, sive pro Graeca particula $\pi\alpha\varphi\acute{\alpha}$, pro qua illam in oratione numeris soluta interdum usurpari suo exemplo docet Thucydides: quare ejus Scholia in librum tertium capite sexto num. VIII. pag. 151. novae elegantissimae editionis Oxoniensis per Johannem Hudsonium adornatae, $\varepsilon\pi\acute{\iota}$, inquit, $\alpha\pi\tau\acute{i}\tau\acute{o}\nu\pi\alpha\varphi\acute{\alpha}$. Idem Thucydides in libro secundo capite tricesimo secondo pag. 102. $\varepsilon\pi\acute{\iota}$ Λοχροῖς τοῖς Οὐπυντίοις νῆσος, *insula juxta Locros Opuntios*, vel *Locris Opuntiis finitima*; & libro tertio capite undecentesimo pag. 205. $\varepsilon\pi\acute{\iota}$ τῷ Αἰληκὶ ποταμῷ *juxta flumen Halecae*. Hinc alucinatur doctissimus Cluverius pag. 544. Italiae antiquae, ubi explicans eundem locum Strabonis, totus in eo est, ut illam particulam $\varepsilon\pi\acute{\iota}$ pro *in* tantummodo accipiendam mordicus tueatur. Ceterum antiquus viae Flaminiae ductus transibat Tiberim duobus M. P. sub Civitate

Castellana , atque opido Galesio usque ad pontem Augusti : quem veterem ductum Sixtus V. & Clemens VIII. Pontifices maximi , ut nunc est mutari jusserunt , teste Holstenio in notis ad Cluverium pag.58. Licet vero ex his neutiquam eliciatur urbem Faleriorum jam solo aequatam fuisse dum viveret auctor Itinerarii Antonino attributi , nempe aevo Symmachi & Rutilii Numatiani circa finem saeculi quarti , quae est eruditissimi Casparis Barthii sententia Adversariorum libro quadragesimo quinto capite decimo tertio ; attamen ex Ammiano in libro vicefimo tertio capite quinto colligitur jam multo ante annum CCCLXIII. eam fato cessisse ; siquidem ibi Julianus Imperator ita loquitur : *Faliscos ita oppressit (Mars) & Venjos , ut suadere nobis laboret monumentorum veterum fides , ut has Civitates aliquando valuisse credamus :* quae verba tantum non exscripsit Jornandes in libello de Regnorum successionibus , pro *valuisse* , supposito verbo *fuisse* , quod forte in urbe Faliscorum sexto saeculo , quo scripsit idem Jornandes , nihil antiqui amplius superesset . Ejusdem viae Flaminiae ductum , qui obliquo & sinuoso itinere prope Civitatem Castellanam flexitur , nunc magno viatorum commodo & urbis ipsius emolumento ; binas asperrimas rupes conjungente , qui modo exstruitur ponte lapideo immensae altitudinis , brevorem & faciliorem reddi soler-

solertissime curat JOSEPHUS RENATUS IMPERIALIS CARDINALIS amplissimus pro munere suo, quo praefest Congregationi, quam vocant boni Regiminis: in cuius Eminentissimi Principis Bibliotheca, omni librorum genere instructissima, haec ego in literas mitto.

VI. Quod vero ante redditam ecclesiae pacem Falerii adhuc starent videtur educi posse ex Usuardo, qui in Martyrologio pridie idus Augustas haec habet: *urbe Phalari passio Graciliani & Felicissimae Virginis, quorum primum ora pro Christo lapidibus contusa, debinc gladio percussa optatam martyrii suscepere palmam: ubi non Phalari, sive Falari, ut est in codice meo MS. sed Faleriae esse legendum, ex monumentis Civitatis Castellanae, in qua horum sanctorum corpora adservantur, docet magnus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum: idque etiam constat ex epitome actorum sancti Eutitii (cujus corpus collitur in paroecia Hortana) apud Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiae die quinta Maii, ubi Gracilianus & Felicissima dicuntur ex urbe Faleriorum: eosque etiam ibidem passos tradi in actis MSS. integris apud se extantibus affirmavit celeberrimus hagiographus Godefridus Henschenius in tomo tertio Maii Bollandiani pag. 458. in quibus tamen quod dicantur martyrio coronati anno IV. Imperii Claudii, non de Claudio I. sive anno*

anno Christi quadragesimo quarto videtur continuo admittendum . Is enim Imperator nullam persequutionem Christianis indixit ; quare Franciscus Maria Florentinius in opere postumo novissime edito de prima Tusciae Christianitate capite decimoquarto pag. 177. putabat eadem acta referri debere ad Claudium II. qui Gallieno successit anno CCLXVIII. non CCLXVII. ut ipse scribit . Sed quanvis id verum esset , annum Imperii IV. nullum haberemus , ut optime animadvertisit Henschenius , non tamen ob caussam , quam ipse adducit , quod nempe Claudius vix biennium excesserit ; etenim accuratissimus Sebastianus Tillemontius in Historia Imperatorum tomo tertio nota III. in Aurelianum pag. 530. multis argumentis innixus ait dici non posse quod Claudius obierit ante annum III. Imperii , quo volvebatur annus Christi CCLXX. Minus assentior Henschenio ubi putat Claudii istius secundi & Aureliani persequutionem geminam in unam confusam , eoque deceptum auctorem actorum , Claudium scripsisse ubi scribendus fuerat Aurelianus . quippe Antonius Pagius in antiquitate sacra & profana summa cum laude versatus , in Critica Baroniana anno CCLXVIII. num. V. negat Claudium ecclesiam persequutum fuisse , idque contra Baronium , qui anno CCLXIX. num. IV. ex argumento quorundam actorum , quae suppositicia existimat Pagius , scripserat Claudium

dium II. editum in Christianos promulgasse. Verum & si nemo ex veteribus persequutionis ab eo motae meminerit, fieri potuit, ut illius Rectores & Praesides Christianos suppliciis affecerint: & proinde dum sancti Gracilianus & Felicissima dicuntur passi anno IV. Claudii, vel in acta error obrepserit, & legendum erit anno III. vel scriptor actorum initium Imperii Claudii duxerit ab anno CCLXVII. quando idem Claudius una cum Marciano ex Imperio expulit Gothos, unde Senatus tunc statuam illi erigendam, & eum Consulem & Praefectum inaugurandum decrevit: quod disertissime Tillemontius statuit sub anno CCLXVII. in Gallieno, articulo XVII. pag. 358. tomii tertii Historiae Imperatorum. Proinde sancti Martyres sub Claudio II. in urbe Faleriis, hoc est in Civitate Castellana ubi hodieque coluntur, recte dici possunt morte damnati. Ex his propterea apparet, Usuardum vetus nomen *Faleriis*, quod in actis eorundem Martyrum legerat, in recens, nempe *Falari* mutasse, quo nova haec urbs e Faleriorum ruinis exstructa ejus tempore appellabatur: quaeque perdurasse videtur etiam septimo saeculo, quum ab Anonymo Ravennate, qui tunc vixit, dicatur *Faleris*. In Tabula autem Peutingeriana inter opera Marci Velsleri pag. 742. distat XII. millia passum a Castello Amerino, & V. a Nepe, ubi tamen X. legendum putat Cluverius. Sed re-

vera Falaris a Castello Amerino five Bassano distat *milliaribus octo cum dimidio*, ab Ortana colonia *decem*, & a Nepe *quinque* duntaxat. Quare in eadem Tabula eo intervallo non Falaris, sed ipsa urbs Faliscorum, five Civitas Castellana denotatur. huic enim convenit idem spacio: ex quo evincitur Tabulae antiquitas, utpote quae conscripta fuerit adhuc stante urbe Faleriorum, nisi forte spacio unius urbis ob similitudinem nominis ad aliam fuerit erronee translatum.

VII. Castellum Amerinum jam dictum ex numeris milliarium in Tabula dispositis est Bassanum in finibus Hortanis, ut colligit Cluverius pag. 552. etenim falsos puto qui *praedia Amerina*, quae perambulabat junior Plinius quando lacum Vadimonis inspexit, de quo agam inferius, ad urbem Ameriam referri putaverunt: quibus accessit etiam Holstenius geographiae veteris studiosissimus in notis ad Ortelium pag. 201. ubi haec *praedia Amerina* sic interpretatus est: *quia Ameria ex adversa Tiberis ripa imminet*. Ea potius spectasse videntur ad Castellum Amerinum eidem lacui imminens in dextera Tiberis ripa: licet etiam ex sinistre Tiberis ripae edito loco in agro Amerino ubi modo est Castrum Jovii aequa conspiciliacus potuisset: sed quia Plinius ait se pervenisse ad lacum ipsum, nulla facta mentione Tiberis, sine cuius tamen trajectu ad lacum pervenire non poterat,

rat , facile inclino , ut credam *praedia illa Amerina*
 profoceri sui , quae ipse perambulabat , fuisse non
 in ditione Ameriae , sed in agro castri Amerini ,
 cui subjacet lacus . Praestat adducere verba Plinii ,
 licet infra totam epistolam sim recitaturus : *exege-*
rat profocer meus , ut Amerina praedia sua inspi-
cerem . Haec perambulanti mibi ostenditur sub-
jacens lacus nomine Vadimonis , simul quaedam
incredibilia narrantur . Perveni ad ipsum . Distat
 Castellum Amerinum M. P. viii. ab Ameria , ex
 adverso atque e conspectu ejusdem urbis : quam
 Festus & alii non in Etruria , in qua fuit Castel-
 lum Amerinum a via Amerina forte sic denomi-
 natum ; cujus quidem viae Amerinae fit mentio
 in lapide Auximano apud Gruterum pag. ccccxlvi.
 num.4. sed in Umbria ad unum omnes locaverunt :
 unde nutat sententia Cluverii , qui pag. 634. suspi-
 catur admodum credibile esse , quod Horta Ame-
 riae ditioni fuerit attributa (quanvis id haud te-
 mere adfirmandum censeat) & quod ejusdem Ame-
 riae ager ultra Tiberim in Etruriam usque pertin-
 geret . Distat Ameria quinque milliaribus a Co-
 lonia Hortana , sex vero & quinquaginta ab
 urbe Roma , ut testatur Cicero in oratione pro
 Sex. Roscio juniore , scribens quod quum Sex. Ro-
 scius senior ejus parens post horam primam no-
 ctis occisus esset , primo diluculo nuncius Ame-
 riā venit , decem horis nocturnis sex & quin-

quaginta millia passuum cisiis per volavit. Cato apud Plinium libro tertio capite decimoquarto tradit Ameriam *ante Persei bellum conditam annis DCCCCLXIV.* Bellum id Persicum seu Macedonicum secundum initium cepit anno U.C. DLXXXII. P. Licinio Crasso & C. Cassio Longino Cos. ex Stephano Pighio in Annalibus tomo altero pag. 366. periodo Juliana MMMMDXLIII. secundum calculos Jacobi Usserii in Annalibus pag. 314. ante epocham Dionysianam CLXXI. Condita igitur fuit Ameria annis ante natalem Urbis rerum dominae CCCLXXXII. ante Christum natum MCXXXVI. ab Amiro nescio quo, si credimus Festo Pompejo. Fuit municipium, ut non semel testatur Cicero & epigramma 5. CCCCLXXXV.

V E S B I N V S . A V G . L I B E R T V S
P R O C . M V N I C . C A E R . II . V I R . Q Q
X . V I R . S T L I T I B . I V D I C . P A T R . M V N I C
A M E R I A E . VI . V I R . A V G V S T A L

Vesbinus hic procurator municipii Caeritum sive Agyllinorum , fuerat patronus municipii Amerini, & nescio quid necessitudinis habuisse videntur Amerini cum Caeritibus . nam insignis tabula marmorea ejusdem Vesbini pag. ccxiv. dicitur DATA . PRID . IDVS . SEPTEMBR . AMERIAE . ACT^a vero IDIB . IVNIS . Q . NIN-
NIO

NIO . HASTA . P. MANILIO . VOPISCO
COS. qui nomen fastis dederunt anno vulgari cxiv.
Cluverius in libro altero Italiae antiquae pag. 634.
scribit Ameriam *Augusti jussu* Coloniam fuisse
deductam , Frontino in testem vocato , in cuius
libello de Coloniis haec leguntur : *ager Amerinus*
lege Imperatoris Augusti est adsignatus veteranis.
Sed vir doctissimus fallitur. aliud enim est *Coloniam*
deducere, aliud *agrum adsignare*, vel *dividere*,
ut evolventi eundem Frontinum patebit : idque
amplius certissimum fit ex lapide adducto , ubi sub
Trajano Ameriam adhuc *municipium* fuisse evin-
citur. Castellum Amerinum indicatur in Constitu-
tione Ludovici I. Imperatoris , cuius exemplum
vetustis Langobardorum literis exaratum se ha-
buisse testatur Massa , ubi Summus Pontifex con-
firmatur in dominio Romae , aliarumque urbium
in Etruria : inter quas est *Nepe* , *Castellum* , *Gal-
lesium* , *Orta* , *Polimartium* , *Ameria* . nam re-
ferri non potest hocce *Castellum* ad Civitatem Ca-
stellanam, quae nunquam appellata est *Castellum* so-
litarie : quod tamen opinabatur Nardinus pag. 159.
at recte quidem ad *Castellum Amerinum*: quo
nomine castrum Bassani designatur in Tabulis
Peutingerianis pag. 739. Eam Ludovici Constitu-
tionem ex parte tantum publicaverat Ivo in
Decreto parte prima capite quinquagesimo quin-
cto , Gratianus item in Decreto parte prima distin-

ctione sexagesima tertia capite tricesimo , & Raphael Maffejus cognomento Volaterranus in libro tertio Geographiae pag.2 1. operum editionis Frobenianae . Integrum postea vulgavit Carolus Siginius in libro quarto de Regno Italiae , & ex quatuor codicibus Vaticanis Caesar Baronius in magnis Annalibus anno DCCCXVII. num.xi. Item Melchior Goldastus in Constitutionum Imperialium tomo secundo pag. 11. deinde Stephanus Baluzius tomo primo Capitularium col. 591. & Carolus le Cointe in Annalibus ecclesiasticis Francorum sub anno DCCCXVII. num.vi. apud quos ubique legitur *Castellum Gallesii*, non autem *Castellum*; *Gallesium*; duo diversa loca , quemadmodum in suo apographo legerat Massa . At Pagius in Critica Baroniana hanc Ludovici donationem commenticiam esse contendit aequa ac Constantinianam , ejusque rationes, quas hic perpendere non vacat , videri possunt anno DCCCXVII. num.vii. Sed vir doctissimus haec hausit, quod nollem , ex turbidis fontibus Goldasti , & Caroli Molinaei , quorum nomina ideo silentio praeteriit . Interim legi potest Jacobus Gretserus in capite octavo Apologiae pro Caesare Baronio.

C A P U T . V

SYNOPSIS

- I. *Unica urbs aliquando Colonia, & municipium appellata.* II. *Aequi Falisci haud diversi ab Etruscorum Faliscis contra Salmasum.* III. *Antonii Massae Hortam in Faliscorum agro statuentis opinio rejecta.* IV. *Lacus Vadimonis cum aliis inepte confusus: ejusdem situs: male per Josephum Scaligerum locatus in Umbria, & per Annium a Deo Vadimone denominatus.* De eo Plinii junioris testimonium. Res apud illum patratae. Abrahamus Ortelius contra Lucam Holstenium defensus. V. Carolus Siganus ab Anniano Catone deceptus. Sotion emendatus. *Ejusdem lacus singulares virtutes.*



ACTENUS differuimus de urbe Faleriorum occasione inscriptionis Hortanae, in qua eadem urbs nuncupatur *Colonia*: quippe deducta fuit a Triumviris, ut scribit Frontinus, qui eam Junoniam cognomento appellat, quod Junonem impendio colerent illi Falisci, ut Ovidius, aliique testantur. Nec quicquam obstat, ut credit Nardinus in antiquo Vejo pag. 155. inscriptio ab ipso adducta pag. 141. & in Civitate Castellana reperta, in qua urbs ubi effossa est vocatur *Munici-*

nicipium, non vero Colonia. siquidem adeo insolens non est, ut ipse putat, unam eandemque urbem municipium & Coloniam fuisse, uti de Ortona in Aprutio constat ex lapidibus apud Jacobum Sponium in Miscellaneis eruditae Antiquitatis sectione quincta pag. 174. Sic Cicero Philipica decima tertia commendat *lautissimum opidum*, *nunc municipium honestissimorum quondam Colonorum Sueffana*: quam urbem Romanos L. Papirio Cursore IV. & C. Junio Bubulco II. Cos. anno U.C. ccccxl. Coloniam fecisse tradit Livius libro nono capite undetrigesimo: quae tamen aetate Ciceronis erat municipium. Sic & Hadrianus Imperator apud Agellum libro decimo sexto capite decimo tertio ait se mirari quod *quae-dam municipia antiqua quum suis moribus legibusque uti possent, in jus Coloniарum mutare gestiverint*: & Fabrettus capite sexto pag. 464. ostendit Colonias ipsas & earum Cives aliquando municipia & municipes appellari. Utrunque nomen iisdem opidis pro mutata quandoque eorum conditione in antiquis monumentis ac apud aucto-res subinde tribui nuper quoque observavit V.C. Ezechiel Spanhemius in Orbe Romano exercitatione prima capite decimo sexto pag. 130. ubi a Fabretto hac de re consultus, Vejorum urbem *Coloniae* nomine a Frontino, & *Augustum municipium* in saxo ibidem effosso dictam fuisse animadvertis.

Sed

II. Sed neque praetereunda videtur opinio Claudii Salmasii, qui in Exercitationibus Plinianis tomo primo pag. 60. quum Faliscos, *Aequos* cognominari vidisset a Strabone aliisque, eos putavit diuersos a Faliscis illis, qui a Plinio libro tertio capite quarto dicuntur cognomento *Etruscorum*. Hos arbitratur eos, de quibus haec tenus loquuti sumus: illos vero in via Flaminia prope Soractem montem statuit: in quorum agro Hirpinas, sive Hirpias familias exstitisse Plinius affirmat. Harduinus etiam in notis ad Plinium ait Coloniam Faliscam cognominari *Etruscorum*, ut ab altera *Falisca*, quae *Aequorum* dicitur, eo cognomine dirimatur. Sed rem accurate perpendens unius tantum opidi territorium eo usque protensum fuisse haud difficulter agnoscat, atque *Aequos* (alias ab Aequis sive Aequiculis in Latio) sic dictos non *ab aequa planicie*, ut somniavit Nardinus pag. 153. sed quia ab Haleso *aequi* servantissimo oriundi, ut notavit Claudio Dausquis ad Silium Italicum libro VIII. pag. 364. est enim ille Aegisti detestatus iniquitates: unde Ovidius, cuius conjux erat Falisca, in libro III. Amorum elegia XIII. ita canit:

*Argiva est pompa facies. Agamemnone caeso
Et scelus & patrias fugit Halesus opes;
Jamque pererratis profugus terraque fretoque,
Moenia felici condidit alta manu.
Ille suos docuit Junonia sacra Faliscos.*

Fali-

Faliscos etiam ideo ab *aequitate* commendatos ostendit Cluverius pag. 538. quod Romanis jura *facialia* tradidissent. *Etrusci* vero appellati sunt, ut distinguerentur a Faliscis Chalcidenium *Colonis*, qui erant in Campania, ut supra ostendimus ex Justino: nostri enim Falisci, de quibus loquimur, in Etruria comprehendebantur, ut plerique veterum docuerunt; licet Strabo libro quinquo affirmet ab aliquibus existimatū eos non fuisse Etruscos, sed *peculiarem gentem peculiari utentem lingua, urbemque eorum Falerios, quam non nulli Aequum Faliscum vocant.* Ejusdem sententiae videtur fuisse antiquissimus Poeta Gratius Faliscus, qui in *Cynegetico* populares suos alios facit a Latinis & Tuscis ita canens :

*bonus Aeoliae de valle Sibyllae
Foetus, & aprico Tuscorum stupea campo
Messis, contiguum sorbens de flumine rorem;
Qua cultor Latii per opaca silentia Tibris
Labitur, inque sinus magno venit ore marinos;
At contra nostris imbellia lina Faliscis. &c.*

III. Atque hinc Massae opinio refellitur, dum Hortam locat in Faliscis. nam hos non fuisse Etruscos aliqui affirmarunt; at vero Hortam in Etruria sitam esse nemo unquam in dubium revocavit. Immo quum idem Massa scribat terminos Faliscorum extensos non fuisse ultra Vadimonis lacum, quem in Etruria situm testatur Florus libro

libro primo capite decimo tertio, vel inde patet Hortam extra Faliscos extitisse, & gentem & agrum per se constituisse. nam idem lacus est in territorio Hortano duo millia passuum ab urbe distans: quod ex diligenti examine tradidit primum Leander Albertus in descriptione Etruriae mediterraneae contra Blondum & Volaterranum (quorum ille cum lacu montis Rosuli, alter vero cum Viterbiensi inepte confuderat) & deinde Andreas Baccius de Thermis libro quarto capite decimo quinto : idque Plinii testimonio libro octavo epistola vicesima : qui cum non alibi constituere potuit, quam sub Hortana Civitate: nullus enim alias lacus in hoc tractu Tiberino appetet . Illum propterea in Etruria Cisciminia, quae est inter Tiberim , regionem maritimam , & Ciminia juga , locavit Carolus Sigonius in libro primo de Antiquo jure Italiae capite nono . Ultra vero Cimini montis jugum temere statuit Georgius Fabricius in Itineribus suis metro descriptis , & Basileae per Johannem Oporinum anno MDLX. vulgatis , ubi pag. 33. ita canit :

*Ulterius lacus est, prope quem Romanus Etruscas
Fregit opes, armis belli melioribus usus,
Qui latera exesus praecelsi grandia montis
Stagnat, & instabili cui fluctuat insula motu.
Hinc & Josephus Scaliger Commentario in Pro-
pertium perperam confudit tetur & sulphureum*

hunc lacum cum pellucido Clitumni fontis gurgite apud Mevaniam in Umbria : qui propterea jure vapulat ab adversario suo Caspare Scioppio epistola decima tertia in Paradoxis literariis , quae sub nomine Paschasi Grosippi circumferuntur ubi & tabulam exhibet , in qua Vadimonis lacus apparet *in Etruria plusquam xxx. passuum millia a Mevaniae campo remotus , interjectis altissimis montibus.*

IV. Mira sunt quae de prodigioso hoc lacu ex visu narrat Plinius epistola superius laudata , qui eum & *sacrum* appellat : ex quo Viterbiensis impostor in fictio Berofo ansam arripuit fabulandi praefuisse illi quendam Deum Vadimonem , Tuscorum lingua Vertumnum , & Janum Romanorum , ut ait , vocatum : quas nugas exoticas statim ebilit Massa , quanvis emunctissimus Lilius Gyraldus in fine syntagmatis quarti de DIs Gentium eas pridem pro merito despexisset . Nihil magis moror Johannem Goropium Becanum , qui in suo Vertumno pag. 44. dum explodit Anniana commenta de Vadimone ab Aramaeo sermone deducta , alia iterum obtrudit a sua Cimbrica lingua derivata . Non abnuerim tamen hoc nomen *Vadimonis* lingua illa antiqua Etruscorum aliquid aliud a lacu significasse ; nam ipsi Reges suos *Lucumones* appellabant , ut tradit Servius in librum secundum & octavum Aeneidos : & Dionysius libro tertio

tertio capite quadragesimo sexto hoc nomen Etruscum esse testatur : quae quidem vocabula sibi partim assimilari videntur , quemadmodum observavimus capite primo num. vii. Eam Plinii epistolam quum Cluverio & Claudio Dausquio in libro de Terra & aqua capite undecimo integrum referre placuerit , ego quoque hic totam ob oculos lectoris representabo .

C. PLINIUS GALLO SUO S.

Ad quae nescenda iter ingredi , transmittere mare solemus , ea sub oculis posita negligimus : seu quia ita natura comparatum , ut proximorum incuriosi , longinqua sedemur : seu quod omnium rerum cupidus languescit quum facilis occasio est : seu quod differimus tanquam saepe visuri quod datur videre quoties velis cernere . Quacunque de causa permulta in urbe nostra , juxtaque urbem non oculis modo , sed ne auribus quidem novimus . Quae si tulisset Achaja , Aegyptus , Asia , aliave quaelibet miraculorum ferax commendatrixque terra , audita , perlecta , lustrataque habemus . Ipse certe nuper , quod nec audieram ante , nec videram , audii pariter & vidi . Exegerat prosocer meus , ut Amerina praedia sua inspiccrem . Haec perambulanti mihi ostenditur subjacens lacus nomine Vadimonis : simul quaedam incredibilia narrantur . Perveni ad ipsum . Lacus est in similitudinem jacentis rotac circumscriptus , & undique aequalis : nullus sinus , obliquitas nulla , omnia dimensa , paria , & quasi artificis manu cavata & excisa . Color caeruleo albidiior , viridior , & pressior : sulphuris odor , saporque medicatus : vis , qua fracta solidantur . Spacium modicum , quod

tamen sentiat ventos , & fluctibus intumescat . Nulla in hoc navis (sacer enim est) sed innatant insulae herbidae , omnes arundine & junco tectae , quaeque alia foecundior palus , ipsaque illa extremitas lacus effert . Sua cuique figura , ut modus : cunctis margo derasus ; quia frequenter vel littori vel sibi illisae terunt terunturque . Par omnibus altitudo , par levitas : quippe in speciem carinae humili radice descendunt . Haec ab omni latere perspicitur : eadem aqua pariter suspensa & mersa . Interdum juncta copulataeque & continentis similes sunt : interdum discordantibus ventis digeruntur : nonnunquam destitutae tranquillitate singulae fluitant . Saepe minores majoribus velut cymbulae onerariis adhaerescunt : saepe inter se majores , minoresque quasi cursum certamenque desumunt . Rursus omnes in eundem locum appulsae , qua steterunt promovent terram , & modo hac , modo illac lacum reddunt , auferuntque : ac tum demum quem medium tenuere , non contrahunt . Constat pecora herbas sequuta sic in Insulas illas , ut in extremam ripam procedere solere , nec prius intelligere mobile solum , quam littore abrepta , quasi illata , & imposita circumfusum undique lacum pavent . Mox quo tulerit ventus egressa non magis se descendisse sentire , quam senserint ascendisse . Idem lacus in flumen egeritur , quod ubi se paulisper oculis dedit , specu mergitur , alteque conditum meat : ac si quid antequam subducatur accepit , servat & profert . Haec tibi scripsi , quia nec minus ignota quam mihi , nec minus grata credebam . Nam te quoque , ut me , nihil aequa ac naturae opera delectant . Vale .

Non solum vero hic lacus celebris est in veterum scriptis ob mirandam & plane prodigiosam natu-
ram

ram, quae eidem ineſt; ſed etiam ob memorandos bellorum eventus, quibus apud illum varie lufit Romanorum fortuna. Etenim ſcribit Polybius libro altero, apud lacum Vadimonis Bojos, Etruscis advocatis, cum Romanis acie inſtructa praeſtium iniijſe; & Livius narrat libro nono capite unde quadragesimo adverſus Romanos magno irarum certamine pariter depugnaffe eosdem Etruscos apud lacum Vadimonis *lege ſacraſta coacto exercitu*, nempe ſacramento adactos nonniſi victores ſe redituros, ut bello in Etruscos quoque a Romanis antea factum teſtatur idem Historicus libro altero capite quadragesimo quinto: quod ideo monitum volui, quia nonnemo apud Leandrum Albertum ſatis infulſe, fortaffis ex eo Livii teſtimonio male intellecto, opinatus eſt milites recens delectos ibidem Imperatoribus ſuis fidelitatis jura-mentum praefare conſueviſſe, epota ejusdem lacus unda. Ibi & Dolabellam reliquias Gallorum Se-nonum deleviſſe tradidit Florus libro primo capite decimo tertio, nempe in aequiſſimo & ſpacioſiſimo campo, *Vallis Hortana* appellato, qui circa lacum Vadimonis ſubjacet Bassano opido, a quo vulgo plerunque dici ſolet *il lago di Bassano*, non vero *di Bassanello*, ut aliqui perperam ſcribunt; quibus praevit Albertus: licet enim Bassanellum jaceat quoque in finibus Hortanis, a lacu tamen lon-gius abeft meridiem versus: quare Lucas Holſte-nius

nius injuria obelo confixit Ortelium , qui Vadimoniis lacum appellaverat *opidi Bassani* , pro quo ipse *Bassanelli* obtrusit in notis pag. 201. Eandem planiciem Hortanam designare videtur Lucanus in libro primo v. 473.

*Est qui tauriferis ubi se Mevania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas
Afferat; & qua Nar Tiberino illabitur amni
Barbaricas saevi discurrere Caesaris alas.*

Nar enim , uti jam diximus capite primo num. iv. juxta Hortam Tiberi se immiscet .

V. Eam de Gallis victoriam memorari in originibus Catonis tradit Siganus in libro primo capite nono de Antiquo jure Italiae, haec verba inde in medium adducens : *Turrenus, patre Elbio Volturreno, Regum Etruscorum ultimo, ad lacum Vadimonis caeso, ad dedendam urbem Etruriae anno secundo Olympiadis cxxiiii. allici potuit: sed ad recipiendas latinas literas nunquam persuaderi potuit.* Sed haec sunt somnia Anniana , a quibus tantum virum , ac fuit Siganus , deceptum fuisse merito dolet vir palatinis muneribus ac doctrina insignis Johannes Baptista Agucchius in epistola Italica de prisca origine & dominatu Civitatis Bononiensis . Lacum Vadimonis indigenae appellant *il lago di Valdemonio* , quod vetulis ob nominis similitudinem occasionem dedit fabulandi intus latere daemonem . Ceterum adhuc sicut tempore

pore Plinii *in similitudinem rotæ circumscriptus* appareat, & undique aequalis: *nullo sinu, obliquitate nulla, colore caeruleo albidiore, & vividiore, odore sulphureo, saporeque medicato*. Sed tamen spacio longe, quam olim breviore, quod *insulas pecora ingressa* portantes ferre in medio non possit; quarum meminit Sotion mox adducendus, Seneca naturalium quaestionum libro tertio capite vicesimo quinto, & Plinius senior libro secundo capite nonagesimo quinto. Neque ego assentior Johanni Lomejero, qui capite decimo septimo de veterum Lustrationibus ex eo, quod Plinius dicat, *nulla in hoc navis (sacer enim est) sed innatant insulae herbidae*, videtur opinari, lacum adeo amplum fuisse, ut intus navigari posset, quod tamen facere nefas esset. nunquam enim credo navem aliquam, licet exiguum, in illo natare potuisse; sed Plinium ita loquutum puto, ut innueret, pro navibus parvas insulas in lacu huc, illuc ventari: cuius rei duplex causa adsignatur a Seneca in libro & capite jam indicatis, nempe *aqua gravis medicatae, & ob hoc ponderosae; & ipsius insulae materia rectabilis, quae non est corporis solidi, quanvis arbores alat*. fortasse enim leves trunacos, frondesque in lacu sparsas pinguis humor apprehendit, ac vinxit. Itaque etiam squala in illa saxa sunt, invenies exesa & fistulosa, qualia sunt quae duratus humor efficit utique circa medicato-

rum fontium rivos : quae , ubi purgamenta aquarum
coaluerunt , ex spuma solidantur . Hasce insulas na-
tantes ex varia levioris & viscosae materiae miscella-
aggestas portiones a vento hinc inde agitatas ap-
pellat Athanasius Kircherus in Mundo subterraneo
tomo primo pag . 279 . In fragmentis Sotionis de mi-
raculis fontium , fluviorum , & lacuum haec legun-
tur inter Aristotelis opuscula varia Graece edita a
Friderico Sylburgio Francofurti apud Wechelios
anno MDLXXXVII . Βέι δὲ καὶ λακοσούα ἡ Αἰμιωνος κα-
λλγένη λίμνη ἢ μεγάλη ἐν Ιταλίᾳ , ομοίως ἔχοσα
νησία πλείονα πάσῃ πνοῇ μετακινθμένα , ubi Sylbur-
gius pag . 317 . pro λακοσούα ἡ Αἰμιωνος recte mo-
net procul dubio legendum λάκος Οναδίωνος :
quae sic latine verti possunt : est autem stagnum
in Italia , lacus Vadimonis appellatum , non ma-
gnum , habens parvas insulas natantes vento agita-
tas . Hodie tantum supereft parvi ambitus crater
juncetis & vepribus obductus , immensa tamen
profunditatis , nativas aquas continens , quae , nul-
la foris apparente mutationis caufa , repente ali-
quando conturbantur , excurrentibus per lacus cu-
niculos flatibus , qui & vicinum Tiberim excu-
tiunt . Interdum vero , loculis unde tranfeunt
disruptis , per annum vix effluunt : vel contra ita
exundant , ut avorum memoria plures in Tiberim
convoluerent molas , quarum acervi adhuc ibi con-
spiciuntur . Ceterum lacus nec pisces alit , nec
gignit ,


gignit, sed luridos angues & testudines colore subvirides, spissae substantiae ac odore sulphureo, firmandis fracturis utiles, quo nomine eas proponit doctissimus Baccius, qui etiam tradit tempore penuriae eum exundare: idque mirandis modis a principio veris egisse anno MDLXIX. quo universalis annonae caritas Italiam affixit. Eandem abditam vim sterilitatem foecunditatemque praenunciandi, illam quum fluit, hanc quum fluere cessat, illi tribuit Kircherus in Mundo subterraneo tomo primo pag. 288. ubi ait se de eodem fusius egisse in sua *Etruria*, quae adhuc lucem non vidit. Causa, quae lacum extumescere cogit alia sane esse non potest, quam flatus & spiritus subterranei, qui extum molientes, dum non inveniunt, per fundum lacus transeuntes, aquas in monstroso tumores certis temporibus tanto impetu exaltant, ut vita quadam praeditae videantur. Lacui naturam sulphuris inesse satis quidem indicant scatebrae sulphureae sub vetusta Nepe & sub Horta, unde calidam emanantem, sulphureamque ex lacuna per veteris structurae emisarium in balnea olim exceptam Hortini commemorant, locumque adhuc ad *balnea* vocitari, ubi veterum aedificiorum vestigia saepe eruuntur. Aqua vero, quae inde irrigua ad Tiberim trahitur, temporis spacio ingentem producit albi lapidis molem, Tiburtinum appellatam: ex quo lapide, qui Tibure etiam atque

alibi effoditur , efformatas fuisse veteres statuas , & inscripta monumenta observat Gauges de Gozze Pisarensis in dissertatione Italica de basi Columnae Rostratae pag. 8. Baccius addit se existimare , has aquas praeter illum sulphuris somitem , liquidi aluminis vel succi id genus portionem habere , & propterea usu balnei fore utilissimas : quae nempe siccare valeant ulcera , scatentes per cutim humores cohibere , & luxata membra corroborare , non secus , ac albulae aquae Tiburis , de quibus agit libro quinto capite nono . Ejusdem generis ac fuit lacus iste Vadimonis puto existisse illum , quem Strabo libro decimo tertio in fine Troadis locat apud Astira , aitque vocari nomine *Sapra* , qui erumpit in littus mare , asperis saxis in dorfi speciem porrectis asperum : atque similis naturae suspicor aliquid fuisse lacui Messurinae apud nostrates Forojulienses in Alpibus Carnicis haud longe a tractu , quem Zeliam appellant : hic enim nullum producit piscem , & proxima habuit balnea sulphurea , quorum vestigia non ita dudum adhuc apparebant .

C A P U T . V I

SYNOPSIS

- I. Sancti Landi martyris acta examinantur . II. Inscriptiones Herculi sacrae . III. Hercules Somnialis . IV. Hesperides tres cum Hercule in tabula Ortana .



ED quam falso hunc lacum Vadimonis olim Gentiles sacram putaverunt, tam verius hodie apud Christianos & religiosissimos Hortenses ejus recordatio magni habenda est, quod apud illum sanctus Landus martyrio coronatus fuisse tradatur, ut excerpta ex ejus actis testantur apud Ferrarium in Catalogo die v. Maii, & apud Hagiographos Bollandianos tomo secundo ejusdem mensis pag. 49. unde apud eundem lacum non longe a Bassanello ejus martyris aedicula ostenditur, in qua sacratissimum corpus populi frequentia honoratur. Sed quod pertinet ad laudata excerpta, seu quod acta genuina perierint, vel adhuc inter blattas & tineas alicubi delitescant, per dracones thesauris suis incubantes abscondita, quemadmodum ab invidis veterum manuscriptorum possessoribus, rei sacrae & publicae

cae damno & injuria saepenumero fieri videmus: seu potius quod supina exscriptorum inscitia pro arbitrio quaedam superaddere voluerit, in illis aliqua sunt, quae sacrae antiquitatis perito negotium facesunt. Eniinvero sanctus Landus dicitur frater sanctorum Felicissimae, Valentini, & Hilarii, & passus traditur sub Domitiano. At Felicissimam cum Graciliano Faleriae morte damnatam diximus sub Claudio II. quem inter & Domitianum septuaginta saltem anni effluxerunt. Santos vero Hilarium & Valentimum sub Diocletiano & Maximiano Viterpii passos varia acta testantur, quae dabunt Bollandiani die III. Novembris: neque usquam in iis actis tam Felicissimae, quam Valentini & Hilarii sanctus Landus memoratur, quemadmodum animadverterunt Ferrarius, & Henschenius. Haec olim neque eruditissimi Florentinii fugerunt obtutum, namque is in Originibus pietatis Etruscae pag. 178. putavit in acta sancti Landi pro Diocletiano male irrepsisse Domitianum. Sed nihilominus adhuc supereft difficultas ex silentio in actis martyrum, quorum frater sanctus Landus fuisse traditur: quae inde etiam augetur, quod sancti Valentinus & Hilarius ex oriente in Italiam venisse perhibeantur; sanctus vero Landus ex Germania. Huius ulceri ut mederetur Ferrarius scribendum suspicabatur, ex Graecia pro ex Germania: quam correctionem refutavit

vit Henschenius , quod nomen *Landus* illi Germanicum visum fuerit , & detruncatum ex *Rolando* ; aut alio simili per consuetam Etruscis proprietatum nominum mutilationem . Atque inde arbitratus est , a Langobardis aliisve barbaris Italiae occupatoribus sanctum Landum pro fide Christiana occisum , Hortaeque coli coeptum , & proinde ad saeculum vi. referendum , quo scimus alios plures sub Langobardis passos . Haec ego jam exaraveram , quum ex schedis MSS. Landi Leoncini canonici Hortensis didici , anno 1628. die 25. Martii jussu Angeli Gozzadini Hortensis Episcopi reseratum fuisse tumulum sancti Landi , atque intus in quodam lateritio lapide hanc inscriptionem repertam .

LANNVS XPI MARTIR
HIC REQVIESCIT SVB
DIOCLETIANO [E.P.S.] PASSVS

Hinc omnes praedictae conjecturae & dubitationes evanescunt ; & statuitur , hunc sanctum martyrem non LANDUM , sed LANNUM appellatum , non sub Domitiano , sed sub Diocletiano passum : cuius gestorum memoria quum forte periisset , aliquis rerum & temporum imperitus conscripsit epitomen , quam vulgavit Ferrarius ex Fabrica Hortana , quae est rudis , atque indigesta

gesta multarum rerum sibi minime cohaerentium
farrago saeculo xvi. in unum compacta , quam
ego tractavi apud Illustrissimum Nuptium . Lite-
ras inferioris laterculi sic interpretatus est Leon-
cinus : *Eutitius Presbyter sepelivit* : quam expli-
cationem haud respuo , modo non intelligatur san-
ctus Eutitius ille , qui passus fuit sub Claudio II.
ut indicavi ex actis ejus tomo tertio Maii Bollan-
diani pag. 460. Quî enim hic potuisset sepelire
sanctum Lannum , sub Diocletiano martyrio coro-
natum ?

II. Explicatis utcunque iis , quae ad Hortae
antiquitatem spectare videbantur , quia haec insu-
per vetustis inscriptionibus non modice illustrari
poterunt , nunc reliquas promam , quae ex Hortan-
nis ruderibus effossae ad me pervenerunt , asterisco
signatis iis , quas in villam suam aliunde advehi
curavit modo laudatus amplissimus ANTISTES .

I.

DEO . SANCTO . VVLCANO

INVICTO . HERCVLI

CONSERVATORI

DOMVS . VLPIORVM

SACRVM . M. VLPIVS

VERECVNDVS . EX . VISO

D.

DIVO

I I .

D I V O . V V L C A N O

Utraque est Hortae in ecclesia parochiali sancti Petri: & prior quidem in ara majori, cui pene similem in antiqua basi in Aventino sub aede sanctae Priscae prope Circum maximum repartam recitat Onuphrius Panvinius in Commentariis Republicae Romanae pag. 213. & ex eo Gruterus pag. XLV. num. 10. quam hic exhibeo.

H E R C V L I
C O N S E R V A T O R I
D O M V S . V L P I O R V M
S A C R V M
M . V L P I V S
V E R E C V N D V S

Eandem inscriptionem adducit etiam Jacobus Sponius in Miscellaneis eruditae Antiquitatis sectione III. num. LXII. pag. 100. ubi ex duabus prioribus lineis unicam facit, & quintam supplet his verbis AVG. N. Hercules titulo CONSERVATORIS occurrit pag. XLV. 7. 9. 11. qui in nummis Graecis ΣΩΤΗΡ, idest *servator* appellatur, non ut belluarum confector, sed ut tyrannorum ever-

112. DE. ANTIQUITATIBUS. HORTAE

eversor apud Spanhemium dissertatione septima pag. 418. Sicut enim Hercules tyrannos evertere, ita optimos principes & populos *servare*, & a ty- rannis defendere credebatur, proptereaque pagina eadem xlv. 12. & 13. vocatur DEFENSOR *Augustorum*. Eundem Herculem fuisse numen tutelare gentis Ulpiorum notat Fabrettus in Com- mentariis ad columnam Trajani capite sexto pa- gina 172. ita quidem, ut hic Imperator, qui ex ea originem duxerat, passim in nummis, aliisque veteribus monumentis una cum Hercule appareat, immo etiam sub Herculis facie exhibeatur. Huc facit vetus epigramma, quod a se exscriptum Bru- xellis in bibliotheca Societatis Jesu, nuperrime ad me misit vir celeberrimus & utraque Pallade insi- gnis Gisbertus Cuperus.

111.

H E R C V L I . M A
G V S A N O . E T
H A E V A . V L P I
L . V .. P I O . E T . V L
P I A . A M M A . V A
P R O . N A T I S
V . S . L . M

quod sic lego: *Et Haeva Ulpj liberta pro Vlpio;*
Et Ulpia Amma pro Vapro natis votum solvunt
luben-

lubentes merito Herculi Magusano. Herculem cognomento *Magusanum* cultum fuisse in Gallia Belgica ostendit idem Cuperus in additionibus suis ad Harpocratem pag. 218. atque ejus fanum circa Scaldis ostia olim stetisse notat Abrahamus Ortelius in Thesauro geographicō, qui non *Macusanus*, ut aliqui in nummis Postumi senioris, sed *Magusanus* legit in faxo a se diligenter inspecto, sicut etiam Vossius de Idololatria libro primo capite tricesimo quinto in fine: quam scripturam idem Bruxellensis lapis confirmat. Particula ET elegantiae ergo ex vi linguae latinae in principio & medio sententiae geminatur, ut duplex res, de qua fit sermo, iterata particula tanquam duplici vinculo colligetur: quod in inscriptis lapidibus non est insolens; nam pag. XLIX. 4. legitur:

D . S
 H E R C V L I . E T
 L . V A L E R I V S . S E
 V E R V S . E T . C L O D I
 A . C O R N E L I A N A
 P R O . L . V A L E R I O
 C O R N E L I A N O
 V . S . L . M

Herculem Hortae cultum fuisse, & ibi Collegium habuisse, ut erant sodalitia, quae communis numeris

minis cultum , arcam communem , communiaque sacrificia & epulum statis temporibus habebant secundum Fabrettum capite sexto inscriptionum pag. 430. nos docet praeterea alter lapis , qui cum aliis inferius adducendis servatur in peramoe- na villa Nuptiana in colle sancte Mariae Gratia- rum prope Civitatem Hortanam .

I V.

L. MINVCIVS. SYNEG
DEMVS. AEDICVLA
HERCVLIS. COLLEGIO
DE. SVO. D. D

Huic simillimam inscriptionem recitat Gruterus pag. XLIV. num. 9. ex Mazochio existentem Romae in Capitolio .

L. MINVCIVS
SYNE CDEM VS
AEDICVLAM. HERCVLIS
COLLEGIO
D. D

Aediculae autem erant aedes minusculae incusto-
ditae , quas *qui tentaverint , amplius quam fures ,*
minus quam sacrilegi mereantur , ait Paullus J.C.
in

in libro XLVIII. Digestorum tit. XLIII. l. 9. Hujusmodi aediculae, ut aliae omnes privatae, nec sacrae nec sanctae erant, sed religiosae: *quod enim privati suae religionis caussa Deo dedicant, id Pontifices Romanos non existimare sacrum testatur* Festus libro decimo septimo verbo *sacer mons*: Quare M. Ulpius Verecundus quum nosceret illius numinis aras Hortae maxime frequentari, in eadem Civitate Hortana, quemadmodum fecerat Romae, Herculi lapidem dicandum curavit EX VISO; quod nempe in somnis monitus fuisset, ut tale monumentum Herculi consecraret: quae formula EX VISO, & EX VISV saepe occurrit in veteribus faxis, ut notavit ad inscriptionem Gradensem V. C. Philippus a Turre in dissertatione de DIs Aquilejensibus pag. 302. quum enim Gentiles tres divinitatis notas *somnia, curationes, & oracula* numerarent, ut eruitur ex Luciano in oratione de non temere credendo calumniae pag. 882. operum editionis Burdelotii; ideo quicquid somniabant, id sibi a Deo immisum opinabantur, ideoque illi, quem sibi apparuisse putabant, aras, sacrificia & donaria offerebant, tanquam religione admoniti. Ad hoc forte respexit sanctus Martyr Justinus in Apologia secunda pro Christianis, ubi ait, *Daemones aliquando per insomnia, nonnunquam vero per magicas praestigias cunctos sibi mancipare.*

III. Haec quum differerem Johannes Paulus Nurra Canonicus Caralitanus, vir apprime eruditus, mihique necessitudine conjunctissimus, suggestit *Herculem Somnialem*, de quo fit mentio in lapide, quem edidit Salmasius in Exercitationibus Plinianis tomo primo pag. 351. & ex eo Reinesius in supplemento Gruteriano Classe x. num. iv. apud quos vocatur Romanus, qui tamen est erutus juxta Pisas, & servatur Florentiae apud Spigliatos, ut scribit Fabrettus capite sexto num. 4. pag. 429. ubi eum emendatiorem producit. Ibi Collegium hominum Herculis Somnialis cultorum sibi locum sepulturae conscribit, quemadmodum ab Herculis defensoris cultoribus similiter factum Interamnae apud Gruterum cccxv. 7. Quod vero postremum ex Herculis Somnialis cultoribus, temporis injuria, sic notatum videam VNDVS, ego legendum opinor *M. Vlpius VerecUNDVS* ita quidem, ut hic Verecundus idem sit ac ille, qui reliquas duas inscriptiones Romae & Hortae dicavit: quiique vixerit tempore Hadriani Imperatoris. nam plerique ex iis, qui recensentur in eodem lapide Herculis Somnialis, ut detexit Reinesius Classe x. num. iv. conscripti etiam leguntur in catalogo Magistrorum regionum Urbis apud Gruterum pag. ccl. qui confessus est Commodo & Pompejano Coss. anno U.C. *DCCCLXXXVIII.* qui est Christi cxxxvi. ut patet ex Fastis. CVLTO-

RES



ΙΔΙΜΑΧΟΣ ΕΠΟΙΕΙ

RES. HERCVLIS. SOMNIALIS exhibet etiam lapis Florentinus apud Sponium sectione III. n. LXII. pag. 100. Hercules ergo quod malorum expulsor maxime apud veteres crederetur, inde etiam somniorum immissoris nomine colebatur. nam omnes δνειροπομποὶ somniorum immissores, utique ἀλεξίκακοι malorum pulsores habiti, ut notat eruditissimus Salmasius. Hinc *in somnis Hercules docuit* M. Octavium Herennium sua ope servatum a praedonibus, ut fabulatur Massurius Sabinus apud Macrobius libro tertio capite sexto *Saturnaliū*. Fabrettus alteram hanc inscriptionem recitat capite decimo num. 130.

H E R C V L I . S O M N I A L I E X . O R A C V L O

Solebant enim veteres captandis rerum eventibus somnia quaerere excubantes in delubris Idolorum: quam fatuitatem saepius irridet Lucianus, ut animadvertisit Barthius libro quinquagesimo sexto capite tertio *Adversariorum*.

IV. Herculem insuper cultum fuisse Hortae ostendit tabula marmorea in villa Nuptiana adservata, quam hic delineatam exhibeo. In ea conspicitur Hercules tanquam clava aliquid maestaturus, & tres feminae, quae mihi videntur Hesperides secum colloquentes, & mirantes ab eodem Hercule occi-

occisum , vel occidendum draconem malorum custodem . Licet enim Apollodorus libro secundo Bibliothecae inter scriptores Historiae poeticae Thomae Galei pag . 117 . Hesperides *quatuor* enumeret , Diodorus vero libro quarto Bibliothecae pag . 233 . editionis Wechelianae , *septem* ; attamen Placidus Laetantius sive Luctatius Grammaticus in librum alterum Statianae Thebaidos v . 281 . *tres* tantum fuisse affirmat : quae sunt Arethusa , Hesperie , Aegle . Et sane Spanhemius in dissertatione sexta de Praestantia & usu numismatum pag . 331 . elegantem nummum adducit ubi *tres* Hesperides cum Hercule mala aurea decerpente conspiciuntur . Ampliorem vero numerum Hesperidum inde profluxisse puto , quod Hesperides istae , quas ita a matre , Atlantides autem a patre dictas testatur Diodorus , cum sororibus Phaëtontis confusae fuerint : inter quas Aeglen , Hesperien , & Arethusam aliqui posuerunt , veluti Fulgentius inter Latinos Mithographos tomo altero pag . 155 . Aeglen vero Hyginus capite cliv . & Tzetzes . In tabula autem nostra nympharum prima videtur dextera tenere cornu . etenim Apollonius libro quarto Argonauticorum vers . 1398 . scribit nymphas Hesperides concentu solitas demulcere draconem malorum custodem .

Χώρῳ ἐν Αἴτλαντος , χθόνιος ὄφις ἀμφὶ δὲ Νύμφαι
Ἐσπερίδες πόιπνουν . ἐφίμερον αἰδίδυσαν .

In

In Atlantis regione terrestris serpens, cui nymphae Hesperides & cibum ministrarunt, & suavis sime cecinerunt. Orpheus quoque apud Clementem Alexandrinum in Protreptico pag. 12. editionis Caroli Morelli eas *canoras* appellat:

Μῆλα τεχρύσεα καλὰ παρ' Εὐπερίδων λιγυφόνων.

Et mala aurea ab Hesperidibus canoris.

Altera ex feminis manu pomum videtur ostendere. nec solum Hortae, sed etiam alibi in Etruria Hercules magno in honore est habitus. nam hujus fanum stetit ad portum Labronis, qui hodie *Livorno*, ejusque meminit Antoninus in Itinerario, ubi *ad Herculis legas* in via a vadis Volaterranis ducente. Etiam infra Lucam Ἡρακλέους ιερον' *Herculis fanum* occurrit apud Ptolemaicum, qui illud statuit inter Feroniae lucum & Pisas libro tertio capite primo. In parte extrema ejusdem tabulae marmoreae, si bene video, leguntur haec verba nonnihil exesa ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΣ ΕΠΟΙΕΙ *Callimachus fecit*. Neminī non notus est mos prisorum artificum suum nomen operibus a se fabrefactis inscribendi: de quo eruditē egit nitidissimus scriptor Carolus Datus in *Vitis pictorum veterum* Italice editis pag. 112. Callimachum statuarium insignem memorant scrip-
tores antiqui Dionysius, Pausanias, Vitruvius & Plinius, quorum loca in unum congesit Franciscus Junius in Catalogo, qui subest eruditissimo operi de *Pictura veterum* nuper apud Batavos recuso.

C A P U T . V I I

S Y N O P S I S

- I. *Herculis cultus apud Etruscos fusius ostenditur.* As Etruscus a Bernardino Baldi explicatus . II. *Dracoris Corcyrensis locus perpensus.* Asses Etrusci cum Jano & clava . III. *Varia de lingua veteri Etrusca.* IV. *Primaeva origo Etruscorum.*



T sane apud veteres Etruscos peculiari honore Herculem cultum fuisse praeter illa, quae haec tenus diximus, ostendunt pondera sive asses nummis perquam similes, in postica parte Herculeam clavam cum Etruscis characteribus exhibentes; in antica vero bifrontem imaginem pileatam, ut cernere est apud Claudium Molineum in Museo sanctae Genovefae pag. 44. & apud Fabrettum, qui ex gaza Medicea tres ejusmodi asses vulgavit: quos veterum linguarum studiosis delineatos infra nos iterum proponemus. Unum ex his assibus pro nummo a se habitum explicavit Bernardinus Baldus Gualtallensis Abbas, vir mirandi ingenii, & in omni literarum genere consultissimus, qui praeter scripta ipso adhuc vivente edita, in quibus eminent Lexicon Vitruvianum, innumera etiam post se edenda reliquit, & prae ceteris

ceteris illustrium Mathematicorum Vitas a Thalete Milesio ad Christophorum Clavium Italice scriptas: quae una cum aliis tanti viri lucubrationibus adservantur in domestica Bibliotheca SUMMI SANCTISSIMIQUE PONTIFICIS CLEMENTIS XI. a quo nobis pro sua erga literarum incrementum benevolentia & amore spes facta est easdem in publicam eruditorum lucem vulgatum iri. Explicacionem vero Etrusci ponderis sive assis per eundem Baldum in epistola ad amicum suum adornatam nobiscum communicavit Dominicus Passioneus ingenio & eruditione spectabilis, atque in literis juvandis effusus: nosque ex Italico in latinum sermonem conversam integrum hic exhibemus.

Ecypion ad me missi numismatis inspexi, quod sane est Etruscum & vetus: quare non solum, ut tibi obsequar, cui ob tua in me merita plurimum debo, sed ex praecipuo animi genio de eo nonnulla differui, a verisimili non abhorrentia. Evidem primò obtutu pene desperaveram me quicquam adsequuturum, quod ad rem facere videretur; sed perfectis characteribus, & eorum sensu ex vi Ebraici idiomatis perpenso, a quo palam est Etruscum originem suam habuisse, haec inde hauſi. Mihi video intelligere posse, quod nummus percussus fuerit in Etruria ab aliqua civitate Herculi devota, quem in eadem regione cultum fuisse multa nos docent veterum auctoritate firmata, & praecepit Dionysius Halicarnasseus, cuius testimonium considerandum proposuit Giambullarius in dialogo de Origine linguae Etruscae. Ut ergo ad nummum deveniam, instrumentum il-


lud, quod in aversa parte conspicitur, ego utique puto
 esse clavam Herculeam, quandoquidem ejus apparet ca-
 pulum cum nodis, & inserta cernuntur nonnulla, quae
 plumbi segmenta esse videntur, vel alterius rei gravis, ad
 eandem clavam robustiorem & onerosiorem efficiendam
 idonea. Verba circumscripta haec sunt *PHELIA*
PHDII nempe admirabilis liberatrix, quia Hercu-
 les clava ipsa populos feris, monstros, & tyrannis libe-
 rabat. Et forte numisma cusum fuit ab aliqua urbe,
 de qua Hercules benemeritus fuisse putabatur. Duplex
 facies, quae in antica parte numismatis inspicitur, fra-
 trum Geryonum caput indicare videtur; num licet a poe-
 tis Geryon tricorporis effingatur, fieri tamen potuit, ut
 scalptor tertium caput post duo illa, quae in nummo
 apparent, abscondi crediderit, fortasse ratus fieri non
 potuisse, ut una cum ceteris ob oculos illud tertium expo-
 neretur. Ratio interpretationis literarum inde petita
 est, quod Ebraei ad rem mirabilem exprimendam dicant
 פְּלֵה *PELE*, quod sine puncti additione diceretur
 פְּלֵה *FELIAH*, seu *PELIA'* admiratio ab radice *FALIA*, vel *PALIA*, quod rem
 arduam & miram agere significat: estque vox usurpata
 in *Psalmis* LXXVII. & cxxxix. in *Job* capite xxxvii. &
 in libro *Judicum* capite XIII. Aliud vocabulum *PHDII*
 videtur ex verbo פָּלַח *PHADIA* derivare, nempe
 redemit, liberavit, eruit, absolvit: quae vox usurpa-
 tur in *Exodi* capite XXI. atque alibi. Quare verbale
PEDVTH est *PIDION*, quo redemptio des-
 ignatur, sive, ut vulgo dicimus, riscatto. Haec mihi oc-
 currerunt, ut tibi, atque illi, qui tua opera usus est,
 prompto animo obsequerer. In rebus arduis, atque, ut
 ita dicam, impossibilibus, cuiusmodi haec nostra est, pro
 maximo haberi debet parum invenire, licet neque certo
 putare velim me hoc invenisse, ne in vitium arrogantiae,

& forte stultiae delabar : quam unam ob causam interpretationi meae in Tabulam Eugubinam Divinationis titulum feci . Supereft , ut pro obſervantia erga te mea etiam atque etiam te rogem , ut mihi quidlibet imperes ; id enim agere tuum est , ſicuti meum tua jufa capeffere . Dabam Urbini die 2. Junii 1614.

II. Haec Baldus : & fane in Umbria , quae antiquitus erat in dominatu Etruscorum , colebatur HERCVLES DEFENSOR POLLENS , ut patet ex lapide Gruteriano cccxv. num. 7. Interramnae Nahartium in Umbria servato . Sed nihilominus dubitare licet , an imago illa biceps Geryonem Herculeum offerat , tertia facie ob imperitiam artificis retro latente ; ſiquidem supervacaneum videbatur in utroque affis conſpectu Herculis signa exhibere , dum una clava ſufficere poterat . Quare iconē illa bicipiti Janum potius indicari putamus , in id inducti egregio testimonio Draconis Corcyrenſis in libro de Lapidibus apud Athenaeum libro decimo quinto capite decimo tertio , ubi haec habentur : Ιανὸν δὲ λόγος ἔχει διπέρουσαπον γεγονέναι τὸ μὲν ὄπίσω τὸ δὲ ἐμπροσθεν , ἔχοιτα πρόσωπον . ἀπὸ τύττυ , κὐ τὸν Ιανὸν ποταμὸν , κὐ τὸ ὄρος Ιανὸν ὄνομαζεοθα κατεικάσαντος αὐτῷ δὴ τῷ ὄργον . Πρῶτον δὲ σέφανον ἐνρεῖν , κὐ σχεδίασ , κὐ πλοῖα , κὐ νόμισμα χαλκῶν πρῶτον χαράξα δὶς κὐ τῶν κατὰ την Ἑλλάδα πολλὰς πόλεις κὐ τῶν κατὰ την Ἰταλίαν , κὐ Σικελίαν δὴ τῷ νομισματος

ἐνχαράττειν πρόσωπον δικέφαλον, κ' ἐκ θατέρων μέρεστον σχεσίαν, τὸ σέφανον, τὸ πλοῖον. Haec sic vertit Jacobus Dalecampius ex recensione Isaaci Casauboni: *Janum fama est bifrontem fuisse, altera facie posteriori, anteriore altera; Janum flumen, Janumque montem ab eo fuisse nominatum quod in eo monte habitaverit; coronas illum reperisse, navigia, rates; nummum aereum ab illo primo signatum: qua de caussa civitates in Graecia multae, Italia, & Sicilia monetam cudent impressa bicipiti facie, & ex altera parte vel rate, vel navigio, vel corona.* Jacobus Grandius Mutinensis, qui, me adolescentem, magna eruditio[n]is laude Venetiis florebat, in doctissima epistola de veritate diluvii universalis pag. 24. putavit Janum sive Noa triplici inventione civitatibus Graeciae, Siciliae, & Italiae memoratum fuisse, proptereaque easdem civitates ex altera nummi parte impressisse τὸ σχεδίαν, τὸ σέφανον, τὸ πλοῖον, vel ratem, vel coronam, vel navigium; licet quaenam hic sit ratis a navigio distincta se nescire fateatur, dum satis erat dixisse ab Jano inventa fuisse πλοῖα navigia. Hinc suspicatur Draconis vel verbis mendum inesse, vel σχεδίαν significare non navim, sed forte vaginam ensis lignearm, aut simile quidpiam, quod Noa in usum communem invenerit. cuius figura in hoc asse, quem ipse adducit, post navim exprimi putat.

Verum




Verum Draco haudquaquam illud symbolum triplex simul in unoquoque numismate signatum pronunciat, sed unum aut alterum ex iisdem tribus separatim, quod appareat ex disjunctiva particula *η* vel. Quare quum navis in eodem asse appareat, haec una implet sententiam Draconis: quicquid indicet figura illa, quae post navim conspicitur. At neque Draco scribit triplex Jani inventum in nummis memorari; sed Janum ipsum ab Italibus, Graecis, & Siculis duplii imagine expressum in nummis, in quorum aversa parte cernitur, *vel σχεδία*, *vel navis*, *vel corona*; non vero omnia simul. Georgius Wolfgangus Wedelius in Exercitatione octava Decidis vi. pag. 54. ubi de ejusmodi numismate disputat, *σχεδίαν* interpretatur *pontem*. qui tamen in illo nusquam appetit. Praeterea asses seu semisses occurunt, qui bicipitem Janum repraesentant absque navi, pro qua in aversa parte clava conspicitur. Hujusmodi unum Etruscis literis insig-


126 DE . ANTIQUITATIBUS . HORTAE

gnitum publicavit , ut dixi , Claudio Molinetus in Museo sanctae Genovefae : quem quia diversum non puto ab illo , quem explicavit Baldus , hic iterum exhibeo una cum aliis duobus ex Museo Mediceo per Fabrettum vulgatis in capite septimo Inscriptionum num. 376. qui omnes eandem epigraphen habent in aversa parte , nempe ODICELA , si nostris quidem latinis characteribus Etruscos legere velimus , quemadmodum legit Molinetus , ubi id nomen monetarii esse insulse opinatur .

I.




II.




Quare

III.



IV.



Quare si post tantos viros nobis sententiam nostram proferre licet , ego puto in loco Draconis Corcyrensis designari hanc eandem clavam , quae cernitur in his assibus . Siquidem Hesychius in verbo Σχεδία pag. 887. inter varias ejusdem vocis significaciones hanc quoque adducit , ἡ ὄπλα τὰ εἰς χειρούς τιτρώσκοντα hoc est : *vel arma* (sive instrumenta) *ex manibus verberantia* . quibus verbis nihil aliud sane , quam clava seu cestus designatur : quod miror a viris doctissimis non animadversum .

III. Scriptores autem clarissimi , qui pri- dem laboraverunt in condendo alphabeto linguæ Etruscae satis superque ostenderunt singulos ejus chara-

characteres neutquam respondere latinis , ut videre est ex alphabeto , quod per Gabrielem Gabrielium latinis characteribus explanatum exhibuit Baldus in sua Divinatione in Tabulam aeneam Eugubinam lingua Etrusca veteri perscriptam . Janus Gruterus , qui in magno corpore Inscriptio- num eandem Tabulam Eugubinam , aliasque vulgavit pag . cxliii . opinatur literis eam Graecis in- versis , lingua vero Aeolica exaratam ; unde pagina cxlv . num . 4 . alphabetum Etruscum veluti Grae- co respondens digessit . Sed Cosmus de Arena in Serie veterum Ducum & Marchionum Etruriae Ital- ice scripta pag . 12 . ablatis literis dubiis & confu- sis , alibi , ut ajebat , examinandis , alphabetum Etruscum & ipse conscripsit , quod cum illo , quod Baldus edidit , non omnino convenire deprehendi- tur . Ut de his lector judicium ferat , praestat tria illa alphabeta hic adponere .

I. Alphabetum Etruscum Gabrielis Gabrielii a Baldo editum .

V S 2 1 P O M N E K Y 8 I K D E Y A B P C L A
V t S r P Ph O N M L K I g f E D C b B A

II. Alphabetum Etruscum apud Gruterum & Paullum Merulam in Cosmographia pag . 613 .

8 V 2 1 P O M N E K Y 8 I K D E Y A B P C L A
Ω Φ Η Τ Σ Ρ Π Ο Ν Μ Λ Κ Ι Ζ Ε Δ Β Α

III. Al-

III. Alphabetum Etruscum a Cosmo de Arena vulgatum.

.....**V**.....**S**.....**D**.....**P**.....**N**.....**O**.....**M**.....**J**.....**K**.....**I**.....**B.....**E**.....**F**.....**A**
Z.....**Y**.....**X**.....**V**.....**T**.....**S**.....**R**.....**Q**.....**P**.....**O**.....**N**.....**M**.....**L**.....**K**.....**I**.....**H.....**G**.....**F**.....**E**.....**C**.....**B.....**A********

Ex hoc insignium virorum dissidio appareat maxima difficultas in legendō, nedum percipiendo antiquo illo idiomate Etrusco. licet enim a dextera in sinistram tendente legendū putaverint eruditī; attamen inter se minime conveniunt in adsignandis veris fontibus, unde eadem ignorabilis lingua manaverit: qui quidem si certo adsignari possent, vocabulorum sensus & vim adsequi etiam forte possemus. Siquidem Sanctes Marmocchinus in Defensione lingue Etruscae, quae MS. est apud celeberrimum virum Antonium Magliabechium, & Sigismundus Titius in Historiis Etruriae, quae MSS. item sunt in Bibliotheca Chisiana, putant vocabula Etrusca mixta & confusa esse cum Ebraicis; at vero Petrus Franciscus Giambullarius in suo Gello, & Gullielmus Postellus in Commentario de Etruria originibus, cum Aramaeis & Syriacis. Baldus in Etruscis vocabulis Chaldaicam & Ebraicam significationem latere existimavit; sed tam ipse, quam Giambullarius & Postellus nimium quantum tribuere videntur gerris plusquam Siculis Berosi Anniani. Jacobus Mantinus Ebraeus in epistola nuncupatoria ad Paullum III. Pont. Max. quae

praefigitur paraphrasi Averrois in Rempublicam
Platonis tomo secundo operum Aristotelis Venetae
editionis apud Junctas anni MDLII. fol. 174. & The-
seus Ambrosius in Introduktione ad Chaldaicam
linguam aliasque Papiae vulgata anno MDXXXIX. ex
Ebraico sive Assyrio idiomate Etruscum omnino
deducunt ; licet idem Ambrosius ab Arcadibus,
Pelasgis, & Trojanis postea corruptum existimet .
Ab his omnibus longe abit sententia viri summae
eruditio[n]is Samuelis Bocharti , qui in parte altera
Geographiae sacrae libro primo capite tricesimo
tertio Etruscum sermonem ceteris dissimillimum
fuisse opinatur , saltem Phoenicio & Punico ; id-
que ex Tuscarum vocum sylloge , quas in me-
dium adducit ; quippe Dionysius Halicarnasseus in
libro primo capite tricesimo tradit Tuscos gen-
tem fuisse indigenam κ' ὁδει ἀλλω γένει οὐτε ὄμο-
γλωσσον , οὐτε ὄμοδιάτον εὐρίσκεται , neque cum ulla
alia gente aut linguam aut mores communes ha-
bere . Verum Josephus Scaliger abstrusioris ve-
tustatis indagator perspicacissimus in Conjecta-
neis ad Varronem de Lingua latina pag. 30. edi-
tionis anni MDCXIX. non dubitat priscam Tusco-
rum linguam fuisse Syriacam sive Aramaeam , &
Saturnum eadem lingua *latentem* significare . Sy-
riaca lingua Sabinos & Tuscos loquutos iterum
affirmat pag. 64. Hanc sententiam viris doctis con-
stantem esse ait Paullus Merula in Cosmographia
parte

parte secunda libro quarto capite decimo septimo pag. 605. & 612. editionis anni MDCXXI. ubi Tuscarum vocum catalogos texit, quae in Syriaco sermone radices suas habent, explosis nugis Annianis. Dotissimis viris concinit Reinesius de lingua Punica capite secundo num. xvi. ubi linguam Etruscā & Sabinam e Syriaca prodiisse affirmat. Fuerunt tamen in lingua Etrusca vocabula quaedam e Graecia propter vicinitatem mutuata. Quin tantas etiam habuit vires Graecorum vicinitas, ut Etrusci progenitorum suorum characteribus Aramaeis carentes, alios mutuati fuerint ab iisdem Graecis conterminis suis, qui in Tusciam colonias duxerant, sed mutatis vel potius inversis figuris, ut autem scribendi consuetudinem aliquo pacto aemulari viderentur, ut animadvertisit Merula. Tacitus in loco inferius proferendo testatur Etruscos *ab Corinthio Demarato* literarum formas didicisse, Latinos vero ab Arcade Evandro, licet Plinius libro septimo capite LVI. scribat in Latium eas allatas fuisse a Pelasgis. Sed tempore Demarati patris Tarquinii Prisci Etruscorum civitates fortunatissimas & disciplinis florentissimas fuisse ex eorum annalibus tradit Dionysius Halicarnasseus libro tertio capite XLVI. itaut vix credi possit Tuscos literis tunc caruisse: nisi dicendum sit Demaratum non auctorem, sed auxilio Graecarum literarum reformatorem earundem fuisse.

IV. Idem Dionysius in libro primo duplicem de primaeva origine Etruscorum opinionem adducit : quarum prima eos facit alienigenas ex Lydia provincia Asiae minoris , ductos in Italiam a Tyrrheno fratre Lydi Regis Lydiae ante bellum Trojanum . Altera vero eos facit indigenas : hancque Dionysius amplectitur , ratione & auctoritate, ut ait, roboratam . Ratio est, quia Etrusci tempore ejus , nempe Augusti , habebant linguam , ritus , mores & leges proprias , sibi unis , nec Graecis , Asiaticis , aut alteri nationi similes : fieri autem non potest , ut populus ab alio natus vestigium aliquod suae originis saltem in lingua non servet . Auctoritas est Xanthi Lydi , historici in patriis rebus diligentissimi , qui negat vel saltem non meminit , Tyrrhenum aut alium virum principem Lydum coloniam ullam in Italiam duxisse . Sed quoad Xanthum , ejus auctoritas fluxa est . etenim historiae , quae illius nomine circumferebatur , auctorem facit Dionysium Scythobrachionem Artemon Cassandreus in opere de Scriptoribus genuinis apud Athenaeum libro duodecimo capite secundo : quem quidem Dionysium paullo ante Ciceronis & Caesaris aetatem vixisse putat Suidas . Agucchius autem pag. 29. putat utranque sententiam amicam facile reddi , si dicatur fieri potuisse , ut Tyrrheni in aliquam Etruriae partem venerint , ab alia non expellentes antiquissimos Etruscos , regonis

nis illius indigenas. Herodotus id ipsum exprimere videtur libro primo capite nonagesimo quarto ubi scribit *Lydos ad Umbros profectos*, ibique Lydorum *appellatione mutata*, *Tyrrhenos dictos fuisse*: quippe Umbri occuparant vel omnes vel plerasque oras occidentalis Etruriae, unde eos Pelasgi deinde expulerunt. Praeterea ex Dionysio colligitur Tyrrhenos in occidentali Etruriae parte stetisse, ubi cum Pelasgis habitarunt. Tyrrhenos deinde cum Etruscis permixtos fuisse testatur Silius Italicus in libro quarto, ubi loquens de Flaminio Consule, Etruscos sub regni Corithi appellatione designat.

*Ergo agitur raptis praeceps exercitus armis
Lydorum in populos, sedemque ab origine prisca
Sacratam Corithi, junctosq; a sanguine avorum
Maeonios Italica permixta stirpe colonos.*

Hacc permixtio non solum vicinitati & commercio, sed rei communi tribuenda est: quae erat Umbros Pelagosque pellendi ex oris, quas in Etruria tenebant. Nihilominus non videt Agucchius qui fieri potuerit, ut in hac permixtione nullum signum aut in lingua aut in moribus Etruscorum deinde apparuerit. Quare assentitur Dionysio appellanti Etruscos indigenas, & cum Lydis neutiquam permixtos. quippe lingua & mores eorundem corruptibles & mutabiles erant, itaut si cum illis Tyrrheni permixti unquam fuissent, aliquod signum retinere debuissent, quemadmodum ex eodem Dionysio

nysio Falerii & Fescennium Pelasgorum coloniae post annos mille & trecentos in suis moribus adhuc Graecae originis vestigia retinebant . Sed maximum signum hujuscemus permixtionis Etruscos retinuisse , deprehendere mihi videor ex eorum consuetudine numerandi saecula a conditis urbibus . Etenim Censorinus in aureo opusculo de Die natali capite decimo septimo , *ex ritualibus* , ut vocat , *Etruscorum libris* , qui tunc adhuc supererant , ait apud eosdem Etruscos *initia sic poni saeculorum quo die urbes, atque civitates constituerentur* . Etrusci vero eundem morem a Lydis orientalibus , qui Etruriam incoluerant mutuati videntur : nam in oriente epochas & saecula a conditis urbibus inchoata fuisse unus instar omnium docere potest Chronologorum nostri aevi facile princeps Henricus Norisius in laboriosissimo opere de Epochis Syromacedonum . Hinc ab Etruscis , qui disciplinas Umbbris & Romanis tradiderunt , eundem morem annos ab urbe condita numerandi utrosque traxisse palam est : licet Romani sero id egerint , ut nos vix tandem a Caroli Magni temporibus annum Christi Dionysianum in nostros Fastos retulimus . Scaliger in libro quinto de Emendatione temporum pag . 385 . & Gruterus cxiii . 2 . hoc egregium vetustatis monumentum Interamnae in Umbria servatum adducunt , ubi epocha ejusdem urbis designatur , insculpta anno Christi xxxii .

SALVTI. PERPETVAE. AVGVSTAE
 LIBERTATIQUE. PVBLICAE
 POPVLI. ROMANI
 GENIO. MVNICIPI. ANNO. POST
 INTERAMNAM. CONDITAM
 DCCIII. AD. CN. DOMITIVM
 AHENOBARBVM. **ET. M. FVRIVM**
CoS
 CAMILLVM. SCRIONIANVM

PROVIDENTIAE. TI. CAESARIS. AVGUSTI. NATI. AD. AETERNITATEM
 ROMANI. NOMINIS. SVBLATO. HOSTE. PERNICIOSISSIMO. P. R.
 FAUSTVS. TITIVS. LIBERALIS. VI. VIR. AVG. ITER
 P. S. F. C.

Nomen


Nomen *M. Furii Camilli Scriboniani*, non *L. Vi-*
tellii, ut putabat Scaliger, ob rebellionem e Fastis
 erasum, qua de re agit Norisius in Epistola Consulari
 pag. 15. nos minio supplevimus. Epocham Inter-
 amnae nobis quoque servavit Sex. Julius Africa-
 nus in Collectaneis Graecis, quae sine nomine
 auctoris exstant post Eusebium Scaligeri pag. 314.
 ibi enim haec habentur. ΟΛΥΜΠΙΚΗΣ ΔΙΑΖΩΜΗΣ.
 κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ἰντεράμνα ἐκτίσθη. nempe olym-
 piadis xxvi. anno iv. in Italia Interamna est condi-
 ta. Hoc contigit Numa Rege Romanorum, anno
 U. C. lxxx. ante natum Christum DCLXXXIII. quod
 notavit etiam Cluverius in Italia pag. 635. Prae-
 terea Dionysius libro tertio capite sexagesimo pri-
 mo regia insignia describens, quibus legati Etrus-
 corum donatum voluerunt Tarquinium Priscum,
 inter cetera memorat *coronam auream* & *sellam*
eburneam, & *sceptrum in summitate Aquilam*
habens, & *tunicam purpuream auro distinctam*,
purpureumque amiculum varium, *qualia sole-
 bant & Lydorum & Persarum Reges gestare*.
 Sane *tunicam χτῶνα* vestem fuisse Lydorum te-
 statur etiam antiquissimus Poeta Lucilius in frag-
 mentis Satyrarum a Francisco Dousa dispositis li-
 bro primo pag. 25. editionis secundae, ubi hic ver-
 sus legitur:

*Praetextae ac tunicae Lydorum opu' sordi-
 dum omne.*


Quare

Quare falsum est, Etruscis nihil ex antiquis progenitoribus Lydis superfuisse: immo iisdem Herculis cultus ideo maxime fuit familiaris, quia ortum suum referebant ad Lydorum Atyadas, qui erant ex Heraclidarum dynastia, ut observat Spanhemius pag. 19. Cosmus de Arena vir antiquitatum Etruriae studiosissimus, sacrificiorum pateras, quae plurimae adhuc variis imaginibus exsculptae supersunt, nominibus Deorum atque hominum adstantium expressis, speravit ad hujusmodi thesaurum aperiendum pro clave aliquando inservituras. Siquidem ipse in patera, quae Herculem in bivio exhibebat, apud Laurentium Panciaticum servata, has literas Etruscas Ebraico more exaratas  sic legit HERCLE. Haec atque alia e typa ex marmoreis inscriptionibus, sigillis, sepulcris, fibilibus, nummis, gemmis, vasis, & pateris diligenter excepta idem Cosmus vulgandas olim misit ad Raphaelem Fabretum: qui tamen praeter unum & alterum suo Inscriptionum operi insertum, ea omnia ad Academiam Oxoniensem per quendam Anglum se misisse olim mihi affirmavit. Quare nobis sperare licet, viros idiomatum orientalium peritissimos, linguae hujus celeberrimae arcanis interpretandis aliquando operam datus: quibus eam in rem stipes duos unciales, assem & semissem Etruscos, ut ex pondere judicamus, hic examinando proponimus.

I.


*Ex museo Jo. Vignolii.*

II.

*Ex museo Francisci Ficoronii.**Ex*




I I I .



Ex museo Ficoroni.

S ij

Ex



Lix museo Huberti Benevolentii Senensis.

“I. V.”

Spanhe-

Spanhemius pag. 112. ex museo Pembrochiano assē
fēm libralem edidit huic postremo similem , licet
hic noster sit integrōr , & careat bovino capite ;
quod ibidem insertum apparet inter biceps caput
virile . Hujusmodi assium literas idem Spanhemius
putat esse veteres Graecas , sive Cadmeas , quales
Evander Arcas ex Graecia , sive generatim , ut ait
Plinius , *Pelasgi* in Latium transtulerunt . Nomina
vero iisdem literis expressa *ignota & forte Etrusca*
esse opinatur . Sed si nomina sunt Etrusca , utique
& literas Etruscas esse oportet , non enim Etrusci
literis caruerunt , sed propriis usi sunt : quas Pu-
nicas fuisse juxta ac sunt in Tabula Eugubina
perperam suspicatur Reinesius in dissertatione de
lingua Punica capite duodecimo num. 1. qui dein-
de num. xxiv. earundem literarum figurās Graecas
inversas ex aliorum sententia statuit : quos tamen
non esse audiendos jure monet Spanhemius pag. 78.
Etrusci operis vetustissimam pateram , ubi Miner-
vae e Jovis cerebro emergentis fabula continetur ,
vulgavit Fabrettus capite septimo num. 387. at-
que aliā quoque num. 391. in qua Medeam Etru-
sce per epenthesin MENEDEA literis perverse-
dispositis dictam , adstante filio Medo ibi eodem
idiomate MEDME appellato , designari coniicit .
Censorinus , qui scripsit opusculum suum de Die
natali anno vulgari ccxxxviii. quemadmodum
ex capite vicesimo primo supputat doctor tempo-
rum


rum Dionysius Petavius in libro nono capite quadragesimo secundo, laudat in capite undecimo & decimo septimo *Rituales Etruscorum libros & Historias octavo eorum saeculo scriptas*. Ex quo sane mirari aequum est, universa nationis sapientissimae scripta & sermonem ita periisse, ut vix locus divinationi supersit. Certe linguam Etruscam prorsus latinae dissimilem fuisse prodiderunt antiqui scriptores: qua de re nihil tamen adduxit Philippus Cluverius in libro secundo Italiae antiquae. Siquidem Livius in libro nono capite tricesimo sexto ait, quum ad silvam Ciminiam a Fabio Consule victi essent Etrusci anno U.C. ccccxlili. Claudium ejusdem Fabii fratrem, qui *Caere educatus apud hospites, Etruscis inde literis eruditus erat: linguamque Etruscam probe noverat*, eos per silvas insequutum: quibus statim haec subdit Historicus: *habeo auctores, vulgo tum Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita Etruscis erudiri solitos, praesertim vero Haruspicinae perdiscendae caussa, quod Cicero tradit in libro primo de Divinatione.* Idem Livius de eodem Claudio & servo illius comite haec postea subjungit: *jere pastorali habitu, agrestibus telis, falcibus gaesisque binis armati. Sed neque commercium LINGVAE, nec vestis armorumve habitus sic eos texit, quam quod abhorrebat a fide, quenquam externum Ciminios saltus intraturum.* De voce gaesum, quod erat

erat Gallorum jaculum, erudite disquirit Humfredus Hodius in libro secundo de Bibliorum textibus originalibus capite octavo. Tacitus, ut jam monui, in libro undecimo Annalium capite decimo quarto scribit Etruscos *ab Corinthio Demarato* litterarum formas didicisse: qui Demaratus in Italiā navigavit anno U.C.xvi. Olympiadis tricesimae anno tertio, & ante Christum natum DCLVIII. ut ex libro primo Dionysii colligit Petavius in libro decimo tertio de Doctrina temporum. Idem vero Demaratus duos filios a se genitos Etruscis nominibus appellavit, nempe Aruntem, & Lucumonem, qui postea in Regem Romanorum assumptus, Lucciā Tarquinius, quod in Etruriaē urbe Tarquinii ortus fuisset, appellari maluit, quemadmodum tradit Dionysius libro tertio capite quadragesimo sexto. Hinc eadem lingua etiam Romani usi sunt, nam Varro in libro quarto de Lingua latina auctor est, Volumnium *Tragoedias Tuscas* conscripsisse, & Plinius in libro decimo sexto capite quadragesimo quarto meminit Ilicis Urbe vetustioris in Vaticano existentis, *in qua titulus aereis literis Etruscis, religione arborem jam tum dignam fuisse significabat*. Huc facit locus Agellii libro undecimo capite septimo sribentis, quod caussidi cujusdam sermone non intellecto (loquebatur enim verbis obsoletis) *quasi nescio quid Tusce, aut Gallice dixisset, universi riserunt*: item quod narrat

rat Plutarchus in Poplicola, nempe C. Mutium quum Porfenant constituitisset opprimere incautum, *veste indutum Etrusca & assimili lingua utentem* καὶ φωνὴ χρώμενος ὄμοιά in castra penetrasse. Sane etiam Herodotus libro primo capite quinquagesimo septimo ait Cortonae populos in Etruria lingua *veteri Pelasgica sive barbara loquutos*, & eam linguac formam conservasse, quam habebant quum illuc migrarent. Strabo quoque, qui sub Tiberio floruit, in libro quinto pag. 226. editionis regiae Parisiensis Falerios Etruriae urbem πόλιν ιδίων γλωσσαν appellat, hoc est sua peculiari *lingua utentem*. Ab Etruscis ritus, sacrificia, superstitiones, artes, ludos, & mores ad Romanos transiisse affirmat e scriptoribus nostris Tertullianus in libro de Spectaculis capite quarto, & Arnobius in libro septimo contra Gentes: immo apud Johannem Pierium Valerianum in Dialogo de lingua Italica eadem lingua conscripto pag. 30. Claudius Ptolemaeus Senensis latinorum literas & disciplinas ab Etruscis derivatas tradit: veterem quoque illorum pronunciationem omnino Etruscā fuisse contendit. Ex his locupletissimis testimoniosis lumen quandam mutuati viri linguarum penitiorum studiosi, ejusdem Etrusci sermonis significationem aliquam forte expescari aliquando actate hac nostra eruditissima poterunt, & prae illis, quorum ingenia ego noverim, Hadrianus Relandus,

dus, & Jacobus Rhenferdus inter Batavos celeberrimi: quorum alter nummos Samaritanos, alter vero inscriptiones Palmirenas laudabili ausu explanare tentavit: licet apud eundem Pierium Albertus Pius Carporum Princeps affirmet, aevo illo, nempe Leonis X. neminem unum in toto orbe fuisse, qui unicum characterem Etruscum legere sciverit: quod nec Graecis, nec Ebraicis, nec Chaldaicis, nec Aegyptiis characteribus contigit. Ceterum Etrusca monumenta publici juris fecerunt Gruterus pag. cxlili. & cxlv. Felix Ciattus in Memoriis Perutiae ibidem impressis anno MDCXXXVI. Cosmus de Arena in serie Marchionum Etruriae, Leonardus Augustinus in Gemmis antiquis num. clii. Petrus Sanctes Bartolus in Sepulcris antiquis, Fabrettus in Inscriptionibus pag. 538. 542. & 696. & Philippus Bonarota in Observationibus nummariis pag. 210. Nos quoque puerile signum artificio & notis Etruscis ornatum hic exhibebimus, ut potissimum a Gisberto Cupero clarissimi nominis viro gratiam aliquam ineamus, qui de hujusmodi antiquitatibus Etruscis semel atque iterum nos interpellavit. Porro hujusmodi monumenta Etruscis characteribus insignita, qui omnino diversi sunt a ficticiis illis, quibus constant Inghiramiae antiquitates, non solum in Etruria circa Florentiam, Arretium, Volaterras, Clusium, Perusiam; Cortonam, Viterbum, Cornetum, & Faliscos;

verum etiam in Umbria Eugubii & Pisauri reperiuntur. In Gaza Medicea varia quoque servari me docuit ejusdem praeclarus custos Sebastianus Blaneus , quale est aenea statua , forte alicujus ex Lucumonibus , juxta Perusiam olim effossa , & a Ciatto pag. 53. inepte expressa : chimaera item aenea , & urnae nonnullae . Simulacrum puerile , quod nos hic damus , erutum fuit anno 1587. juxta lacum Trasimenum in loco , qui dicitur *Pila* : illudque edidit Ciattus , sed specie inversa & rudi , nec sincere efformata . At ex ipso prototypo huc Romam allato , cujus altitudo palmum unum excedit , accuratissimum exemplar nobiscum communicavit vir nobilis Paullus Aemilius Montesperellus Perusinus . Stephanus Pighius in Hercule Prodigio pag. 353. se vidisse memorat in Bibliotheca Ducis Ferrarensis signum laurea coronatum , in cuius collo torques , in sinistro superiore brachio armillae bullis dependentibus plenae , rotundis alternatim & humani cordis specie factis conspiciebantur ; in femore autem sinistro inscriptio Etrusca , quae *a paucis legi , a nemine fere intelligi poterat* . Puer quoque hujus nostri collum , brachia & pedes torquibus sive armillis cinguntur , & avem manus dextera stringit . Sinistra vero pomum vel aliquid simile gestat . Femoris inscriptionem seorsum pariter incidendam curavimus .



SNEPEM* ECSAN MLC EEP

BLEPHAROSANMIC FEP

C A P U T . V I I I

S Y N O P S I S

I. *Evocati Augustorum quinam, & unde dicti.* II. *Tiberinus Pater Hortae cultus.* III. *Fluvii, ut Dei, quare adorati.* IV. *Fasti consulares correcti. Nomina compendiariis notis signata.* V. *Officium ab Epistulis.* VI. *Non Epistola, sed Epistula usque ad sextum saeculum scriptum fuisse probatur contra doctissimos viros.*



E D tandem e longiori diverticulo, quo ad Etruscas antiquitates excurrimus, ad Coloniam Hortanam redire aequum est, ut ejus inscriptiones & prisca monumenta recitemus: quod praestabimus indicatis locis ubi servantur illa, quae non sunt in villa Nuptiana.

I.

V I C T I A . C . F
R E S T I T V T A
V I X . A N N . V
M E N S . X I . D I E B
X V I I

T ij

M. IV-

I I.

M. IVRI. HAMILLI. M. IVRIVS
 PRVCIVS. FARI . . . A. HEL . . .
 LISVS. I. ATIONO. B. M

I II.

S A C . . .
 A V F I D I A N A . . .
 T E S T A. V. S. L. M

I V.

S E X. A T V S I V S
 S E X. F I L. F A B I A
 R O M A. P R I S C V S
 E V O C. A V G
 P R I M V S. O M N I
 V M. A R A M. T I B E R I N O
 P O S V I T. Q V A M. C A L I
 G A T V S. V O V E R A T

Hortae in muro viridarii Albertorum.

Hanc inscriptionem vulgavit Fabrettus capite sexto num. 7. & ante ipsum Caesar Ripa in Iconologia parte prima pag. 186. editionis Patavinae anni MDCXVIII. sed uterque paullo aliter scriptam, & lineis secus ac sunt in marmore dispositis, neque in eam quicquam commentati sunt. Ego minime puto silentio praetereundum, quod apud rei veteris

teris scriptores hactenus nominatam non viderim gentem Atusiam , ex qua fuit hic noster Sex. Atusius Priscus : inter cujus nomen & cognomen Tribus & patria de more designantur : qui fuit ex ordine equestri , uti erant Evocati Augustorum , qui saepenumero occurrunt in inscriptis lapidibus . Ad hos spectabat excubias agere circa cubiculum Imperatoris : ad quod munus primus omnium Galba delegit vice militum *equestris ordinis juvenes* , qui , manente aureorum anulorum usu , *Evocati appellarentur* , ut ait Suetonius in ejus vita capite decimo . siquidem isti non erant proprie *Evocati* : quod nomen tantum dabatur emeritis veteranis , gnaris , prudentibusque militiae , qui expletis stipendiis , in gratiam Consulum & dum cum ultro militiam iterum sumebant . Quia vero literis aut nunciis nominatim evocabantur , inde nomen obtinuerunt , ut docet Lipsius de Militia Romanorum libro primo dialogo octavo .

II. Ante omnes ab Atusio , Evocato Augusti alicujus , ex voto Caligati existimo *Tiberino patri* , tanquam numini , sub Civitate Hortana prope Tiberis ripas , ubi lapis erutus est , Aram etiam fuisse , quemadmodum postea Diocletianus & Maximianus *Tiberino patri aquarum omnium monumentum vovent apud Gruterum CLXXXVIII.6.* nusquam enim de aris Tiberini quicquam amplius me legere memini . Ceterum Petrus Berthal-

dus

dus in libro de Ara capite tricesimo num. xi. notavit positas fuisse Aras fontibus, fluviis & stagnis, in quorum aquis *sacris* religione veterum navigare vel natare homines prohibebantur, ideoque Plinius scribit de lacu Vadimonis: *nulla in hoc navis, sacer enim est*, & Tacitus Annalium libro decimo quarto capite vicesimo secundo refert, Neronem fontem aquae Martiae natatione polluisse hoc modo: *iisdem diebus nimia luxus cupidio infamiam & periculum Neroni tulit, quia fontem aquae Martiae ad urbem deductae nando incesserat: videbaturque potus sacros & caeremoniam loci corpore toto polluisse.* Sequutaque anceps valetudo iram Deum affirmavit. Forte hujusmodi fontis, vel potius alicujus Aquaeductus fit mentio in cippo ad gradus ecclesiae cathedralis Hortanae ubi haec semesa leguntur.

V.

ORICIS
NISQUE OBSESSVM
CORVGIENTS PRO
PROPVGNAVIT
IS AQVAM SANCTAM
DVXIT DEVOTV
AIESTATIQVE EI
VS M D VII

Tibe-

Tiberinum quidem patrem a Romulo inter Deos relatum docet Varro apud sanctum Augustinum, libro sexto capite decimo de Civitate Dei : qui & libro quarto de LL. locuples testis est, cultum fuisse Deum Tiberinum : in cuius honorem Tibernalia spectacula xvi. kal. Septembres notantur in veteri kalendario apud Petrum Lambecium tomo quarto Bibliothecae Caesareae pag. 284. Hinc Horatius Cocles apud Livium in libro secundo capite decimo armatus in Tiberim desiliens, *Tiberine Pater*, inquit, *te sancte precor, haec arma et hunc militem propitio flumine accipias*: nam Servius in librum primum Georgicorum, & in primum Aeneidos, necnon Lactantius libro quarto Divinarum institutionum capite tertio, Deos omnes patres generatim dictos fuisse testantur : quo nomine Tiberis appellatur a Pedone Albinovano, a Virgilio aliisque. Seneca autem epistola quadragesima prima ita scribit : *magnorum fluminum capita veneramur, subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet : coluntur aquarum calentium fontes, et stagna quaedam vel opacitas vel immensa altitudo sacravit*. Hinc ipsas etiam aquas Albulas juxta Anienem cultas fuisse testatur haec vetus inscriptio ab Holstenio edita in notis ad Cluverium pag. 131. & a Fabretto capite sexto num. 8.

A Q V I S. A L B V L I S
 S A N C T I S S I M I S
 V L P I A. A T H E N A I S
 C. V L P I I. A V G
 L I B. A B. E P I S T V
 L I S. V X O R
 L I B E N S
 D. D

Siquidem veteres illi fluvios , ut Deos , constructis
 templis adorabant , de quo fuse agit Vossius de
 Idololatria libro nono capite tricesimo quinto :
 fluviis quippe divinitatem inesse putabant , unde
 Plinius libro octavo epistola octava narrat , in
 Umbria templum fuisse , in quo Clitumnus flu-
 vius *amicitus ornatusque praetexta* colebatur , &
 circa complura castella *totidem Dei simulacra*
sparsa fuisse . Sic Blandusiae fonti in Sabinis prope
 opidum Regillum haedo sacrificatum docet Horati-
 ius libro tertio ode xiii. Crines etiam fluminibus
 sacrabant , ut Achilles Sperchio apud Homerum
 Iliados vicesimo tertio , & Philostratum de vita
 Apollonii libro quarto capite quinto : item Ajax
 apud eundem Philostratum in Heroicis ; quod scili-
 cet crines humore alantur .

III. Cur autem fluvios adorarent , varias cau-
 fas recenset Maximus Tyrius dissertatione xxviii .

Eft

Est & suus fluviis bonos aut ob utilitatem, quomodo Aegyptii colunt Nilum: aut ob pulchritudinem, ut Peneum Thessali: aut ob magnitudinem, ut Istrum Scythae: aut ex fabula, ut Aetoli Acheloum: aut ex lege, ut Spartiatae Eurotam: aut ex sacro instituto, ut Ilissum Athenienses. Hinc fuere & sua fluminibus simulacra. Fingebantur longa caesarie, ut pueri cirrati, & capite arundine redimito, quia ea in flaviis succrescit. Hinc Ovidius libro quinto Fastorum de Tiberi vers. 637.

*Tybris arundiferum medio caput extulit alveo.
Aedem vero & iconem Tiberis lepide satis effingit Sidonius in Panegyrico Anthemii v. 320. De fluminum figura ex antiquis numismatibus erudite agit etiam V. C. Philippus Bonarota in suis Observationibus pag. 34. ubi Cydni fluvii imaginem in nummo Tarsensium examinat. Quae hic sequuntur epitaphia in villa Nuptiana servantur.*

* vi.

C. ANTISTIVS
EPAPHRODITVS
VIPSTANAE
ATTIDI
VXORI
SANCTISSIMAE

* VII.

D. M

T I. C L A V D I O
 H Y A C I N T H O
 T I. C L A V D I V S
 A G R I P P A
 P A T R I. P I I S S I M O
 F E C I T

* VIII.

D. M

F. A T A L A N T E^{sc}
 M A T R I
 D V L C I S S I M A E
 F. Z O S I M E
 F I L I A

IV. Is C. Antistius, qui supra in lapide vi. memoratur, in caufsa est cur edamus inscriptionem nuper effosam ad Divi Paulli in via Ostiensī, quam nobis tradidit Thomas Maria Minorellus sacerdos Ordinis Praedicatorum, vir pietate & non inani doctrina spectatissimus.

IX.

D. M. P. FANNIUS. AVILIVS. PROCVLVS. FECIT
 TITIAE. FIRMAE. ET. P. FANNIO. PROCVLO
 PARENTIBVS • BENEMERENTIBVS • ET • P. FANNIO • PRIMIGENIO • LIBERTO
 ET • FANNIAE • RANAVSIDI • LIBERTIS • LIBERTABVSQVE • POSTERISQVE • EORVM
 C. ANTISTIO. VETERE. MANLIO. VALENTE. COS

156 DE. ANTIQUITATIBUS. HORTAE

Hi Consules processerunt anno Dionysiano xcvi.
vel secundum Panvinium in Fastis a Jacobo Strada
editis, in quibus annum unum antevertit, anno
vulgari xcviij. U.C.DCCCXLVIII.Olympiadis ccxviii.
anno iv. ubi *C. Fulvius Valens* perperam appellatur,
ab Anonymo autem Vindobonensi per Nori-
sum vulgato, *Valerianus*, qui ex nostro lapide est
Mantius Valens. Inscriptioñem viii. vulgavit Fa-
brettus capite decimo num. 433. & sub sigla F.
putavit latere nomen gentis Flaviae, uti in alia,
quam dederat capite quinto num. xxv. pag. 371.
ubi legitur:

T. F. PAEDEROTI. AVG. LIB

non enim insolitum nomina ipsa, ut passim de-
praenominibus advertimus, compendiariis notis
signare, quod exemplis ostendit pag. 372.

* x.

DIS. MANIBVS

I V L I . E V T Y C H E T I S
Q V I . V I X I T . A N N . X X X
I V L I A . T Y C H E . C O N I V G
C A R I S S I M O . F E C I T
E T . S I B I . E T . S V I S . L I B E R T .
L I B E R T A B V S Q V A E ^{sc}
P O S T E R I S Q . E O R V ..

D.M

* xi.

D. M

I. FLAV. AVG. L. ILIAE
 A B. EPISTVLIS. LATINISSLsc
 CLODIA. SVCESSA. CONIVG
 ET
 FLAVIA. MARCELLA. PATRI
 OPTIMO. PISSIMO QV
 FECERVNT

V. Liberti ab *epistulis*, quod munus dabantur etiam Servis, nusquam non occurunt inter officia domus Augustae, de quibus eruditus Jacobus Gutherius in opere de eodem argumento libro tertio capite quarto. Hi *a manu* atque etiam *amanuenses* aliquando dicti fuerunt, quod scriberent literas domini mente conceptas. Hadrianus Imperator, ab *epistulis* & a *libellis* primus equites Romanos *habuit*, ex Spartiano in ejus vita capite vicesimo secundo: quod tamen non videtur obtinuisse, nam liberti ab *epistulis* Augustorum occurunt etiam post Hadrianum. Julius Caesar Scaliger modum scribendi ab *epistulis* per *u*, non per *o*, primus omnium reprobavit in libro primo de Caussis linguae latinae capite vicesimo primo, ubi ait Tuscos Umbrosque litera *o* caruisse, *quare qui epistulam*

stulam, & adolescentes malunt dicere, *Umbros* sese, non Romanos profiteri: siquidem literam o aliquot Italiae civitates, teste *Plinio*, non habebant, sed loco ejus ponebant u, & maxime *Umbri* & *Tusci*, ut ait *Priscianus Grammaticorum* corryphaeus in libro primo inter Grammaticae latinae Auctores antiquos collectos ab *Elia Putschio* col. 553. In eandem sententiam ivit *Aldus Manutius junior* in *Orthographia* pag. 296. secundae editionis, ubi tamen novem lapides adducit, magno *Thesauro Gruteriano* postea insertos, in quibus secus legitur atque ipse usurpandum esse contendit, semper nempe ab *epistulis* per u non per o. *Scaligeri* & *Manutii* vestigia pressit *Justus Lipsius* in *epistolicae institutionis* capite primo, ubi licet agnoscat, Angelum Politianum aliosque *epistulam* u media scripsisse, fretos, ut fatetur, auctoritate librorum, & *lapidum*; nihilominus per o rectius scribendum putat, magisque *ἀναλόγως*. His se jungit *Claudius Dausquis* in *Orthographicis* pag. 121. putans & ipse dici debere *epistola* per o, quasi id velint *Graecae voces Latio donatae* ab eadem origine. Affirmat quidem *epistulam* portari in tergo *lapidum* aliquot: (rectius dixisset omnium ubi ea vox memoratur) necnon a Politiano & Oberto Gifanio usurpari ex Pandectis Florentinis: sed tamen contra eos aequis frontibus stare ait *Scaligerum* & *Lipsium*, quorum opiniones

niones retulimus. Ab horum sententia stat etiam Gerardus Johannes Vossius in Etymologico linguae latinae, ubi putat ex etymo ἐπιστολὴ scribendum per o epistola, non per u epistula: qui mos ipsi videtur nonnisi inclinante saeculo irrepuisse. Hoc etiam novissime arrisit Christophoro Cellario in Orthographia pag. 105. secundae editionis ubi receptae opinioni & ipse laetus lubens subscrispsit.

VI. At ego, licet tantulus sim, istis literariae Reipublicae Seviris diem dicere non vereor, quod conjectationes suas nudius tertius excogitatas alter post alterum integerrimis & elegantissimis veterum saeculorum publicis & privatis tabulis malleo descriptis praeferre non dubitaverint. Quippe officium ab epistulis saepenumero occurrit apud Gruterum, & nunquam nisi per u exhibitum, ut pag. LXI. 4. CCLXXII. 1. CCCCLXXII. 5. DLXXVII. 6. DLXXXVI. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & DLXXXVII. 1. 2. 4. 5. Apud Reinesium classe ix. num. LIII. apud Fabrettum capite quarto num. 29. & 256. capite quinto num. 1. & capite sexto num. 8. Item apud Jacobum Sponiūm in Miscellaneis eruditiae antiquitatis sectione sexta pag. 205. & 206. nec non & apud clarissimum Vignolium in inscriptionibus cum Dissertatione de Columna Antonini Pii nuper vulgatis pag. 285. EPISTVLAM iterum habet Gruterus pag. ccxiv. linea 13. qui modus scribendi adhuc durabat quarto saeculo exeunte, quippe pag. xxviii. 2. legi-

legitur MAGISTER . EPISTVLARVM Valente & Valentiniano Coss . Ex tot & tam constantibus antiquorum marmorum testimoniiis Josephus Justus Scaliger , patre Julio Caesare in hac re prudentior , in Indice Gruteriano undevicesimo scriptum reliquit : *epistula pro epistola ita semper* . Saeculo demum sexto vetus ille mos continua priorum temporum serie ductus exsulare coepit , dum *epistola* per o , non amplius per u usurpari inchoavit , ut patet ex inscriptione Reinesiana Classe vi . num . xl . ubi Flavius Theodorus MEMORIALIS . EPISTOLARVM Justino & Justiniano Imperatoribus inscribitur ; licet tamen eodem aevo accuratius exarati Pandectae Florentini costanter ac perpetuo *epistulam* habeant , *epistolam* nunquam etsi Graeca , unde latina ducta est appellatio , ita pronunciandum suadeat , ut inquit Barnabas Brissonius in Operibus variis pag . 388 . ubi ε in veterum auctorum manu exaratis libris *epistulam* scribi , per alios ante monitum tradit , quanvis id miretur ipse , originem vocis respiciens . Eo deinde impegit etiam Cellarius , qui fatetur , in multis inscriptionibus esse *epistula* , illud tamen addens : *nescitur qua ratione* . Verum Orthographia non rationi , sed consuetudini seruit , ut agnovit Quintilianus . Quare inclinante saeculo non *epistula* pro *epistola* , ut putabat Vossius , sed *epistola* pro *epistula* irrepsit . Hujus proinde inferioris aevi uti que

que est lapis Florentinus a Sponio adductus loco superius indicato pag. 205. in quo legitur AB EPISTOLIS , nisi potius sit error Sponii exscriptoris : quod facilius credo propterea quod idem auctor servos *ab epistolis* latinis & Graecis semel atque iterum vocat , non *ab epistulis* , ut debuissest . Aeque levissimum est quod idem Vossius ceterique de etymo obtrudunt : non enim semper vocabula easdem literas retinent , quas in primaeva origine sua habuerunt , quemadmodum ipse met Vossius dicit in Tractatu de literarum permutatione , quem Etymologico suo praefixit ; & praecipue ubi vocum latinarum syllogen adducit , a Graeco fonte ortarum , in quibus *o* mutatur in *u* : sic *fistula* , ut ait Isidorus in libro tertio capite vicesimo , ita dicta quod vocem emittat , ubi respicit Graecum φωνὴ vox , & σέλλω , mitto , ut notat Vossius in Etymologico : sic *epistula* ἐπιστολὴ , quasi dicas missoria , ab ἐπισέλλω mitto ; utraque nempe vox non per *o* , sed per *u* prolata ex eodem fonte deducitur . Hinc scite Obertus Gifanius in *epistula* ad lectorem Lucretii sui , de Graecis verbis loquens , iisque omnibus , quae Graeca sunt origine , sed Romana prorsus jam facta , non ideo tamen scripturam Graecam ea sequi debere putat ; verbi causa *ocius* , *hiems* , *stilus* , *silva* , atque etiam *EPISTULA* , & alia plurima . Consuerunt enim latini quaedam ab aliis sumpta nomina ita conformare & consignare , ut

*originem ipsi agnosci nolint , suaque prorsus esse ut existimentur , student . Inde post alia addit : si ob originem mutare semper licebit scripturam , omnis lingua latina turbabitur . Quod ajunt Umbros & Tuscos u pinguiore aurem oblimasse , Romanos o rotundiore mulsisse , nullius ferme momenti est ; lapides enim plerique a nobis recitati neque Tusci neque Umbri , sed Romani sunt , & puriori Romana lingua scripti . Verum quidem est , Romanos o litera frequentius , quam u olim usos fuisse , sed hoc nonnisi priscis & obsoletis illis temporibus , quae aureo Latinae linguae saeculo praeiverunt , quando consentiunt pro consentiunt , virom pro virum , consol pro consul , Appios pro Appius , honc pro bunc scribebant , ut docet vetustissima inscriptio L. Scipionis Barbati a Sirmondo , & Aleandro nostro explicata . Hinc illi majores nostri , Aboriginum & Evandri nepotes , scribebant etiam *Hecuba* , *notrix* , *dederont* , *probaveront* , teste Fabio in libro primo capite quartō : quae deinde venustius compositum Latinorum os per u efferre decrevit . Et sane literas u & o jam olim invicem permutatas non in Graecis solum , sed in Latinis etiam nominibus , non uno exemplo ostendit Spanhemius in majori opere pag . 120 . Quare ex his illud conficio , *epistola* per o fuisse rudis adhuc & balbutientis Latinae linguae , atque ejusdem etiam inorientis & in barbariem prolapsae : adultae vero*


vero & floridae ejusdem linguae aetatis exstitisse
epistula per *u*. Certe Priscianus in libro primo
 col. 554. nostram sententiam confirmat his verbis.
V quoque multis Italiae populis in usu non erat;
 sed e contrario *O*, unde Romanorum quoque ve-
 tustissimi in multis dictioribus loco ejus, *O* posui-
 se inveniuntur, ut publicum pro publicum: quod
 testatur Papirianus de Orthographia, polchrum.
 pro pulchrum, colpam pro culpam dicentes, & Her-
 colem pro Herculem. Hunc locum Prisciani emen-
 davimus ex duobus codicibus MSS. eximii nostri-
 que amicissimi Abbatis Dominici Passionei, quo-
 rum unus fuerat Poggii Florentini, a quo illumi-
 emit Dominicus Brasichellensis, tradiditque Johanni
 Carolo Borromaeo, ex cuius manibus transiit
 deinde in potestatem Isabellae Estensis Mantuae
 Marchionissae, ut in eodem codice adnotatur.
 Idem opido locus Prisciani cum alio, quem superius
 adduxi num. v. collatus palam facit, Politianum,
 qui ante omnes in epistola ad Bartholomaeum Sca-
 lam libro quinto pag. 63. operum editionis Basileensis anni MDLIII. & deinde Scaligerum seniorem,
 Dausquium, & Vossium patrem incaute admodum,
 ex eo, quod Umbri & Tusci literam *u* pro *o* usur-
 paverint, putasse apud Romanos dictum *epistola*,
 apud Umbros & Tuscos *epistula*. Priscianus enim
 in primo loco non loquitur de lingua Latina, sed
 de lingua Umbrorum & Tuscorum: quae in ra-

dice una eademque erat. Umbrorum enim lingua ab Etrusca tantum dialecto differebat: in secundo vero loco intelligit de lingua veteri Latina, quae litteram pro *u* aevo illo adhuc rudi usurpare consuevit, ut exemplis & auctoritate ipsa ostendimus. Ex his palam fieri puto antiquam & constantem sex & viginti lapidum scripturam, non Umbram, aut Tuscam, sed Romanam; item Pandectarum & voluminum manuscriptorum auctoritatem jure & merito praeferri debere novis recentium hominum placitis, qui nulli veterum exemplo innixi aliter scribendum esse opinantur: atque hinc inter ceteros praecipue laudandus Vignolius noster, qui ad purioris vetustatis amissim animum intendens, quum officium suum designaret, viri Principis Columnensis *ab epistulis* se nuncupari voluit.

C A P U T . I X

S Y N O P S I S

- I. Feminarum cognomina asserta. Gens *Plutia* a *Plautia* diversa. II. *Francisci Robortelli* sententia de servis medicis contra *Sponium* confirmata. III. *A Cyato* idem ac *pincerna*. IV. *Duplicis generis sepulcra*, *familiaria*, & *hereditaria*. V. *Liberti Augustales*. VI. Gens *Tucia*, & *Catia antiquissimae*. Materi pro Matri. *Horta in Tribu Arniensi* descripta antequam *Colonia militaris* deduceretur. VII. *Liberti hereditariis sepulcris per testamentum honorati*.



U A B U S inscriptionibus superius adductis, nempe x. & xi. in quibus cognomenta feminis tribuuntur, tertiam proferemus. singulae enim robur addunt ceteris a Petro Servio recitatis in capite septimo Miscellaneorum, ut feminis cognomina adstrueret contra *Carolum Sigonum* & *Franciscum Robortellum nostrum Utinensem*, secus opinantes.

* i.

P L V T I A E
F O R T V N A T A E
H E L I V S. C O N I V G
B. M. F E C I T

Hac

Hac autem PLVTIA reiicitur commentum Reine-
sii , qui Classe xi. num. xxxiii. in faxo Romano mar-
morarii arbitrio putavit expressum PLVTIO pro
PLAVTIO , quum reapse exstiterit gens Plutia
alia a Plautia , atque utriusque exempla suppeditat
Index Gruterianus vicesimus tertius .

* I I.

M. ALLIVS . PAMPHILVS
M E D I C V S
PRIMILLAE . L. ET . VXORI . ET
PRIMO . L. DELICIO
CARISSIMIS . SIBI . FECIT
IN . FRONTE . P . XXII . IN . AGR . P . XXV

II. Haec inscriptio , quam dedit Fabrettus
capite decimo num. 420. pag. 720. mihi in men-
tem reducit Jacobum Sponium , qui in libro Gal-
lico inscripto *Recherches curieuses d' Antiquité*
Dissertatione vicesima septima pag. 419. refutare
conatur Robortelli sententiam , affirmantis tantum
servos artem medicam olim exercuisse . Ad quod
iterum incumbit in Miscellaneis eruditae Antiqui-
tatis sectione quarta pag. 144. saxis Robortellum
adgrediens , idque ridiculum ejus commentum
appellans . At quamvis etiam unus & alter inge-
nuus eam artem aliquando exercuerit , ego puto
negari non posse , plerunque servos & libertos illi
ope-

operam dedisse. Forte etiam hic noster M. Allius Pamphilus fuit e grege servorum; Phaebianus item servus medicus nominatur in lapide Aquilejensi, quem vulgavit Turrius in Dissertatione de Colonia Forojuliensi adjecta Monumentis veteris Antii pag. 361. quare opinionem Robortelli non censeo adeo ridiculam, uti Sponius medicus arbitratur. Neque hos binos *M. Allium*, & *Phaebianum* medicos *ocularios* quis dixerit, non enim additur ea nota, quam alibi adesse animadvertisit Sponius, & Salomon Cellarius in Antiquitatibus medicis pag. 42. Nec obstat, aliquem ex Medicis sive civem Romanum & in dignitate constitutum; nam id pecuniis, quas arte medica comparaverant, conseqebantur, ut ex veteri inscriptione docet Hieronymus Mercurialis vir acerrimi judicii & ipse praestantissimus Medicus, in Variis lectionibus libro tertio capite vicesimo secundo, qui a sententia, quam enixe aversatur Sponius, adeo non abhorret quin diserte fateatur, ex medicis multos servos extitisse. Nolim tamen hinc precium artis medicae professorum elevari, quos mihi semper amicissimos cupio; quippe ideo antiquitus medicorum munus ignobilius sive puto cum Barnaba Brissonio libro primo Selectarum antiquitatum capitulum quarto, quod ipsimet manibus suis venas incident, medicamenta praebarent, iisdemque omnibus, quibus hodie Chirurgi, partibus fungerentur.

D.M

* III.

D. M

Q. CONBARISSIO. AEMILIANO
 Q. CONBARISSIO. ALAGINO
 FRATRIBVS

IV.

A S M E N V S
 N E R O N I S . C A E S A R I S
 A . C Y A T O ^{sc}

III. Utranque ab Illustrissimo Nuptio acceptam edidit Fabrettus, et si paullum immutatas: primam quidem capite nono num. 139. alteram vero capite decimo num. 370. ubi tamen non animadvertis peregrinum modum loquendi A. CYATHO, cuius unicum exemplum dedit Gruterus pag. DLXXXII. 4. ubi legitur Doryphorus Caesaris A. CYATHO pro eo, quem pocillatorem & pincernam veteres appellant, & elegantiores Latini *ad Cyathum*, sive *ad Cyathos*, quod convivis vinum in *Cyathis* ministrarent, unde Horatius libro primo ode XXIX.

*Puer quis ex aula capillis
 Ad Cyathum statuetur unctis?
 & Propertius lib.4. eleg.9.
 Lygdamus ad cyathos, vitriq; aestiva supellec.
 & C.*

& C. Memmius *ad cyathum & vinum* Nicomedis memoratur apud Suetonium in Julio Caesare capite undequinquagesimo. Cyathus erat minimum poculum, Graecis & Romanis usitatissimum, quo potus suos dimetiebantur, ut notat Gullielmus Stukius Antiquitatum Convivalium libro tertio pag. 339. Qui vinum ministrabant, *a potionē* etiam dictos notat eruditissimus Servorum commentator Laurentius Pignorius. Porro quum Titus Popma in libello de operis Servorum pag. 64. observet, id olim ministerium apud Graecos & Romanos honestum fuisse, & nobilissimos juvenes in conviviis & sacris publicis id munus obiisse, facile assentior hunc nostrum Asmenum claro genere ortum, praeципue quod Neroni Caesari potum ministraverit. *Asmenus* quidam poeta memoratur in Appendice Virgiliana, quam vulgavit Josephus Scaliger, ubi aliquot ejusdem Asmeni epigrammata in laudem Maronis recitantur.

* v.
D. M
M E S S O R I
M Y S T A E
B A T H Y L I A N E N S E S

Messoris Dei meminit Fabius Pictor apud Servium in librum primum Georgicorum, sed quinam fuerint
Y *Mystae*

Mystae Bathylanianenses fateor me ignorare , & magna gratiam a me inhibet qui id me decebit . Ex literis autem D.M. nempe dIs Manibus , corculo intermedio , quod est signum gementis , suspicor , hoc epitaphium exstructum a Bathylanianensibus , quiunque ii fuerint , non Deo Messori , sed Mystae alicui Messoris Dei , licet hic efferatur in dandi casu . sic enim L . Valerius Sacerdos Jovi Tonanti occurrit apud Gruterum pag . cccvii . num . 7 .

* vi.

In Sarcophago marmorea .

D . M

E G R I L I A E
F E S T A E
A E G R I L I V S
H E L I V S
H E R E S

* VII.

D . M

T . AELIVS . AVG . LIB . FAVSTVS
ET . AELIA . ARETE . VXOR . FECERVNT
VIVIS . SIBI . ET . LIBERIS . SVIS . ITEM
LIBERTIS . LIBERTABVSQVE . SVIS . ET
POSTERIS . EORVM . ITAVT . NE . DE
NOMINE . SVO . AVT . FAMILIAE . EXEAT
VT . POSSIT . MEMORIAE . SVAE . QVAM
DIVTISSIME . SACRIFICARI

Quan-

IV. Quantum fuerit apud veteres proprii nominis aeternandi studium , vel hinc colligere licet , dum isti Aelius Faustus , & Aelia Arete coniuges vetant sepulcrum *exire de nomine suo vel de familia* , idest transire in aliam gentem aut in heredes ; idque *ut possit memoriae suae quam diutissime sacrificari* : quod alibi non est ita obvium . Enimvero duplicis generis erant sepulcra ; familiaria , & hereditaria , ut ostendunt Barnabas Briffonius libro secundo Selectarum antiquitatum capite decimo quarto , & Jacobus Gutherius de Jure Manium libro tertio capite ix. quod male viii. inscribitur . Hereditaria erant quae quis sibi , heredibusque suis , vel quae pater familias jure hereditario acquisiverat : familiaria autem quae quis sibi constituebat , familiaeque suae , cuius significatio ad libertos quoque referebatur , nam liberti patronorum nomina assuebant , illorumque gentiles dicebantur . Hinc apud Gruterum pag. DCCLV. num. i. *Annia Cypris monumentum facit Aimilio conjugi , SIBI. SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE NOSTRIS. POSTERISQVE. EORVM. HOC MONVMENTVM. NE. DE. NOMINE. EXSIAT* , quae formula occurrit etiam pag. DCCLXV. 5. & MCXL. 7. Item apud Fabrettum capite secundo num. 179. TI. CL. ZOSIMVS. ET. PLAVTIA ZOSIME. VIVI. SIBI. FECERVNT. SVISQVE LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POSTERIS-

QVE. EORVM. NE. DE. NOMINE. ^{sc} EXIAT
NOSTRORVM . &c. quae prohibitio ea sepulcra
afficiebat, quae familiaria vocabantur. Apud Scae-
volam Jurisconsultum in Digestorum libro octoge-
simo primo tit. 1. lege xc. iisdem pene verbis Lu-
cius Titius testamento ita cavit : *praediolum meum
dari volo libertis , libertabusque meis , & quos hoc
testamento manumisi , & Sejae alumnae meae ,
ita ne de nomine familiae meae exeat* : quae formu-
la frequens est apud veteres Jurisconsultos . Libro
octogesimo secundo Digestorum tit. 1. lege xxxvi.
§. filiam suam ; *veto* , inquit Titius ex eodem Scae-
vola , *aedificium de nomine meo exire , sed ad ver-
nas meos , quos hoc testamento nominavi , pertine-
re volo* . Sicut vero monumenta veteabantur de fa-
milia *exire* : quod jus erat sepulcri ; sic etiam si
quando illud jus in alios transferebatur , hi *adire*
illa permittebantur : *aditus enim est jus personale
eundi ad monumentum & transeundi per domum ,
vel hortum monumento vicinum* . Hinc in amplis-
fimo & elegantissimo lapide Romano apud Gru-
terum MLXXXI. 1. haec leguntur . AD . ID . MO-
NUMENTVM . ITVM . ADITVM . AMBITVM
ADQVE . HAVSTVM . CORONARE . VESCI
MORTVVM . MORTVAS . MORTVOSVE
OSSA . INFERRE . VT . LICEAT . &c. *Ambitus*
monumenti erant pedes in fronte & in agro , longi-
tudinem & latitudinem designantes , qui passim
in

in hujus generis lapidibus nominantur. *Itus* igitur, *aditus* & *ambitus* cessio ideo conjungitur donationi hujus monumenti, quia monumentum sine illis inutile fuisse; atque hinc etiam dominus fundi ejus ubi erat sepulcrum, vendito eodem fundo, *itum*, *aditum*, *ambitum* ad sepulcrum, funeris faciundi caufsa habebat, quomodo in legibus praediorum vendundorum cautum fuisse testatur Pomponius in Digestis libro XLVII. tit. XII. L. v. de Sepulcro violato. Solebant enim veteres Romani monumenta eorum, quos in vita caros habuerant, frequenti aditu honorare, quemadmodum crebrae formulae de *itu*, *aditu*, *ambitu* in saxis sepulcralibus testantur DLX. 5. DCLXII. 5. DCCXCVIII. 6. DCCCCLIII. 7. DCCCCXLIV. 2. Per HAVSTM denotatur jus personale hauriendae aquae e puteo vicino: de quo jure aquae HAVSTVS est inscriptio Veronensis apud Jacobum Cujacum libro decimo tertio Observationum capite tricesimo sexto, in qua haec habentur. HVIVS. MONVMNTI. EMPTIONI ACCESSIT. ITER. AC. IVS. AD. PVTEVM HAVSTVS. AQVAE. Nos hujusmodi puteum non semel inspeximus ad viam Appiam in villa Morona ante portam Capenam juxta sepulcra familiarum Passienae & Passeniae tertio ab hinc anno detecta, ubi erant cubicula & in his ollaria seu columbaria, illis perquam similia, quae descripta dedit Fabrettus capite primo pag. 1. 10. 16. & 18. Putei vero

vero non minus quam *itus* , *aditus* & *ambitus* cef-
sione opus erat propter usum aquae , in inferiis &
sacrificiis mortuorum libari solitae . Memoratam
inscriptionem Gruterianam MLXXXI . I . per partes ex-
plicat Fridericus Brummerus in capite decimo quar-
to politissimi Commentarii ad legem Cinciam .
Quare puteis istis nihil omnino est cum puticulis ,
de quibus erudite differuit Cuperus in notis ad ca-
put xxxix . Lactantii de Mortibus persecutorum
parte altera pag . 222 .

VIII.

BABERIA . C. ET. O. L. FAVSTA
FECIT. SIBI. ET
C. BABERIO. O. L. CERIALI. AVG
ET. BABERIAE. O. L. SYMPHERVSAE
ET. BABERIO. O. LIB. LVCRIONI

INF. P. XL. IN. AGR. P. XI

V. Diu haesi in recto sensu hujus marmoris
percipiendo in tertia linea ubi C. Baberius voca-
tur *Cerialis Aug.* Cerealia quidem duplia fuerunt ,
nempe sacrificia , & ludi , utraque in honorem Ce-
reris . Sacrificia , quinto quoque anno servanda ,
apud Romanos instituta fuisse P. Scipione , & Ma-
nio

nio Acilio Glabrone Cos. anno V. C. DLXII. tradit Livius libro tricesimo sexto capite tricesimo septimo. Ludi fiebant in Circo III. idus Aprileis, & XIII. kalendas Majas ex calendario veteri apud Lambecium tomo quarto Bibliothecae Caesareae pag. 280. ubi legitur: *ludi Cerealici* CMXXIII. id est *Circenses missus* 24. ut explicant viri docti: quos ludos aevo Julii Caesaris primus omnium fecit C. Memmius Aedilis, ut patet ex ejus nummis apud Fulvium Ursinum de Familiis Romanorum pag. 172. editionis Patinianae: quos dudum ante per Laurentium Medicem sibi ostensos fuisse testatur Angelus Politianus in Miscellaneorum capite octogesimo tertio. Hos ludos curabant Aediles plebis, qui vocantur *Ceriales* apud Gruterum pag. CCLXXII. 5. 6. & CCCCXCII. 9. *Ceriales* enim & *Cereales* in libris, nummis, & lapidibus legi observat Dausquis in Orthographicis: sed quum isti fuerint e Patriciis, ex Dione libro quadragesimo secundo, ubi ait, Caesare jam rerum potito, Aediles tum primum duos e Patriciis, quatuor ex plebe creatos: sed duos illos superiores a Cerere fuisse denominatos; ideo Baberius noster fuisse non potuit Aedilis Cerialis, licet sciam in coloniis, & municipiis aliter factum; quod nomen praeterea solitarium in Hortano lapide appetet, nempe absque ulla Aedilitatis nota. *Cereales*, & *anabastos* pro nunciis & cursoribus memorat san-

sanc*tus Hieronymus* in Apologiae secundae cap*te primo aduersus Rufinum nostrac Aquilejensis ecclesiae Presbyterum: Iccirco ne , inquit , Cereales & anabasii tui per diversas provincias cucur-rerunt , ut laudes meas legerent ?* Hos putavit Eras-mus sic dictos , quod Ceres Triptolemum ad spar-gendum ferendumque triticum miserit in univer-sum mundum : cui refragatur Marianus Victorius , id nominis tractum affirmans a Cerere , quia Pro-serpinam pesequuta est ubique usque ad inferos . Attamen Coelius Rhodiginus in fine capit*is octavi libri duodecimeti Antiquarum lectionum sententiae Erasmi praeiverat , addens anabasios dictos ab equorum ascensi*u* ; αναβασις enim Graece ascen-sum significat . Sic cursores seu veredarii huc il-luc a Praefecto Praetorii cursu publico mitteban-tur non tantum equis & rhedis , sed & dromo-nibus per flumina & lacus , ut ostendit Gutherius de Officiis domus Augustae libro secundo cap*ite decimo quarto . At Baberium ex hujusmodi Cereali*bus fuisse neutquam puto , de quibus in inscriptis lapidibus nusquam fit mentio : immo vocabulo *Cereali* non munus aliquod , sed cognomenum significari existimo , quoniam ceteri omnes , qui in lapide recensentur , cognomen habent , tanquam liberti , qui praenomen & nomen mutuabantur a patrono . Sic apud Fabrettum cap*ite tertio num. 27.* & cap*ite quinto num. 316.* & alibi passim multi numero*

numero Liberti cognomento ad unum omnes notati conspiciuntur. Porro Cerialis fuit cognomen familiae Romanae, & ex ea Neratius Praefectus Urbi, de quo plura Franciscus Juretus in Symmachi epistolam quinquagesimam tertiam libri decimi. Pinarius Cerialis occurrit apud Fabrettum capite tertio num. 201. & Cerialis civis Romanus apud Gruterum pag. CCCCLXXXVII. num. 6. Alios Cereales recenset Cardinalis Norisius in epistola Consulari pag. 77. Quare C. Baberium Ceriale, qui in lapide AVG. praesignatur, AVGustalem fuisse existimo: quorum Augustalium mentionem iisdem omnino literis in multis inscriptionibus expressam jam pridem monuit idem Norisius in Cenotaphiis Pisanis dissertatione prima capite sexto. Horum vero Augustalium collegium Hortae existisse jam dixi capite secundo num. v. & ex iisdem plurimos libertos fuisse ostendit Norisius, Reinesius & Turrius noster in dissertatione de Colonia Forojuliensi pag. 365. quod ideo dictum velim, ne quis AVG. in Hortana inscriptione AVGurem interpretetur. etenim augures nonnisi Patricii adlegebantur, ex eodem Norisio dissertatione secunda capite septimo. Sic ergo inscriptio nostra legenda est: *Baberia Caii & Caiae liberta Fausta fecit sibi, & Caio Baberio Caiae liberto Ceriali Augustali, & Baberiae Caiarum libertae Sympherusae, & Baberio Caiae liber-*

178 DE. ANTIQUITATIBUS. HORTAE
liberto *Lucrioni*. In fronte pedes quadraginta,
in agro pedes quadraginta.

* ix.

D . M

AVR. M. FIL. APOL
LONIAE. Q. VIXIT
ANNO. I. M. III.
AVR. APOLLINA
RIS. ET. AVR. EVCLI
A. PARENTES. F
DVLCISSIMAE

x.

ΝΙΚΟΜΗΔΗC
ΔΙΟΝΥCΙΑ ΔΕΙ
ΙΔΙΑ ΚΥΝΒΙΩΖΗ
CAC ΚΑΛΩC ΜΕΤΑ
ΑΤΤΗC ΕΤΗ ΔΕΚΑ
^{fīc} ΜΝΙΑC ΧΑΡΙΝ

*Nicomedes Dionysiae Diidiae coniugi, postquam
vixit honeste cum ea decem annos, monumenti
ergo posuit.*

Hujus epitaphii conclusioni similis prostat apud
Fabrettum capite decimo num. 117. Utrobique
MNIAΣ pro MNEIAΣ explosa litera E favet recen-
tium

tium Graecorum pronunciationi , qui diphthongorum literas non separant , sed quasi in unicam sono vocis contrahunt , ex majorum , ut ajunt consuetudine : quam tamen viri docti nullam esse contendunt , inter quos eminent homo de me maxime meritus Dominicus Lazzarinus ex Nobilibus de Murro , Graecae & latinae elegantiae peritissimus , cui quum legenda tradidisse erudita ea de re opuscula Johannis Rudolphi Wetstenii & Henrici Christiani Henninii , ipse in epistola mihi nuncupata contrariae partis rationes eloquentia , qua pollet , atque argumentorum pondere propugnavit .

xi.

T I. T V C I O
P A T R I
C A T I A E. M A T E R I
R V F O. T V C I O. F R A T R I
O F I L L I A. C O L A. V X O R
C. T V C C I V S. T I. F I L I V S
V. A R N. S C A E V A
F E C I T. S I B I. E T. S V I S
P R O. S V A. C O P I A

Hortae in domo Francisci Plani.

VI. Hanc inscriptionem quum olim vidisset Johannes Zaratinus Castellinius , cuius immensum studium in prisci aevi reliquiis undique colligendis

& interpretandis mire laudatur a Jano Nicio Erythraeo in Pinacotheca i. num. CCLXXI. in epistola MS. ad Landum Leoncinum canonicum Hortensem eam esse antiquissimam affirmavit , quod gentes Tucia & Catia nonnisi priscis illis temporibus memorentur . Ex gente Tucia fuit virgo Vestalis , quae ex Tiberi in templum tulit aquam in cribro , ut a se incestus calumniam repelleret anno V. C. DCIX. ut narrat Plinius libro duodetricesimo capite altero . Illam autem *Tuxiā* *Tuciam* , non *Tucciam* , ut Plinius aliique , appellat Dionysius Halicarnasseus libro altero Antiquitatum Romanarum capite sexagesimo nono ubi hoc ipsum refert , quod Plinius . Johannes Harduinus in Emendationibus Plinianis tomo quarto pag. 652. num. 3. aliam fuisse putat a *Tutia* virgine item Vestali , quae incestus damnata est , ut legitur in Epitome Liviana libro vicesimo . Certe *Tuciam* , non *Tutiam* legi debere Zaratinus quoque affirmat in laudata epistola , quemadmodum gens *Marcia* , *Sulpicia* , *Mucia* : quanvis tamen apud Gruterum etiam C. *Tuccius* legatur pag. LIX. num. 8. DCXCVI. 5. MLXXVII. & alibi , necnon TVCCIA Athenais , & TVCCIA Cleopatra : sicque TVCCIVS prostat in quarta linea nostri epigrammatis : a qua gente *Tuccia* , sive *Tucia* fortasse nomen accepit *Tuccianus* vicus prope Hortam non longe a villa Nuptiana . MATERI nusquam se legisse testatur

Zara-

Zaratinus, idque Graecorum more scriptum existimat, apud quos πατήρ & μῆτηρ in tertio casu absque syncope efferuntur μῆτέρι, πατέρι. Vel MATERI est forsan a μῆτερα, quod est *mater prudens*: quo nomine appellatur Julia Maesa in numero aereo mediae formae perquam raro apud amicum nostrum M. Antonium Sabatinum. ibi enim sic legitur in antica parte IOY. MAICA. CEB. MHTEIRA, in postica visitur Serapis. Idem Zaratinus in linea quinta OFILLIAE. COLAE putabat legendum: at etiam sine tali lectione id esse posset in dandi casu, Graeca scilicet inflexione, ac si diceretur OFILLIAE. COLAE. VXORi. In linea septima *Vir ARNiensis*, nempe Tribu, quam ex Arno fluvio appellatam, a nemine dubitari merito posse scribit Siganus de Antiquo jure civium Romanorum libro primo capite tertio. At nihilominus Cluverius in Italia antiqua libro altero pag. 550. negat, eam ab Arno fluvio deductam, eo quod memorata occurrat antequam *Romani in Etruria dominarentur*: quod verissimum est. Ager Romanus primum divisus in parteis treis, a quo Tribus appellatae, Tatiensium, Ramnium, Lucecum nominatae, ut ait Ennius. Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres, ut ait Junius, a Lucumone. Sed omnia haec vocabula Tusca, ut Volumnius, qui tragoeidas Tuscas scripsit, dicebat, verba sunt Varronis libro quarto de Lingua

gua latina . Lucumonem a Tuscis Regem dictum alibi adnotavi : quare nihil implicat , Tribum Arniensem ab Arno fluvio denominatam antequam Etruria in Romanorum ditionem pervenisset . Id firmat quoque Ciceronis auctoritas , qui in Agraria , *a Suburana* , inquit , *ad Arniensem nomina vestra proponat* : quod nihil aliud est , quam a prima Tribu usque ad remotissimam , locorum , unde sumptae erant Tribus , intervalla notando , ut animadvertisit Sigonius . Haec Tribus Arniensis fuit ordine vicesima quincta secundum Panvinium de Civitate Romana pag . 233 . eademque ex rusticis , quae urbanis praestantiores habebantur , ut olim monui . Patet ergo ex hoc lapide , Hortanos in Tribu Arniensi fuisse aliquando descriptos , priusquam scilicet coloni militares ab Augusto deducerentur : de quo initio operis satis superque differui . Ex hoc autem nostro epigrammate inepta illorum sententia refellitur , qui *Narniensem* , non Arniensem Tribum scribendum esse contendunt . hujus enim alia exempla suppeditat Index Gruterianus capite duodecimo . Sane antiquitus ea Umbriae urbs , quae postea a proximo flumine appellata fuit , non *Narnia* , sed *Nequinum* dicebatur , unde Plinius libro tertio capite decimo quarto , *Narnienses* , inquit , *quod opidum Nequinum antea vocatum est* . PRO . SVA . COPIA . hoc est pro sua familia & comitatu : haec formula nusquam occurrit

apud antiquorum lapidum collectores. In eo tamen sensu puto loquutum Cn. Magnum apud Ciceronem ad Atticum libro octavo post epistolam duodecimam his verbis: *ad L. Domitium literas misi primum, ut ipse cum copia ad nos veniret.* Et infraeius: *video censeri Marcelio & ceteris nostri ordinis, qui hic sunt, ut Brundusium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo.*

xii.

D. M

C. MVNATIVS. POLYBIANVS
 ET. C. MVNATIVS. POLYBIUS
 C. MVNATIO. HERMETI
 ET. NVMISIAE. TYCHENI
 PARENTIBVS
 PIENTISSIMIS. FECERVNT

In fovea Castilionis juxta ruinas sancti Angeli.

xiii.

D I S

. . . CASSIAE. VENER . . .
 DORIS. LIB. FEC . . .
 BENEMERENTI
 IN. AGRO. P. XXX. IN. F

In Turri Oriliani in praedio dominorum de Squartis.

COC-

xiv.

COCC^EI . . . LOLIAE
 FECIT. ET
 COCCEIAE. L. L. AMMIAE
 L. COCCEIO. L. L. NICEPHORO . . .

Ad gradus ecclesiae cathedralis Hortanae.

* xv.

L. F V F I C I V S
 O P T A T V S. F E C I T
 L. F V F I C I O
 COMMVNI. PATRONO. ET
 FVFICIAE. MVSAE. LIB
 SIBI. SVISQVE. LIBERTIS
 LIBERTABVSQVE. QVOS
 TESTAMENTO. HONORAVERIT

VII. De hereditariis hujusmodi sepulcris, a quibus liberti, nisi heredes fuissent, arcebantur, fit mentio in aliis epitaphiis, quae recensentur a Fabretto capite tertio num. 220. qui & hoc nostrum vulgavit capite decimo num. 427. non enim omnes liberti jus sepulcri habebant, sed ii tantum, qui testamento fuerant honorati, ut docet Guthe-rius de Jure manium libro tertio capite nono, idque ex lapide Gruteriano 12. DCCCXVII. in quo Pomponius Atimetus sepulcrum fecit sibi & suis libertis,
liber-

*libertabusque, quos testamento honoravit; post-
risque eorum: quod recte interpretatur Gutherius:
quibus testamento jus sepulcri concessi, licet heredes
scripti non essent. nam si heredes existerent, fru-
stra jus illud sepulcri exprimeretur, quum familiare
sepulcrum, tanquam hereditarium, libertos here-
des sequatur: vel, ut Franciscus Juretus animad-
vertit in Symmachum libro decimo epistola quin-
quagesima quincta, honor significat munus & de-
num: quod frequens est apud veteres, quare olim
legatarii appellabantur *honorarii*, ut in Justiniani
Novella prima, & *honorari* dicebantur, quibus
aliquid relinquebatur.*

* xvi.

D. M

C N. P O M P E I O
O N E S I M O
P O M P E I A. H E L
P I S. C O N L I B
E T. C O N I V G I
B E N E M E R E N T I
F E C I T

*Onefimus idem est ac Chresimus: quae cognomina
servis tributa frequentissime occurunt, ut notavit
Valerius Chimentellius de Honore Bisellii capite*

A a octa-

octavo. *χεῖσιμος* autem & *όνησιμος* *utilem* & *commodum* significant: hinc liberti patronis rem gratam facturi talia cognomina non abdicabant.

* xvii.

O R F I T I A N V S
P A T E R . F E C I T
F I L I E^{fic}. Q V I R I A C E N I
A N N I C L E^{fic}. E T . M E S E R V M
Q V I N Q V E

Annicle pro *anniculae*, & *meserum* pro *mensium* scriptum est barbaro loquendi modo. Huiusmodi incomptas & rudes inscriptiones nonnullas adducit Celsus Cittadinus in Tractatu de vera origine & processu linguae vulgaris Italicae, ut ostendat ejus ortum deberi corruptioni linguae latinae. Ex eadem voce *Meserum* pro *mensium*, explosa litera *n*, facta est vox Italica *mese*. *Meses* etiam pro *menses* legitur apud Fabrettum capite octavo num. xxviii. & 107.

* xviii.

D I S . . .
M. V L P I O . E V
P O S T I V S . F E C . V
P A T E R . C V M . A N T O
E T . A N T O N I O . S O T
L O C V S . D A . A B . I V
C V M . I T V . A M B

MA

* xix.

M A
 STO. QVI. EST. HIC . . .
 VS. PHILOSTORGVS . . .
 VIA. PHILETE. MAT . . .
 ERICHO. LIBER . . .
 VLIO. GALATA . . .
 TVATA. TA . . .

xx.

D. M

M. P O B L I C I O. M. F
 I A N V A R I O. M A J
 T V R I A. L. F
 C R I S P I N A. C O N I V
 G I. B E N E M E R E N T I. D E
 S V O. F E C I T

Ad januam viridarii Sebastis Alberti.

Illustris Cuperus ad calcem Apotheosis Homeri pag. 271. erudite agit de mensium nominibus, quae veteres viris & feminis tribuere consueverunt: quem morem haec postrema inscriptio confirmat.

XXI.

Inscriptiones Christianae.

- . . ATOR. VNA. C
- . . ABB. GERMANO
- . . . M E N T A
- . . IENDO. GRATIA

Ad scalas cellae vinariae Episcopatus.

* XXII.

QVIRIACO. IN. PACE
 QVI. BIXIT. AN. P.M. X.
 D.P.VII. KAL. OCT. IN. PA

¶

D. P. nempe *depositus*: quae formula denotans diem, quo mortuus terrae mandatur, passim occurrit in epitaphiis Christianorum, sicut etiam altera *in pace*. In primo versu supplendum *quiescat* vel *dormiat* ex aliis eiusmodi inscriptionibus apud Fabrettum capite octavo num. 34. siquidem Christianis ex certa resurrectionis spe mors non est mors, sed requies & temporaria dormitio.

Finis Libri Primi.

JUSTI

JUSTI. FONTANINI
DE. ANTIQUITATIBUS
H O R T A E
ETRUSCORUM
LIBER. SECUNDUS

C A P U T . I

S Y N O P S I S

- I. *Proba Falconia Poetria civis Hortana. Johannes Boccatus perperam fugillatus a Thoma de Simeonibus.*
- II. *Eadem cum Anicia Faltonia Proba male confusa, & domo Romana credita.*
- III. *Variorum errores castigati.*
- IV. *Proba Poetria non Faltonia, sed Falconia appellanda contra Simeonium.*



U U M hactenus veterum saxonum reliquias congefferim, unde Hortanam Civitatem illustrari, eamque inter nobilissimas Italiae Colonias censum facere luculenter apparuit; injurius profecto essem clarissimae urbi, & de Hortanis Civibus malemererer, si seminarum sapientissimam & celeberrimam Probam Falconiam, eorum

eorum conterraneam, indictam abire sinerem .
Hanc quanvis aliqui Romanam fuisse crediderint ,
attamen *clarissimos viros ex opido Orthi oriundam*
asseruisse locuples testis est Johannes Boccatus in
libro de Claris mulieribus capite nonagesimo sep-
timo , & Jacobus Philippus Bergomas in opere ejus-
*dem argumenti, cuius tanquam *solemnis exscriptor*
inique Boccatus fugillatur a Thoma de Simeonibus
in erudita Dissertatione de duabus Probis edita
Bononiae anno 1692. §. x. pag. 55. quum Boc-
catius centum & amplius annos aetate praeces-
serit Bergomati , qui e contrario Boccatum ubique
recoxit , ut conferenti statim patebit . Eidem sen-
tentiae calculum addidit politissimus Aldus Ma-
nutius junior in epistola ad Julium Roscius , li-
bello Antonii Massae de Origine Faliscorum prae-
fixa , ubi ait : *probo tuam pietatem, qui patriae*
tuae decus quasi amissum restituas. tunc ete-
nim Roscius editurus erat carmina Probæ Falco-
niae : quae item *Hortana* appellatur in codice MS.
ejusdem Centonum hic Romæ adservato apud Mo-
nachos Benedictinos e Congregatione S.Mauri Gal-
liarum . *Ac siquid valet* (utar verbis Roscii in
praefatione ad eosdem Centones) *totius alicujus*
gentis consensus, idem Civium Hortinorum usque
ad nostra tempora confirmat inveterata opinio .
Hujus rei testes praesentes ac vivos habeo, qui Σ
Forum ejus nomine nuncupatum, & Σ *ingentia*
*fasti-**

fastigia domus bis diebus vetustate collapsa demonstrant.

II. Hanc Probam Falconiam Poetriam insignem & Adelphii cuiusdam Proconsulis conjugem doctissimi Scriptores , similitudine nominis decepti , cum Anicia Faltonia Proba , sanctorum Hieronymi & Augustini necessitudine & scriptis clarissima , Consulis filia , Consulis uxore , & trium Consulum matre , incauti commiscuerunt ; unde alius error profluxit , qui aevo Boccatii invalere jam cooperat , dum aliqui eandem Probam Falconiam *ex conjectura* , ut ipse quidem agnoscit , domo Romanam existimaverunt , quod nempe Anicia illa Faltonia Proba ex Romuli nepotibus prodiiisset . Hos inter exstitit junior Aldus Manutius in epistola mox indicata : *Probam* , inquit , *ut eam esse certo existimem , de qua in tribus antiquis inscriptionibus Romanis fit mentio , facile mihi persuadeo . Inscriptiones illae prostant apud Gru- terum pag. cccli. 5. 6. cccli. 1. & non uni Ma- nutio lapides obstaculi fuerunt , namque ad eosdem offendit praeter Roscium magnus Annalium Ecclesiae conditor sub anno cccxcv. num. vii. nec propterea vel tantillum minor ; & Gerardus Julianus Vossius de Poetis Latinis capite quarto pag. 60. qui tamen in eo a Baronio discessit , quod omnia , quae sunt Probæ illius Faltoniae , matronarum laudatissimæ , Probæ isti Falconiae donavit , præ-*

ter sponsum Anicum Sextum Petronium Probum; pro quo illi Adelphium suum Proconsulem reliquit. Hos excepit philologus eruditissimus Caspar Barthius in Commentariis ad Claudianum pag. 47. ad versum cxcii. Panegyrici in consulatum Probbini & Olybrii Probae filiorum, ubi non solum utranque Probam commiscuit, sed etiam lapides ipsos, tanquam membranas amanuensium oscitantia corruptas ausus est emendare, dum *Faltoniae* nomen in *Falconiam* migrare jussit: quod minime Vossii aures tetigerat. hic enim *Probam Falconiam seu Faltoniam* appellavit. Tantis dubibus praeeuntibus, mirum non est, si Matthaeus Raderus eosdem errores erravit in Aula Sancta Theodosii junioris pag. 207. Probam nostram *Falconiam* sive *Faltoniam*, trium Consulum & Julianae matrem, nec non sanctae Demetriadis aviam constituens.

III. At quidem Scriptores isti ab ejusmodi lapsibus nullo negocio sibi cavere poterant, modo in veterum auctorum testimonia, qui de Proba Poetria meminerunt, digitum accurate intendissent. hi enim eandem Poetriam nunquam *Aniciam Faltoniam Probam*, sed vel *Probam* tantum, vel nonnisi *Probam Falconiam* semper uno ore appellarunt: inter quos antiquissimus sanctus Isidorus Hispalensis episcopus in Originibus libro primo capite undequadragesimo, *Proba*, inquit, *uxor Adelphii*

phii Centonem ex Virgilio de fabrica mundi & Evangelis plenissime expressit, materia composita secundum versus, & versibus secundum materiam concinnatis. Hinc verbum de verbo exscripsit Sigebertus de Scriptoribus ecclesiasticis capite quinquagesimo secundo. Idem Isidorus capite quinto de Viris illustribus haec habet: *Proba uxor Adelphii Proconsulis, femina inter viros ecclesiasticos idcirco posita sola, quod in laudem Christi versata est, componens Centonem de Christo, Virgilianis coaptatum versiculis: cuius quidem non miratur studium, sed laudamus ingenium: quod tamen opusculum legitur inter apocryphas scripturas insertum.* Hic opportune monere lubet, paullo aliter legi in editione hujuscce operis Isidoriani studio Garsiae Loaisae perfecta, quam postea iteravit Cardinalis Josephus de Aguirre in tomo tertio Conciliorum Hispaniae pag. 72. ibi enim ex codice MS. sic legitur: *Proba, quae cognomento Falconia dicitur, uxor &c. quod quidem cognomentum Probae tribui agnovit etiam vir laudatissimus Andreas Schottus in notis ad eundem Isidorum. Ex Isidoro hausit Honorius Augustodunensis libro tertio capite quinto ejusdem argumenti: Proba, inquit, uxor Adelphi Proconsulis composuit Centonem de Christo, Virgilianis coaptatum versibus, qui inter apocryphas scripturas computatur. Quapropter magnopere vereor, ne Julius Caesar Sc*

liger libro primo capite quadragesimo tertio Poetices gratis tradiderit , Probam ab opere , quod scripsit , *Centonam* appellatam : quod cognomentum ita arrisit Simeonio §. x. pag. 53. ut vel hinc argumentum fortissimum desumi putauerit ad distinguendam Probam Poetriam ab Anicia Faltonia Proba : scilicet neuter animadvertisit eundem titulum primo apparuisse in editione Lugdunensi cum Mantuani & aliorum libris , ubi mulier haec dicitur *Proba Falconia Centona*: quam postremam appellationem merito carpit Henricus Stephanus in suis Centonum & Parodiarum exemplis selectis & illustratis pag. 71. Praetereo Boccatium , Bergomatem , Trithemium , aliquosque recentis aevi Scriptores , qui nihil aliud ferme , quam Isidori sententiam recitarunt . At certe ita praeterire non possum celebrium aliquot nostri temporis Criticorum indiligentiam , ne illorum nominis fama alucinationibus fortasse auctoritatem conciliet . Ludovicus Dupinus in Bibliotheca ecclesiastica Gallice scripta tomo tertio parte altera pag. 504. editionis Parisiensis , Probam Falconiam Anicii Probi conjugem facit , & circa annum ccccxxx. floruisse narrat : quod an vero accedat , postea investigabimus . Id quidem non pronunciavit Hadrianus Bailletus in opere item Gallico , cui titulum fecit a Judiciis Eruditorum , nam tomo quarto parte secunda pag. 474. *Probam Falconiam Hortinam* ,

Et Adelphii uxorem fassus est; verumtamen non
 semel peccavit ubi eam, forte cum Vossio, Roma-
 nam feminam, Anicii Probi filiam, & matrem Ju-
 lianae credidit: cujus Proba illa Anicia non mater
 erat, sed socrus, ut patet ex capite decimo quarto
 libri sancti Augustini *de Bono viduitatis* ad ean-
 dem Julianam scripti, postquam, Urbe capta ab
 Alarico, in Africam trajecisset cum Proba socru,
 & nepte Demetriade. Sed ista eleganti Bailleto
 utcunque nobis condonantibus, vereor, ut eodem
 modo excipi debeat Scriptorum ecclesiasticorum
 Historiae literariae auctor Gullielmus Cave, qui
 pag. 145. tomis primi editionis Genevensis non
 solum lapsus hactenus explosos iterum effudit,
 sed errasse Isidorum tradidit, Probam Poetriam
 Adelphii Proconsulis (*Proculis ibi mendose legitur*)
 uxorem faciendo: ad quem scopulum offenderat
 antea Baronius, etiam ubi humani aliquid patitur
 cum laudis praefatione nominandus. hic enim in
 tomo quarto Annalium sub anno cccxcv. num. VII.
 ex praejudiciis, quod Proba unica tantum exti-
 tisset, adductus est, ut haec scriberet: *Quum ex*
antiquis memoriis appareat, Faltoniam Probam
Poetriam uxorem fuisse Probi: undenam recen-
tiori Isidoro accidit, ut eandem Adelphii Procon-
sulis conjugem fuisse dicat? Et unde insuper illis,
 qui sentiunt cum Isidoro, est, quod dicant, Probo
 fuisse cognomentum Adelphium? Certe in anti-

*quis monumentis nullatenus reperiri datur , Probum Adelphium dictum esse , sed tantum Anicum Sextum Petronium Probum . At si incomparabilis Scriptor Probam Romanam ab Hortensi distinxisset , quod facere omisit ad graviores disceptationes avocatus , nullus dubito , quin Isidoro pepercisset : quod saltem faciendum fuerat a Gullielmo Caveo , qui hanc Scriptorum ecclesiasticorum Spartam sibi uni ornandam suscepit . Nec propterea puto excusandum , quod omnia , quae profert de muliere doctissima , ex Auberti Miraei scholio ad Isidorum de Viris illustribus capite quinto descripserit , suppresso nomine auctoris , ut nempe ejus errores sibi uni adoptaret . Haec menda , quae novissime irreperunt in Indicem quoque alphabeticum auctorum , Bibliothecae Patrum editionis Lugdunensis tomo primo praefixum , & in tomum quintum pag. 1218. video imposuisse etiam Sebastiano Tillemontio , quo nemo intentioribus oculis sacram & profanam antiquitatem perpendit . Siquidem in articulo ccxxxv. Vitae sancti Augustini , quae to-
mum decimum tertium ipsius Historiae ecclesiasticae constituit , inde putat Baronii sententiam firmitari , quod Proba illa , quae scripsit Centonem ; se alia poemata scripsisse testetur de Bellis civilibus , ob perfidiam eorum , qui ad Imperium occupandum pacem turbaverant , exortis ; quae , inquit , recte conveniunt temporibus magni Theodosii .*

An vero ista sufficient ad conflandam in unum utranque Probam, infra apparebit. Interim ne alicui fucum faciat Procopius male intellectus, illud etiam notabo, quod Baronius anno ccccx. num xxi. diluens fabellam de Proba, quae longae obsidionis pertesa Urbem in potestatem Alarici Gothorum Regis tradiderit, haec habet: *Scimus enim alios jactasse urbem Alarico traditam proditione Probae Faltoniae uxoris Adelphii Senatoris, commiseratae, Romanos longa obsidione vallatos, fame & peste perire.* Atqui Procopius, qui libro primo capite secundo Historiae Vandalicae ab aliis id tradi narrat, non *Probam Faltoniam Adelphii Senatoris uxorem*, sed *Probam* tantum appellaverat: quod quidem observare debuisset Simeonius, qui pag. 56. Procopio inconsulto, eam puram putam Poetriam hanc nostram existimavit. Quare verissima tradidisse opinor Isidorum, scriptorem utique satis vetustum, ubi Probam Poetriam, Adelphii Proconsulis conjugem fuisse affirmavit: quem *Adulphum* inepte appellat Marcus Antonius Sabellicus Enneade septima libri noni tomo primo operum col. 415. quanvis difficile sit reperire, quisnam fuerit Adelphius ille Proconsul incertilaris. Siquidem ex Notitia dignitatum, quam compilavit doctissimus Jacobus Gothofredus tomo sexto Codicis Theodosiani pag. 333. patet, Achajam, Asiam, Africam, & Palaestinam rexisse

Pro-

Proconsules , quorum ibi catalogos texit . Inter quos perfecto nullus occurrit *Adelphius* , nisi tamen ex illius aetatis more multinominis fuerit : incogitanter enim Raderus , quem supra memoravi , forte ex Johanne Trithemio , Adelphium *Proconsulem Romanum* appellat , quum Romae Proconsules nunquam praefuerint . Reinesius in Stemmate Aniciorum Classe prima num. xxxix. & in epistola xxix. ad Rupertum pag. 633. *Clodium Adelphium* nostrum vocat , & *Consulem* facit anno ccccli. sed nullo prorsus auctorum praesidio roboratus : in cuius etiam aetate adsignanda a vero immane discedit .

IV. Totus est Simeonius , ut hanc Probam , non *Falconiam* , sed *Faltoniam* dictam ostendat : quod cognomen Reinesius scribit legi apud Isidorum ; qui tamen *Probam* tantum appellat . Gratis etiam asseri arbitror a Reinesio , eandem Probam filiam existisse Probi cujusdam , Alypii filii ex gente Aniciorum : qui Alypius Consulatum geffit anno Christi ccccxlviij. quam inanem sententiam sequutus est Pagius in Critica Baroniana anno cccxcv. num.iv. eamque alio errore cumulavit scribens , ab Isidoro tradi Probam Poetriam (quam ipse aliam quidem facit ab Anicia , quanvis utranque *Faltoniam* appellet) filiam fuisse Probi Adelphii : in quo certe eruditissimus scriptor memoria lapsus est ; non enim *Isidorus filiam* , sed *uxorem* Probi Adelphii

phii Proconsulis vocat . Porro Simeonius , ut Falco-
niā in Faltoniorum gentem cooptet §.ii. pag. 10.
& §. x. pag. 63. Caspari Barthio adversatur quod
Claudianum interpretans , *Falconiam* in *Faltoniam*
scribat fuisse corruptam . Hanc censuram in mar-
mor Aniciae Faltoniae Probæ inique a Barthio
exerceri , & duas Probas ab eodem male confundi
nos quoque paullo ante notavimus : verum quod
ait Simeonius , a Barthio antiquissimum codicem
MS. Oxoniensem reprobari in eo , in quo praecipue
approbari debebat , & approbari ubi erat repro-
bandus , id certe a vero summopere abludit : quod
ex ipsis Barthii verbis constabit , ubi , post Aniciae
Faltoniae Probæ inscriptionem adductam , haec
habet : *Falconiae nomen inepte depravatum est in*
Faltoniae. Falconia enim Romanum. Siquidem
Falconi expresse scribit Plinius junior. Haec est,
cujus Centones Virgiliani ad nos pervenerunt (non
Theodosii junioris uxor , ut autumare audent alii)
teste exemplari MS. apud inclytam Angliae Oxo-
niam , quod disertim Probam Falconiam illi opu-
sculo praescribit . Non ergo codicem , ut putabat
Simeonius , sed lapidem , quod gravius est , cor-
rexit Barthius : cur enim in MS. volumen , suae sen-
tentiae ad stipulans , calatum acuisisset ? Inde etiam
apparet , a Simeonio pag. 60. inepte in testem pro
se adduci eundem codicem Oxoniensem , ac si in
eo *Valeria* Proba praescriberetur . hanc enim ap-
pel-

pellationem non in MS. sed in libris typis vulgaris a se repertam damnaverat Barthius : *veteres*, inquit, *primaequae editiones librariorum petulantia in frontispicio VALeriam Probam appellant*, credo, ut tandem optimo Grammaticorum, (nempe Valerio Probo) filia accederet: *in ipso libro Falconiam*: idque rursus affirmat in Adversariis libro decimo quinto capite eodem. Quapropter corruit Antonii Pagii in Critica Baroniana anno ccccxxxix. num. vii. & illius, qui eum decepit, Simeonii sententia, Johanni Ravisio Textori & Astolpho, recentibus atque imi subsellii scriptoribus tantum innixa, *Valeriam Probam Falconiam Poetriam nostram nuncupantis*. Attamen, his neglectis, Simeonius adhuc insurgit, & licet junior Plinius libro quarto epistola vicesima septima, libro septimo epistola vicesima secunda, & libro nono epistola decima quinta *Falconi* scripserit: licet Capitolinus in Pertinace capite quinto, & decimo quinto *Falconem Consulem*; Vopiscus in Aureliano capite quadragesimo primo *Proconsulem Asiae Falconium*, & in Tacito capite quinto Metium *Falconem virum Consularem nominaverint*; nihilominus ipse confidenter affirmat *Falconios* aequae ac *Faltones* librariorum insolentia a corruptis Falconiorum nominibus derivare potuisse; quia in Thesauro Gruteriano *Falconum* & *Falconiorum* nomina non reperiuntur, sicuti e contrario

trario *Faltonii* saepenumero occurunt. Verum hic auctor in parietem caducum prorsus inclinat. quot enim familiarum nomina post Gruterum detecta sunt, quae nusquam antea innotuerant? Quot vulgavit Reinesius, & summus Romanarum rerum investigator Fabrettus? Nos ipsi in hac lucubratione ex Hortanis lapidibus *Conbarissium*, *Atusium*, *Afmenum*, nomina nunquam hucusque audita, protulimus: inter quae etiam *Falconii* utique reponendi sunt. Sed fallere fallique Simeonium palam ostenditur ex veteri lapide apud Spanhemium dissertatione septima de Praestantia, & usū numismatum pag. 628. editionis secundae Amstelodamensis, quem M. Ulpius Micianus pro salute M. Aurelii Antonini Pii cognomento Caracallae & Juliae Augustae matris Augusti Junoni Reginae erexit FALCONE. ET. CLARO COSS. nempe ordinariis, non vero suffectis, ut perperam existimavit Spanhemius. Lapidem illum prius adduxerat Scaliger in Animadversionibus Eusebianis num. MMCCXXXII. Basis itidem apud Fabrettum capite decimo num. 99. dedicata est FALCONE. ET. CLARO. COSS. Sunt illi *Q. Sofius Falco* & *C. Julius Fructus Clarus*, uti eorum nomina exprimuntur apud Gruterum pag. ccix. 1. & CCCCLXXV. 4. ὑπατον φαλκων *Falconem Consulem* vocat etiam Dio libro quinquagesimo tertio pag. 833. uterque vero Consulatum iniit anno

U. C. DCCCCXLVI. post Christum natum cxciii. ut patet ex Anonymo Vindobonensi per Norisum, vulgato. Corruit ergo opinio Reinesii, qui in epistola xxxv. ad Rupertum pag. 258. putat literas *T.* & *C.* alternari, & *Falcones* atque *Falconios* pro *Faltonibus* & *Faltoniis* dici: quod falsum est, quia constanter in quatuor lapidibus & in Dione contrarium apparet. Apud eundem Gruterum pro FRVCTO utrobique legendum suspicor ERVCIO: quod nomen proprium fuit familiae Clarorum, ut patet ex Norisii epistola Consulari pag. 108. ubi anno U. C. DCCCCXXIII. legitur Consul C. ERVCIVS. CLARVS. Item ex Panvinio in Fastos anno U.C. DCCCXXCVII. ubi notatur Consul M. ERVCIVS. CLARVS. & anno U. C. DCCCXCIX. SEX. ERVCIVS. CLARVS. Horum alter fuit etiam Praefectus Urbi, & memoratur apud Agellium libro sexto capite sexto & libro decimo tertio capite decimo septimo. Posterioris fit mentio in lapide effosso extra portam Capenam anno MDCLXI. quem hic damus ex schedis Chisianis.

S A N C T O . S I L V A N O
H E R M A D I O N
Q. CREPEREI. MARTIALIS
ARCARIVS. SVA. PECVNIA. D.D
DEDICATVS. XI. K. NOVEMBR
SEX. ERVCCIO^{sc}. CLARO. II. ET
CN. CL. SEVERO. COSS
CAPUT

C A P U T . II

SYNOPSIS

- I. Probae Falconiae Cento Virgilianus a sancto Hieronymo memoratus. Osidius Geta Medeam Tragoediam ex Centonibus Virgilianis conscripsit. II. Anicia Faltonia Proba literarum laude neutiquam commenda. Quando Centonem suum Proba conscripserit. III. Ejus nuncupatio perperam Sedulio attributa.



ISCUSSIS iis, quae ad Probam Falconiam, ejusque patriam spectare videbantur, nunc reliquum est, ut de ejus scriptis differam, unde aetas, qua floruit, certo quodam charactere designabitur. Ipsa magnam nominis celebritatem

sibi comparavit Centone illo Virgiliano, ubi summi Poetae carminibus praecipua & maxima nostra Fidei mysteria explicavit: cuius Centonis antiquissimam mentionem haberri puto apud sanctum Hieronymum epistola centesima tertia ad Paullinum, ubi pientissimus senex indignabundus in eos, qui verba & sententias sacrae Scripturae ad aliena significanda detorquent, haec loquitur: *quasi non legerimus Homerocentones, et Virgiliocentones; ac non sic etiam Maronem sine*

Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit:

Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,

Jam nova progenies Coelo demittitur alto.

& Patrem loquentem ad Filium :

Nate meae vires, mea magna potentia, solus.

& post verba Salvatoris in cruce :

Talia perstabat memorans, fixusq; manebat.
Puerilia sunt haec, & circulatorum ludo similia,
docere quod ignores, immo, ut cum stomacho
loquar, ne hoc quidem scire, quod nescias. Marianus Victorius, operum sancti Hieronymi alioquin accuratus interpres, non animadvertisens, jacula magni Doctoris in Falconianos Centones vibrari, tantum adnotavit, Probam Falconiam & Ausonium ejusmodi opera contexuisse; & Gelasium Papam in Synodo Romana Centonem de Christo Virgilianis carminibus compaginatum inter apocryphas rejecisse scripturas. Addo ego omnium antiquissimum Osidium Getam, qui sub Claudio I. Imperatore Medeam Tragoediam ex Virgilii carminibus confarcinavit: cuius specimen ex Bibliotheca Claudii Salmasii edidit Petrus Scriverius in Collectaneis veterum Tragicorum pag. 187. Eam memorat Tertullianus de Praescriptionibus contra Haereticos capite undequadragesimo, & inepte cum Ovidii Medea ab aliquibus confusam fuisse jam olim ostendi in Dissertationibus de Cornelio

nelio Gallo Poeta , nondum editis . Deinde saeculo decimo quarto Albertinus Muslatus Patavinus in eodem studio versatus est , ut recentiores omittam . Sanctum Hieronymum de Centone Probae Falconiae verbis allatis loqui voluisse , inde compertum est , quod ibi ne latum quidem unguem a Falconiano Centone discedat , in quo sic de Patre Filium alloquente legitur :

Tunc genitor natum dictis affatur amicis,

Nate, meae vires, mea magna potentia, solus.

& post verba haec a Salvatore in cruce prolata :

*Ille autem impavidus, quo vincula necitatis,
inquit,*

Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?

Post mibi non simili poena commissa luetis:

Talia perstabant memorans, fixusq; manebat.

II. Huic sane operi , ut illud etiam obiter moneam , non succensuisset sanctus Hieronymus , si Aniciae Faltoniae Probae foetus existisset : quam in epistola octava ad neptem ejus Demetriadem impensisime laudat his verbis : *Proba illa omnium dignatum, & cunctæ nobilitatis in Orbe Romano nomen illustrius : cuius sanctitas & in universos effusa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit : quam trium liberorum, Probini, Olybrii & Probi non fatigarunt Consulatus . Vident' omnia praeterquam doctrinam & eruditio nem in gravissima femina commendari? quibus si excel-*

excelluisset , sanctus quoque Augustinus eam literariis laudibus cumulare non omisisset in crebris epistolis ad eandem scriptis : quarum loca simul congefferunt Monachi sancti Mauri in Vita Augustini libro septimo capite sexto , ubi Aniciam Faltoniam Probam neutiquam Poetriam appellaverunt , ut fecerat Johannes Rivius itidem in Vita Augustini libro primo capite quarto §.vii. Profecto neque Claudianus , qui Probae Aniciae eximias dotes enumerat in Panegyrico de Consulatu Probbini & Olybrii ejus filiorum , unquam silentio praeteriisset , ab eadem Proba subductam fuisse rationem cum Musis , ubi de illa cecinit :

*Sic Proba praecipuo natos exornat amictu ;
Quae decorat mundum : cuius Romana potestas*

*Foetibus augetur . Credas ex aethere lapsam
Stare Pudicitiam , vel sacro thure vocatam
Junonem Inachiis oculos advertere templis .
Talem nulla refert antiquis pagina libris ,
Nec Latiae cecinere tubae , nec Graeca vetustas :
Conjuge digna Probo : nam tantum coetibus
exstat*

*Femineis , quantum supereminet ille maritos .
Quisnam locus aptior hoc erat celebrandis poeticis
dotibus Probae , si reapte Apollinea lauru fuisset
insignis , eademque ac Proba nostra Falconia ?
Quare ex superioris dictis certo eruitur , Probam
Falco-*

Falconiam coaevam fuisse sancti Hieronymi, qui diem extremum obiit anno ccccxx. Quia vero Centonem suum Honorio Augusto Theodosii Magni filio & Arcadii fratri obtulit: qui Honorius nuncupatus est Augustus iv. Idus Januarias anno cccxciii. secundum melioris notae Chronologos, quorum sententias diligenter excusfit Tillemontius in tomo quinto Historiae Imperatorum nota llii. pag. 764. id sane post hunc annum cccxciii. contingere debuit; nam Proba in nuncupatione ad Honorium ita canit:

*Romulidum duxtor, clari lux altera Solis,
Eoum qui regna tenes moderamine justo,
Spes orbis, fratrisque decus, dignare, Marone
Mutato in melius, divinum agnoscere sen-
sum,*

Scribendum famulae quem jussisti . . .

Proinde Honorius, quando haec carmina scripta fuerunt, jam in oriente dominabatur, ubi tamen salutatus non fuit Caesar ante annum, quem notavi. Inde etiam eruitur, Centones istos a Proba conscriptos jussu Arcadii junioris, cui ut legendi exhibeantur, eadem postulat ab Honorio.

*Haec relegas, servesque diu, tradasque mi-
nori*

*Arcadio: haec legat ille suo generi: haec tua
semper*

Accipiat, doceatque suos Augusta propago.

Quia

III. Quia ob ignorantiam exscriptorum in vulgatis carminum Sedulii editionibus , & in tomo sexto Bibliothecae Patrum Lugdunensis pag. 459. eadem praefatio cum hac spuria inscriptione comparat : *Coelii Sedulii Poetae ad Theodosium Augustum operis sui Paschalis carmen dedicatorium* , plerisque credita est purus putus foetus ejusdem Sedulii , atque ea inscriptio etiam Trithemio olim imposuit ; siquidem inter opera Seduliana librum unum ad Theodosium Imperatorem enumerat , cuius initium : *Romulidum ductor* . Jacobus Usserius in Britannicarum Ecclesiarum Antiquitatibus capite decimo sexto pag. 772. suspicabatur carmen illud dicatum Theodosio quidem Magno , & verbis illis , *fratrisque decus* ; Valentinianum II. indicari , cuius sororem Gallam connubii participem habuit orientis Imperator Theodosius : sed re postea accuratius expensa , putavit ad poemata vetustius pertinuisse , quo jam deperdito , propter aliquam argumenti similitudinem Sedulii scripto praefixum fuerit ; quum ab antiquissimis exemplaribus , quae consuluit , illud abesse vidisset , nec carmen illud dedicatorium cum Sedulio cohaereret . Denique Consulatus *Turcii Rusi Asterii* , a quo dicitur vulgatum , scrupulum omnem exemit Usserio , quum post Theodosii imperium contigerit . Cardinalis Norisius in Cenotaphiis Pisanis dissertatione quarta capite secundo §. 1. ait Theodosium seniorem in eodem

codem carmine quidem appellari; sed, levi correctione adhibita, juniores etiam Theodosium posse ibidem designari, si nempe dicatur:

*Haec relegas, seruesque diu, tradasq; minori
Arcadiae: haec illa sua generi &c.*

etenim *Arcadia* Thedosii junioris soror superstes fuit usque ad annum ccccXLIV. At si nulli hacc nupsit, ut vir accuratissimus animadvertisit, curnam *poeta regios hymenaeos & futuram prolem eo carmine augurabatur?* Praeterea Valentinianus II. qui fuit interemptus Idibus Maiis anno vulgari cccxcii. non fuit frater Theodosii senioris, ut ipse opinatur, existimans illis verbis, *fratrisque decus*, eundem intelligi: neque Sedulius *mutavit Maronem in melius*, seu carminibus Virgilianis expressit res Christianorum; ideoque rogare non potuit Theodosium, ut in eodem *Marone divinum sensum agnosceret*. Quare omnium rectissime Georgius Fabricius in notis ad Poetas Christianos pag. 25. carmina illa Sedulio abjudicavit, licet male crediderit, ejusdem praefationis auctorem dicare voluisse Imperatori & ejus filio opus Sedulii. Idem suboluit etiam Caveo, qui pag. 239. ubi loquitur de Sedulio haec de iisdem carminibus in literas misit: *in editionibus nonnullis praefixi sunt carmini Paschali versus quidam nuncupatorii ad Theodosium seniorem, qui ex alio vetustioris aliquius Poetae assuti videntur.* Certe Sedulum au-

ctorem non habent. Labbeus quoque in tomo altero de Scriptoribus ecclesiasticis pag. 333. vidit, carmen illud abesse ab antiquissimis exemplaribus MSS. neque in ipsius Sedulii metaphrasi prosaica ullum ejus vestigium , neque in gemina ad Macedonium epistola apparere . Hoc pridem adnotaverat etiam Usserius pag. 773. qui insuper animadvertisit, librum illum , cui carmen idem erat praefixum , a mundi creatione & formatione hominis exordium cepisse , ut ostendit illa pollicitatio

hic tibi mundi
*Principium , formamque Poli , hominemque
creatum*

Expediet limo .

Hoc autem in Paschali carmine Sedulius minime complet : at recte Proba Falconia in Centone suo ubi canit :

*Principio coelum , ac terras , camposq; virentes ,
Lucentemque globum Lunae , Solisque labores
Ipse pater statuit .*

Hinc jure & merito eam praefationem legitimae dominae suae postliminio restitutam ex Vaticanis , pluribusque aliis MSS. Centoni Falconiae praefixit Julius Roscius anno MDLXXXVIII. cuius inscriptio haec est : *Ad Honorium Aug. Theodosii Magni F. & Arcadii Aug. Fr.* Ea tamen praefatio non-nihil poterat emendari editione Seduliana Georgii Fabricii .

C A P U T . I I I

SYNOPSIS

I. *Probæ Cento a Gelasio relatus inter apocrypha. Decretum de libris canoniciis & apocryphis perperam, Gelasio abjudicatum.* II. *De eo variorum sententiae discussæ.* III. *Quid in Decreto significetur nomine apocryphorum. Ejusdem voci originatio.* IV. *Decretum in antiquis codicibus Gelasio adsignatum, & in Collectionibus expressum. Perperam Hormisdae attributum.* V. *Paschale carmen Sedulii quando editum & in Decretum Gelasii relatum.* VI. *Asterius illud emendavit, non primus edidit. Idem Paschale carmen diversum a Paschali opere.*



ARIANUS Victorius videtur existimasse, Probæ Centonem diversum fuisse ab eo, qui inter scripturas apocryphas in Decreto Gelasiano consignatur his verbis: *Centones de Christo, Virgilianis compaginati, apocryphi: ubi pro Centones male in quibusdam editionibus legitur Pentametrum, vel Centimetrum. Sed prorsus eundem esse luculentissime comprobat Isidorus. Istud Decretum, prostat apud Ivonem parte quarta capite sexagesimo quarto, Burchardum libro tertio capite ducentesimo decimo septimo, Gratianum parte prima D d ij distin-*

distinctione decima quincta capite tertio . Item apud Didacum Covarruviam cum eruditis explicationibus in Variarum resolutionum libro quarto capite decimo quarto , & demum in Conciliis Labbei tomo quarto col. 1264. & ubique a Gelasio conditum fertur in Concilio LXX. Episcoporum anno Christi cccccxciv. Certe sub Gelasii nomine passim saeculo nono iam laudabatur . nam eidem Pontifici disertissime tribuerunt Hincmarus Remensis in tomo secundo operum pag. 474. Nicolaus I. in epistola quadragesima secunda, quae est ad Episcopos Galliae in Concilio VII. Romano apud Labbeum tomo octavo col. 800. Lups item Ferrariensis Abbas in epistola centesima duodetricesima ad Carolum Caluum , & in fine libelli de Tribus quaestionebus : & post hos Hariulfus monachus sancti Richarri in Chronico Centulensi , quod perfecit anno MLXXXVIII. apud Dacherium in Spicilegii tomo quarto pag. 484. At vero Petrus Franciscus Chiffletius in notis ad Vigilium Tapsensem pag. 149. ex codice MS. Jurensi illud Decretum emendatum edidit non sub nomine Gelasii , sed Hormisdae : cuius item Pontificis nomen legi in aliis MSS. testatur Paschasius Quesnellus in notis ad Codicem canonum ecclesiae Romanae , dissertatione duodecima capite quarto num. iii. atque ita etiam legitur in alio codice ecclesiae Urgellensis , quem in notis ad mox laudatam epistolam

Lupi

Lupi , & ad Dialogos Antonii Augustini de emanatione Gratiani pag. 444. memorat V. C. Stephanus Baluzius : qui insuper vetustissimum Dacherianum codicem collectionis Dionysii Exiguus laudat , ubi Decretum illud Damaso adsignatur , jamdiu videlicet ante Gelasii tempora . Ex his Baluzius colligit , Damasum de hujusmodi libris primo statuisse , deinde Gelasium Damasi Decretum renovasse & auxisse : quod credidit etiam magnus Annalium conditor anno LXIX. num. iv. Baluzius idem praestitum fuisse putat ab Hormisda , qui non multo post Gelasium floruit . Sed quum tale quidam de nullo ex his Pontificibus vetus ecclesiae historia nos doceat , Johannes Pearsonius in Vindiciis epistolarum sancti Ignatii parte prima capite quarto incertum esse ait a quonam Decretum editum fuerit , & ad tempora Gelasio posteriora illud trahens , quod Dionysius Exiguus sanctionum ecclesiasticarum collector ejus non meminerit , conditum fuisse opinatur post Concilium V. anno vulgaris DLIII. celebratum . Gullielmus Cave in Historia literaria tomo primo pag. 265. paullo confidentius sentit , dum illud spuriis mercibus Isidori Mercatoris adnumerat : in quam sententiam ire videtur etiam Johannes Ernestus Grabius in notis ad Spicilegium Patrum & Haereticorum primi saeculi pag. 319. urit enim Heterodoxos , qui traditionem reiiciunt , & librorum canonicorum numerum pro arbitrio

arbitratu & sectae suae commodo minuunt , ibi in Canone recenseri libros Job , Tobiae, Judith, Mac- cabaeorum , epistolam Paulli ad Ebraeos, & Jacobi, Petri duas , Judae unam , Johannis tres , & Apocalypsim : quasi nimirum etiansi Gelasius eosdem sacratissimos libros nominatim non retulisset in Ca- nonem (quos quidem ab eo non relatos ultro fate- mur , ut infra apparebit) longe ante eundem Pon- tificem Ecclesia Catholica eorum divinam aucto- ritatem non agnovisset . Hinc jure Mabillonius in Catalogo praecipuarum difficultatum occurren- tium in lectione Conciliorum , Patrum & Histo- riae ecclesiasticae , per saeculorum ordinem dispo- sito , quem subjecit libro suo de Studiis monasticis , ponit in Saeculo v. quaestionem de Decreto Gela- sii . Hanc quidem proposuit etiam Natalis Ale- xander in Saeculo quinto capite v. articulo xviii. qui tamen illam neutquam solvit , ait enim : *Gela- sii sit vel Hormisdae , vel utriusque , parum intereſt* . Sed nos , quandoquidem huc devenimus , cum doctissimo Mabillonio contra sentimus , put- tantes non parum interesse ubi ostendamus illud Decretum ad alium Pontificem , quam ad Gela- sium pertinere non posse . maximi enim semper intereſt veritatem ipsam penitus nosſe , & prisca ecclesiae monumenta suis legitimis & veris aucto- ribus restituere .

II. Sane Criticorum praestantissimus Henricus Norisius in Cenotaphiis Pisanis dissertatione quarta capite secundo §. 1. pag. 445. ex epistola septuagesima Hormisdae ad Possefforem Episcopum non obscure colligi posse coniicit vulgatum fuisse Decretum illud de libris probandis improbandisque ante annum DXX. in ea enim epistola apud Labbeum tomo quarto Conciliorum col. 1532. de libris Fausti Rejensis loquens Pontifex scribit: *neque illum recipi, neque quenquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicae fidei, aut ecclesiasticae disciplinae ambiguitatem possignere, aut religiosis praejudicium comparare;* ad quae notat Baronius sub anno DXX. num. XXI. Decretum de libris apocryphis significari, in quo proscribuntur opuscula Fausti Rejensis. Verum paullo post Hormisdas etiam clarius insinuat, non a se, sed ab alio antiquiore ex praecessoribus suis illud manasse: *non, inquit, improvide veneranda Patrum sapientia fideli potestati quae essent Catholica dogmata definiit: certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, sancto Spiritu instruente, praefigens, ne opinioni suae lector indulgens, non quod aedificationi ecclesiasticae conveniret, sed quod voluptas sua concepisset, assertaret.* Decretum itaque de libris recipiendis & non recipiendis ab aliquo ex praecessoribus Hormisdae profluxerat. Et quidem illud sexto jam saecu-

saeculo vulgatissimum fuisse colligitur ex Isidori capite quinto de Viris illustribus , ubi haec habet de Proba Falconia : *eius Cento legitur inter apocryphas scripturas insertum* . Hinc quippe significatur , ex illo Decreto , tanquam inter Catholicos jam pridem notissimo , authentico , & passim pro veteri habito , testimonium ab Isidoro laudari : non ergo Lopus Ferrarensis primus omnium Decreti Gelasiani meminisse deprehenditur , ut putavit Pearsonius pag.44. Atque vel hinc , nisi alia suppperent , exploderetur confidentia Gullielmi Cavei , qui nugis armatus Gelasio Decretum abjudicat , affirmans nullum ejus meminisse ante annum DCCCXL. non Isidorum , neque alios saeculo nono antiquiores , ideoque *fictum* , aut *suppositicum esse hoc Decretum* , ac *eiusdem cum epistolis primorum Pontificum Decretalibus farinae* , ex eademque Isidori Mercatoris officina prodiisse . Sed in Bibliotheca Vaticana ad calcem Missalis Gallicani , quadratis literis exarati , quod vir ad ecclesiasticos ritus explicandos maxime natus aptusque Josephus Maria Thomasius edidit inter Codices Sacramentorum *nongentis annis* (ideoque etiam Lupo Ferrarensi antiquiores) Gelasianum Decretum prostat cum hac epigraphe: *incipit Decretalem sic Gelasii Papae Urbis Romae* . Hoc vulgabimus in fine operis , quia propter tantam antiquitatem , & sinceritatem suam , qua differt ab editis , est maxime commendandum .

In Chronico etiam Fontanellensi tomo tertio Spicilegii Dacheriani pag. 240. inter codices coenobio Flaviniacensi sub Ludovico Pio ab Ansegiso Abate donatos continentur *Decreta Gelasii Papae de libris recipiendis & non recipiendis*. Quare Johannes Mabillonius in erudita Disquisitione de Cursu Gallicano pag. 386. nullus dubitat quin isthaec epistola Decretalis ad Gelasium legitimum auctorem pertineat.

III. Probae autem honori & famae nequicquam detrahit ejus Centonis inter apocrypha rejectio. quae enim in Decreto *apocrypha* appellantur, ea omnia tanquam a Catholicis passim vitanda minime damnantur: quod tamen putarunt Pearsonius & Caveus. Enimvero communi sensu veterum Patrum quod inter apocrypha recensetur, canonicis libris & publice in Ecclesia legendis tantum opponitur: unde sanctus Augustinus in fine capituli vicesimi tertii libri decimi quinti de Civitate Dei de scriptis quibusdam affirmat, *quod nomine apocryphorum ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt*. Hinc gravissimus Cardinalis Historicus anno xxxi. num. xli. notat, vulgatam epistolam divini Servatoris nostri ad Abgarum cum sua responsione a Gelasio recenseret inter *apocrypha*, *quasi non hagiographa, non tamen, ut eas ab Ecclesia omnino proscribat, sicut nec complures alios libros, quos proxime*

Ee recen-

recensuit : proxime autem recensuerat Centonem Virgilianum . Duplex erat scriptura , ut observat Johannes Baptista Cotelerius in notis ad epistolam Barnabae inter opera Patrum aevi Apostolici : *canonica* , cuius dictator Spiritus sanctus , & *apocrypha* , cuius auctor homo solus . Ita idem Augustinus in libro altero capite octavo de Doctrina Christiana , Hieronymus in epistola centesima undetricesima , & in caput secundum epistolae ad Titum , atque etiam Isidorus in Originibus libro sexto capite secundo . Quare *apocryphus* a Gelasio non accipitur pro *pseudepigrapho* : quo sensu aliquando accepit Hieronymus in epistola septima ad Laetam , ubi ait : *apocrypha sciat non esse eorum , quorum titulis praenotantur* : neque pro eo , quod omnino abscondi debet atque ignorari ; sed pro non hagiographo , ut inquit Baronius . Hinc Luperus in fine epistolae cxxviii . disertissime ait , *apocryphum* idem esse ac sine auctoritate , & inter apocrypha referre idem ac *exauktorare* ; nam inquit : *docet Gelasius cum LXX . Episcopis , viris eruditissimis , qui scriptores essent vel non essent recipiendi , ubi Fausti scripta his verbis EXAUCTORAVIT . Opuscula Fausti Regensis Galli apocrypha .* Duplicis enim generis fuisse apocrypha animadvertisit Chiffletius ad Vigilium Tapensem pagina 147 . Orthodoxorum , & Haereticorum : prima canonicis opponebantur , ideoque publice in Ecclesia legi non poter-

poterant ; secunda tanquam fidei & bonis moribus repugnantia omnino damnata habebantur . Utraque apocrypha designari in Decreto Gelasii observavit Petrus de Marca de Concordia libro tertio capite secundo sectione septima . Quippe ibidem praeter libros haereticos inter apocrypha recensentur Clementis Alexandrini , Tertulliani , Arnobii , Lactantii , Eusebii , Probae & aliorum opera , quia Gelasius qui libri legendi quive non legendi essent definiens , *id de lectione publica in Ecclesiis facienda intelligere videtur* , ut ait Mabillonius de Cursu Gallicano pag. 385 . quam viri doctissimi interpretationem exoscular . ea enim refelluntur quae tanquam a Gelasio abhorrentia opponit Pearsonius pag. 55 . ubi *in Decreto omnia , quae apocrypha appellantur , tanquam a Catholicis vitanda , & ab Ecclesia eliminanda utique damnari pronunciat* . Exstat vetustissimus canon in Ferrandi Breviario num. ccxxxviii . & apud Crisconium num. ccc . *ut praeter scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur* . Quum vero ejusmodi Decreta & opuscula ad usum Ecclesiarum conscriberentur , ideo *novas semper accessiones pati oportuit , prout ipsa consuetudinis temporisque ratio postulare videbatur* , ut verbis utar Thomassii nostri , viri in hisce rebus peritissimi , ex ipsius praefatione ad Codices Sacramentorum decerptis , ubi Gregorianum Sacramentarium juxta ac Gelasianum codicem ali-

quot additionibus auctum ostendit , neque propter ea respuendum tanquam fucatum . Ex superiori dictis exploditur Beatus Rhenanus , qui in epistola praefixa Auctoribus Historiae ecclesiasticae a se collectis , & Basileae editis apud Frobenium anno MDXXXIX. temere putavit Gelasium interdicere nobis voluisse lectionem Eusebii , *vel ab aliquo asino adjectum* in ejus Decreto , *Historiam Eusebii apocrypham* esse : vel Gelasium sibi ipsi contrarium , ut qui in Decreto improbet librum alibi a se probatum : quae omnia perperam pronunciavit , non intellecta significatione *apocryphorum* . Hanc quidem ad mentem Gelasii assequutus neque est praestantissimus nostrae religionis interpres Melchior Canus , qui in libro undecimo de Locis Theologicis capite sexto impudentiam Rhenani redarguens opinatur , *apocryphum* a Gelasio accipi pro reprobato , atque Eusebii Historiam ideo inter apocrypha rejici , quia in illa Christi Domini & Abgari epistolas amoebaeas retulerat : quae item a Gelasio cum apocryphis numerantur ; & quia multa testimonio Clementis Alexandrini firmaverat : cuius quoque opuscula inter apocrypha recensita sunt a Gelasio . Cani sententiam excepit Isaacus Casaubonus Exercitatione decima tertia num xxxi. ad Baronianos Annales , qui propterea vapulat a Richardo Montacutio in Originibus ecclesiasticis parte posteriori tomī primi pag . 62 .
num.

num. 96. ubi Gelasii *apocrypha* non tanquam haereticorum carcinomata, sed ut talia, quae nequam inter hagiographas & canonicas scripturas admitti debeant, a Baronio accepta fuisse declarat. Apocryphorum originationem Isaacus Vossius in capite septimo de Oraculis Sibyllinis trahit ab Ebraeis, apud quos antequam in Graecum sermonem libri sacri converterentur, omnes erant *apocryphi*, nempe arcani, inaccessi, utpote ad quos solis Levitis pateret aditus. Hos deinde libros post adventum Messiae Judaei execrati fuerunt, pudore affecti, quod annunciasserent quem ipsi non cognoverant; unde tunc novas condere versiones, ut quem jampridem ex animis, eundem quoque e sacris literis exterminarent: tuncque factum est, ut arctius quam antea libri sacri constringerentur, omnesque, qui Ebraice non existarent, a reliquis separati, veluti interdicti & a nemine legendi, pro *apocryphis* habitu fuerint, a vero significatu detorta vocis natura. Quum enim antea libri sacri, aut omnes, ad quos non pateret cuicunque aditus, *apocryphi* dicerentur; illi in sequiore sensu acceperunt hoc vocabulum, tanquam si ideo non essent adeundi quod dubiae essent fidei. Ex his satis patet quam alieno sensu apud veteres Christianos ac nunc vulgo vox Apocryphorum accipiatur, quum adulterini vel exigui momenti libri isthuc signantur titulo. Ut ergo in pauca rem contr-

raham, Decretum, de quo disputamus, utique spectat ad Gelasium I. cui praeter monumenta superius adducta illud tribuunt *antiqui codices* apud Chiffletium in notis ad Vigilium Tapensem pagina 157. Item codex MS. Gratiano & Ivone antiquior, & aliis in Cantabrigiensi Bibliotheca adservatus, quem olim Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis ex Beccensi coenobio in Angliam advenit, quorum utrumque memorat Pearsonius. Hinc tanquam sanctio antiquissima sub nomine Damasi continebatur in codice collectionis Crisconiana apud Baronium sub anno LXIX. num. iv. aequo ac in Dacheriano codice collectionis Dionysii Exigu, & in veteri codice MS. Urgellensi sincerae collectionis Isidoriana ubi Decretum tribuitur Hormisdæ apud Baluzium in notis ad Lupi epistolam centesimam duodetricesimam. Ex his apparet, Gelasianum Decretum in Collectionibus antiquis existare, quanvis errore librariorum nomen alienum præferat: qui tamen facile diluitur quum pleraque opera in Decreto memorata post Damasum & ante Hormisdam prodierint.

IV. Eximus Annalium ecclesiasticorum illustrator Antonius Pagius sub anno cccccxciv. num.v. putat Hormisdam, ut petitioni Possessoris episcopi Africani CPoli exsulantis faceret satis, tam ad eum, quam ad Legatos suos Decretum Gelasii misisse, præcipiendo, ut illud ab omnibus religiose obser-

vare-

varetur; tuncque Decretum illud in varia exemplaria per Fausti Rejensis adversarios exscriptum latius per Europam, Africam, & Orientem volitasse. Quia vero ab Hormisda fuerat missum, ejusque nomine vulgatum, eidem postea tanquam auctori tributum fuisse opinatur. De anno, quo Decretum conditum fuit inter se Critici dissident. Siquidem Baronius anno **ccccxciv.** num. xix. datum existimavit in Concilio Romano LXX. Episcoporum, *Asterio atque Praesidio Consulibus*: quod etiam exhibent Conciliorum editores Philippus Labbeus & Gabriel Cossartius tomo iv. col. 1260. ubi laudant *vetustissimum* codicem suum MS. & alium Christophori Justelli col. 1261. Praeterea idem Labbeus in Dissertatione de Scriptoribus ecclesiasticis tomo primo pag. 341. *ex veteri MS. codice* suae Bibliothecae se Decretum illud descripsisse testatur. Id ipsum praferre *aliquos MSS. codices* Pearsonius affirmat. Chiffletius autem quum dubitassem aliquando, num vere hoc Decretum Gelasio adscriberetur, ingenue postea testatus est in notis mox indicatis animum suum titubantem firmatum fuisse ab antiquis codicibus, *in quibus hoc Decretum editum notatur a Gelasio in Synodo Romana LXX. Episcoporum Asterio & Praesidio Coss.* qui est annus Christi 494. *Gelasii Papae tertius, ante Hormisdae initia vicesimus.* Lopus etiam in epistola saepenumero memorata, & in fine

fine libri de Tribus quaestionebus scribit Gelasium
condidisse Decretum illud *cum LXX. Episcopis*
viris eruditissimis, statuens qui scriptores essent,
vel non essent recipiendi. Quare alucinatur Pear-
sonius Synodi illius nullam haberi mentionem,
jactans , & Pagius anno eodem ccccxciv. num. vi.
scribens , notam illam temporariam desiderari in
codicibus MSS. ideoque Baronium & Concilio-
rum collectores refellendos , propterea quod ipse
in duobus codicibus eam non invenerit . Idem
Decretum in codice Palatino Bibliothecae Vati-
canae longe antiquissimo non praefert sacrarum
Scripturarum canonem , ut in vulgatis ; sed abso-
lute sic incipit : *Post propheticas & evangelicas*
atque Apostolicas scripturas, quibus Ecclesia ca-
tholica per gratiam Dei fundata est. Eodem pacto
incipit etiam in codice MS. Justelli . Et sane su-
pervacaneum fuisset in Concilio LXX. Episco-
porum a Gelasio divinorum librorum ordinem
condi , qui olim in Ecclesia catholica firmatus
jam fuerat . Etenim Innocentius I. in epistola II.ad
Exsuperium Tolosanum integrum exhibet eundem
canonem apud Labbeum tomo secundo col. 1256.
Item Concilium Carthaginense III. anno cccxcvii.
celebratum in canone xlviij. tomo eodem col. 1177.
& Codex canonum ecclesiae Africanae capite xxiv.
ibidem col. 1061. necnon & sanctus Augustinus
in libro secundo de Doctrina Christiana capite
octavo

octavo num. 13. ubi quidem inter libros canonicos recensentur libri Job, Tobiae, Judith, Maccabaeorum, epistola ad Ebraeos & Jacobi, Petri duae, Iudae una, Johannis tres, & Apocalypsis. Quare nullum dubium quin idem Canon scripturarum post Gelasium Decreto ipsius praefixus fuerit, & forte ab Hormisda, cuius nomine alicubi circunfertur. Pearsonius Gelasio praecipue abjudicavit Decretum, quia in eo legitur: *liber, qui appellatur canones Apostolorum, apocryphus*; & quia post quatuor Concilia generalia enumerata, haec adduntur: *sed et si qua sunt Concilia a SS. Patribus hactenus instituta post illorum quatuor auctoritatem et custodienda et recipienda decrevimus*: quibus verbis Concilium V. sive CPolianum II. Pearsonius designari contendit, ut post illud tempus Decretum editum evincat. Verum & ista evanescunt, quum verba illa desint in codice Palatino. Canones item Apostolorum deerant in codicibus Pearsonii, Hincmari & Justelli.

V. In editione Poetarum Christianorum, quam Aldus Manutius senior Venetiis adornavit anno MDII. post Carmen Paschale Sedulii, quod prostat in parte secunda, dicitur illud publicatum fuisse a Turcio Rufo Asterio Quinto V.C. Ex consule ordinario atque Patricio, qui id inter scripta Sedulii invenit. Haec adnotatio, quae non in fine, sed in principio Carminis Sedulii occurrit in

codicibus MSS. mox a nobis laudandis , cum hoc epigrammate ad Macedonium adne^ctetur , quod deest in editione Aldina :

*Sume , sacer meritis , veraci^s dicta poetae ,
 Quae sine figmenti condita sunt vitio ,
 Quocaret alma fides , quo sancti gratia Christi ,
 Per quam justus ait talia Sedulius :
 Asterisque tui semper meminisse jubeto ,
 Cujus ope & cura edita sunt populis ,
 Quem quanvis summi celebrent per saecula
 fastus ,*

Plus tamen ad meritum est , si viget ore tuo.

Macedonius ille non Abbas , ut in vulgatis , sed *Presbyter* vocatur in scheda Barthii , qui sexto versu suspicatur vocem remotiorem *didita* reponendam , et si non insolentes tali loco Christiani peccent . *Fastus* etiam editum in scheda Barthii : *quod nec illatinum nec ineruditum esse* ait , quum Lucanus in libro x. v. 187. dixerit :

Nec meus Eudoxi vincetur FASTIBUS annus.
 Columella etiam in libro nono capite decimo quarto *Eudoxi & Metonis antiquorum FASTUS astrologorum* sequi se dixit . Idem Carmen Sedulii in Decreto Gelasiano hoc elogio decoratur : *venerabilis viri Sedulii Paschale opus , quod heroicis descripsit versibus insigni laude p^raeferimus* . Hinc Pearsonius in Vindiciis Ignatianis parte prima capite quarto pag. 46. putavit se fortissimum argumen-

mentum eruere ad Decretum Gelasio abjudicandum quum Pontifex anno ccccxciv. Asterio & Praesidio Cos. commendare nequiverit opus Sedulii , quod idem Asterius nondum vulgaverat : quodque *Exconsul* vulgare non potuit ante annum cccccxv. quo primum dici potuit *Exconsul*. Eandem difficultatem viderat Usserius in Britannicarum ecclesiarum Antiquitatibus pag. 777. quum enim post biennium sive anno cccccxvi. e vita excesserit Gelasius , intra illud temporis spaciū putavit opus Sedulii prodiisse Asterio accurante , & Concilium Romanum LXX. Episcoporum sub eodem Gelasio celebratum , quod nuperrime divulgato operi praeclarum dederit testimonium . Sed Sirmondus in notis ad epistolam vicesimam tertiam libri primi Ennodii ex codice MS. Remensi , & Usserius loco laudato ex Thorneyensi, hanc adnotationem praefixam initio Seduliani Carminis adduxerunt : *hoc opus Sedulius inter chartas dispersum reliquit: quod recollectum adornatumque ad omnem elegantiam divulgatum est a Turcio Rufio Asterio V.C. Consule ordinario atque Patricio.* Hinc Sedulii Carmen prodiisse videretur eodem anno , quo Gelasius Concilium celebravit , nisi ex veteri MS. Johannes Cuspinianus in Fastis , Panvinius item libro tertio Fastorum , atque codex Vaticanus 1165. non *Consule* , sed *Exconsule* retinerent , quibus addendus alter *vetusissimus codex*

Sangallenis, quem laudat Melchior Goldastus, nomine suo literis compediariis designato, in praefatione ad Manuale biblicum sive Enchiridium sacrae Scripturae, editum Francofurti apud Egenolphum Emmelium anno MDCX. in 8.^o *Exconsule* pariter legi in codice MS. *sancti Albini* testatur Philippus Labbeus in tomo altero de Scriptoribus ecclesiasticis pag. 325. & in alio *optimae notae*, quem laudat in Bibliotheca MSS. librorum parte prima pag. 23. Idem quoque Barthius Adversariorum libro secundo capite altero se in *scheda vetustissima* reperisse testatur, necnon & in alia item *vetustissima*, quam memorat libro duodecimo capite undevicesimo. Quare nullus dubito quin Asterius ediderit carmen Sedulii post deposita Consulatus insignia secus ac Sirmondus existimavit, Asterium eundem confundens cum Fl. Asturio, qui cum Protogene processit Consul anno ccccxl ix. & diversum faciens a Turcio Rufio Aproniano Asterio, qui anno cccxciv. cum Praesidio collega in Fastos relatus est. Hos duos inter se diversos homines Asterium & *Asterium* commiscuit novissime etiam Dupinus in Bibliotheca parte secunda tomii tertii pag. 212. editionis anni 1691. in 4.^o ubi quidem non *Turciun* *Rufum*, sed *Tyrsum Rufum Asterium* appellat. In eundem errorem magna Sirmondi auctoritas traxit celeberrimos viros Aubertum Miraeum in scholio ad caput septimum Isidoriani Catalogi, Labbeum

beum in tomo secundo de Scriptoribus pag. 333. & Alexandrum Wilhemium in capite primo Appendicis ad Dyptichon Leodiense: qui & alios errores incautus admisit, quos excusavit vir omni laude praestantior Henricus Norisius in Cenotaphiis Pisanis pag. 439. Hinc refellitur etiam Goldastus, qui in laudata praefatione ad Manuale biblicum ait, Turcium Rufum Asterium, qui edidit Carmen Sedulii, fuisse in Consulatu collegam Protagonis anno CCCCXLIII, & falsos fuisse Cuspinianum & Fabricium, qui ad Asterium Praesidii collegam id retulerunt. In epigraphe carminis Asterii, quæ Sedulio subjicitur in editione Aldina, praefigitur vero in codicibus Sirmondi, Usserii, Vaticano, & Cuspinianeo, Carmen illud Paschale dicitur vulgatum *a Turcio Rugo Asterio Quinto V. C. Exconsule ordinario atque Patricio*, sive ut Barthii schedae praeferebant, *a Turcio Rugo Quinto Exconsule &c.* Unde Barthius in fine capitinis undevicesimi libri duodecimi suspicatur illud cognomen *Quinto* ortum fuisse ex notis illis aevi prisci V. C. nam τὸ V. pro siphra numerica, ut loquimur, intellexit imprudens librarius, sed vetustissimus tamen: illudque cognomen *Quinto* perperam additum notavit etiam Norisius ex ejusdem Asterii chirographo in Virgilii codice Mediceo.

V. Ex his ergo manifeste apparet, hanc editionem Carminis Sedulii ab Asterio adornatam fuisse,

fuisse, depositis jam pridem Consulatus insigniis, post annum ccccxciv. quo fuit celebratum Concilium Romanum . Hoc cognito , Pearsonius , Norisius , & Pagius Synodus illam trahendam putarunt post eundem annum : Pagius vero ad annum ccccxv. num. 11. biennio serius coactam credidit. Sed nihilominus credibile non est , Carmen Sedulii vix editum ita innotuisse , ut in amplissimo Ecclesiae Romanae Concilio, tanquam opus ubique gentium probatissimum, insigni praeconio commendari meruerit . Quare pro certo habeo longe ante Asterii Consulatum illud opus in lucem prodiisse . siquidem V. C. Mabillonius in *Analectis* tomo primo pag. 363. edidit observationem sub nomine *Hieronymi in Catalogo* , ubi haec habentur : *Sedulius versificus primo laicus in Italia philosophiam didicit, postea cum aliis metrorum generibus heroicum Macedonio consulante docuit.* (legendum consulente , ut legit Usserius in codice Thorneyensi) *In Achaja libros suos scripsit in tempore Valentiniiani & Theodosii , nimirum anno vulgari cccccxxiv. ut habet Bostonus Buriensis apud eundem Usserium pag. 772.* Hæc observatio non est Hieronymi , sed potius Gennadii , ex cuius *integris exemplaribus* se obitum Sedulii collegisse testatur Sirmondus in notis ad superius laudatam epistolam Ennodii . Idem Poeta apud Mabillonum in acrosticho Bellesarii Scholastici , quod prius ediderat

Margarinus Bigneus in Bibliotheca Patrum tomo octavo col. 537. editionis secundae Parisiensis & Barthius in Adversariis pag. 2484. vocatur *Sedulius Antistes*: quo nomine eum appellaverat etiam Sigebertus in Catalogi capite sexto, & Alcuinus col. 303. operum, ubi *Episcopum* vocat: cui proinde nihil est cum *Sedulio presbytero Hiberno*. Quare Asterius non vulgavit primus Carmen Sedulii, sed illud tantum ex schedis auctoris recognitum & emendatum edidit, quemadmodum fecerat adhuc Consul de scriptis Virgilii Maronis, quæ ejus chirographo insignita hactenus adservantur in Bibliotheca Medicea. Neque tamen ideo jure quis dixerit opera Virgilii primum vulgata fuisse ab Asterio. ea quippe aetate mos erat, ut illustrium virorum lucubrationes a librariis non ederentur, nisi a viris in dignitate constitutis recognita & emendata, ut patuit exemplis inter Vindicias antiquorum diplomatum a nobis allatis pag. 36. quibus nunc addimus ex Prolegomenis Jacobi Gothofredi ad Codicem Theodosianum pag. cxciii. num. 8. *Anianum Virum Spectabilem* codem pacto recognovisse Breviarium codicis Theodosiani sub Alarico Rege Gothorum. Ita quoque *Securus Melior Felix Asper Comes Consistorii ex mendoſiſſimis exemplaribus emendavit* opera Martiani Capellae, Consule Paulino V. C. ut observavit Hugo Grotius in praefatione ad notas in eundem auctorem.


Qua-

Quapropter auctoritate veterum codicum edoctus
 puto Synodicum illud Decretum Gelasii prodiisse
 in Concilio Romano LXX. Episcoporum , Asterio
 & Praesidio VV. CC. Cofs. anno ccccxciv. & tunc
 in idem Decretum relatum fuisse Carmen Sedulii :
 ideoque Concilium idem Romanum non secun-
 dum , ut Pagius opinabatur , sed primum sub Ge-
 lasio appellandum , sicut hactenus a Conciliorum
 collectoribus & ab aliis appellatum est . Quum
 saepius nominaverim *Paschale Carmen* Sedulii ,
 scire juverit , eundem auctorem geminatum opus
 versu & prosa scripsisse . Primum Macedonio in-
 scriptum & in quinque libros divisum appellavit
Paschale Carmen : hoc vero ejusdem Macedonii
 rogatu in solutam orationem conversum *Paschale*
opus inscrisit , ut de utroque ipsemet Sedulius te-
 statur . Hoc posterius ex vetusto codice Petri Pi-
 thoci a se notis illustratum edidit Franciscus Jure-
 tus , quod etiam prostat pag. 934. tom. octavi Bi-
 bliothecae Patrum editionis Parisiensis omnium
 optimae anni MDCXLIV. typis Aegidii Morelli .
 Juretus vero , qui in Decreto Gelasiano putat utrunque
 uno vocabulo commendari , & utrunque pariter
 lectum fuisse a Gelasio , bis atque iterum fallit
 tur : etenim sub nomine *Paschalis operis Paschale*
carmen ibi laudatur , quia dicitur *heroicis descrip-*
tum versibus ; sive ut habet vetustissimus codex
Palatinus , *quod eruditis descripsit versibus* .

C A P U T . I V

S Y N O P S I S

- I. *Proba & ejus Virgiliocento a multis laudantur. Non scripsit Homerocentonem. Lilius Gyraldus & Julius Roscius notati. Scripsit de bellis civilibus.*
- II. *Virgiliocentonis diversae editiones, & codices manu exarati.*
- III. *Errores codicis Padolironensis. Casparis Barthii opinio non probata. Locus sancti Hieronymi explicatus. Tres Probæ a sanctis Patribus memoratae.*
- IV. *Ausonii de Centonibus sententia ab Henrico Stephano castigata. Probæ Virgiliocento ab eodem & a Barthio magni factus & emendatus.*



V M rerum connexa series nova differendi argumenta suppeditat, & materia alia aliam trahit, ingens jam spaciū falebroso diverticulo emensus, inviam redeo, Probam Falconiam iterum ad examen revocaturus. Ea ob Centonem,

Virgilianum omni aevo plurimi aestimata est, ideoque Isidorus vir sanctissimus & doctissimus ex universo seminarum sexu Scriptoribus ecclesiasticis eam unam adnumeravit *pro eo quod in laudem Christi versata est componens Centonem de Christo, Virgilianis coaptatum versibus*, eiusdem ingenium laudans, etiansi laborem illum magni-

alioquin non fecerit . Hanc quasi alteram Christianorum Latinam Sapphum vocat Sixtus Senensis : eandem commendat Olaus Borrichius in dissertatione altera de Poetis num. lvi. Ejus Centonum opus *pium* appellat M. Antonius Sabellicus , & veluti Deam quandam suspicit Barthius in Adversariis libro decimo quinto capite eodem , ubi aliquot ejus versus emaculat . Miris etiam laudibus extollit Boccatius in libro de claris mulieribus ubi alia quoque ab ea confecta fuisse opinatur , quae scriptorum socordia & temporum injuria perierint , atque ex his Homerocentonem : quod scribit etiam Baptista Fulgosus libro octavo capite tertio Memorabilium . Henricus Stephanus in Centonum & Parodiarum exemplis pag. 95 . de Proba , quod ad sacrum cum Musis certamen attinet , dici potuisse affirmat : *audetque viris concurrere Virgo* . Magna laude dignam proclamat , *suoque nomine non indignam feminam fuisse* arbitratur : atque adeo si post tot annorum curriculum ejus in hoc genere laboris & argumenti nullus vir aemulus inventus est , *id certe , inquit , gloriam ejus apud nos augere multum debet* . In hoc tamen contra Stephanum stat Isidorus in Originum libro primo capite duodequadragesimo , ubi , postquam de Proba loquutus fuit , ista subjungit : *sic quoque εγρ quidam Pomponius ex eo demum poemate inter cetera stili sui ocia Tytirum in Christi honorem composuit* ,

posuit, similiter & Aeneidos. Probae Virgiliocentonem nominatum dixi a sancto Hieronymo verbis recitatis in capite praecedenti ex epistola centesima tertia, ubi & Homerocentonis mentionem facit: qui quidem Eudociae esse non potuit, quae item Homerocentones condidisse fertur. hanc enim post Hieronymum floruisse infra apparebit. Nec scio unde hauserit Lilius Gyraldus quod tradit in dialogo quinto historiae Poetarum, Probam Eudociae Theodosii junioris conjugi suum Centonem Virgilianum misisse. In id scribendi genus Probam incubuisse, ut Honorio & Arcadio expressam indicaret seriem eorum, quae in novo & veteri Testamento continentur, alteri quidem Latine, alteri Graece, qui Byzantii imperabat, suspicatur Roscius. Hoc mihi tamen haud continuo probatur, propterea quod Cento Latinus dicatus fuerit Honorio, qui in oriente imperavit: atqui huic ex sententia Roscii non Virgiliocento, sed Homerocento dicandus fuerat. Addit etiam verosimile fieri, ut ejusdem scriptio[n]is generi indulserit, quo coniugem suum in senectute ad religionem Christianam conversum & pro more aqua lustrali ablutum nostra mysteria edoceret; unde illi versus ad calcem operis:

*Hunc, socii, morem sacrorum, bunc ipse teneto,
O dulcis conjux, & si pietate merentur,
Hac casti maneant in religione nepotes.*

Proba insuper initio Centonis sui fatetur alia se se
plurima literarum monumentis consignasse , tunc
que demum de profanis ad sacra argumenta se con
vertisse .

*Jam dudum temerasse duces pia foedera pacis ,
Regnandi miseros tenuit quos dira cupido ,
Diversaque neces Regum , crudelia bella ,
Cognatasque acies , pollutos caede parentum
Insignes clypeos , nulloque ex hoste trophoea :
Sanguine conspersos tulerat quos Roma
triumphos ,*

*Innumeris toties viduatas civibus urbes ,
Confiteor , scripsi . Satis est meminisse malorum .
Nunc , Deus omnipotens , sacrum , precor ,
accipe carmen ,*

*Aeternumque tui septemplicis ora resolve
Spiritus , atque mei resera penetralia cordis ,
Arcana ut possim natis , PROBA , cuncta referre .*

Hic Proba innuere videtur se olim scripsisse de Ro
manorum bellis civilibus , & carminibus jam reci
tatis respexisse Lucanum , qui idem argumentum
hifice versibus auspicatus fuerat .

*Bella per Emathios plusquam civilia campos ,
Jusque datum sceleri canimus , populumque
potentem*

*In sua victrici conversum viscera dextra ,
Cognatasque acies : & rupto foedere regni
Certatum totis concussi viribus orbis .*

*In commune nefas : infestisque obvia signis
 Signa , pares aquilas & pila minantia pilis .
 Quis furor , o cives ? quae tanta licentia ferri ,
 Gentibus invisis Latium praebere cruorem ?
 Quumque superba foret Babylon spolianda
 trophyeis*

*Ausoniis , umbraque erraret Crassus inulta ;
 Bella geri placuit nullos habitura triumphos ?*

II. Virgiliocentonem , qui unicus ex Probae operibus supereft , primus omnium typis vulgavit Johannes Philippus de Lignamine eques Siculus cum opusculis Philippi cuiusdam Dominicani Romae anno MCCCCCLXXXI. in 4.^o & Philippus item Siculus ex ordine Praedicatorum , a supradiicto forte minime diversus , illum inseruit libro inscripto , *Tractatus solemnis & utilis* in 4.^o sine loco & sine anno editionis , ubi Virgiliocento Vaticiniis Sibyllarum adjunctus hunc titulum praefert : *Probae Centonae clarissimae foeminae excerptum e Maronis carminibus ad testimonium veteris , novique Testamenti : quae editio iterata fuit per Bernardinum Benalium Venetiis in 4.^o sine anno . Deinde excusus fuit Brixiae anno MCCCCXCVI. in 8.^o & aliam postea editionem iteravit Aldus Manutius senior Venetiis anno MDI. in 4.^o una cum Sulpicii Severi historia : & inter Poetas Christianos cum titulo *Probae Falconiae Centronis* insertus est in parte secunda ab eodem Aldo seniore anno sequenti MDII.*

in 4.^o Prodiit postea Daventriae typis Richardi Pafraët anno MDV. in 4.^o deinde Lugduni cum Poematibus Baptistae Mantuani anno MDXVI. Francofurti anno MDXLI. in 8.^o & Parisiis anno MDLXXVIII. in 12.^o cum Eudociae Homerocentonibus, & Nonno apud Henricum Stephanum : quem fugillat Poetarum veterum studiosissimus Caspar Barthius in Commentario ad Claudianum pag. 47. secundae editionis : *non enim, inquit, aequa bene ac de aliis, de hoc libello meritus est.* Illud vero facinus commisit illaudabile, quod notas Virgilianorum librorum marginibus depulit ; unde sedes argute traductorum in Centones versuum & hemistichiorum, memoria eximuntur. Habetur etiam impressio Parisiensis hac epigraphe signata : *Probae Falconiae vatis clarissimae a sancto Hieronymo comprobatae Centones. Parisiis apud Franciscum Stephanum MDXLIII. in 8.^o* Aliam editionem accuravit Henricus Meibomius senior Helmestadii anno MDXCVII. in 4.^o & aliam Margarinus Bigneus in tomo quinto Bibliothecae Patrum editionis primae Parisiensis apud Michaëlem Sonnium anno MDLXXV. & in tomo octavo editionis secundae Parisiis sub signo navis anno MDLXXXIX. pag. 599. Comparet etiam in tomo octavo ejusdem Bibliothecae editionis Parisiensis apud Aegidium Morellum anni MDCXLIV. pag. 708. unde Thomas de Simeonibus Centonem eundem transtulit ad calcem suae dissertationis de duabus

Probis Bononiae apud heredes Pisarrii impressae anno MDCXCII. in 4.^o Idem quoque legitur in tomo quinto pag. 1219. Bibliothecae Patrum postremae editionis Lugdunensis anni MDCLXXVII. apud Anissonios, sed cum vitio, cuius Henricum Stephanum Barthius insimulaverat. Johannes Platearius Probae Virgiliocentones edidit Coloniae apud Johannem Gymnicum anno MDXCII. in 8.^o Sed omnium utique diligentiam & studium vicit Julius Roscius, qui locis Virgilianis in utroque margine signatis celeberrimae civis suae opus ab innumeris mendis restituit, ad plures codices MSS. quorum unus erat Hortanus, accurate emendavit & vulgandum tradidit Damiano Granae Veronensi, qui Romae id praestitit anno MDLXXXVIII. in 16.^o ex typographia Sanctii ad calcem opusculi Antonii Massae de Origine & rebus Faliscorum, quum ceteroquin idem Roscius Probae Centonem non sine commentariis edere decrevisset, ut Grana testatur in epistola ad Vincentium Laurum Cardinalem, Centoni praefixa. In tomo quarto Spicilegii Dacheriani pag. 485. dicuntur extitisse *Versus Probae* in bibliotheca monasterii sancti Richarii anno Christi DCCCLXXXI. & in Catalogo bibliothecae Vedastinae Atrebatis, quem ab hinc trecentos & amplius annos exaratum protulit Antonius Sanderus in sua Bibliotheca librorum MSS. Belgii parte prima pag. 61. signatur *liber Probae per versus*. In Bibliotheca Vaticana

cana idem Cento legitur in tribus codicibus MSS. membraneis , nempe num. 1586. pag. 84. absque principio , num. 1666. cum hac inscriptione : *incipit praefatio Probæ , Gentilium carmina ad obsequium fidei retorquentis* . Ad calcem vero leguntur haec verba : *explicit Virgiliocentona Probæ , cuius Homerocentonam non habet Latinitas , sicut Virgiliocentonam ejus non habet Graecia* . Studuit enim utranque gentem ad fidem Catholicam invitare priorum documentis auctòrum . In codice vero 1667. nomen *Flatoniae Vecciae Probæ* hucusque inauditum comparet , quod ex *Faltonia Anicia Proba* depromptum suspicor audacia amanuensium , qui ab Anicia illa Faltonia Proba poëtriam distinguere nescierunt . Ad extremos autem versus haec notula scripta est in margine : *Proba vates hunc dominum nostrum Jesum Christum a Fidelibus cultum , & ut omnes colant & adorent , hortatur , & Alipium (Adelphium scribi debuerat) virum id facere monet .*

III. In bibliotheca etiam Padolironensis monasterii in fine cujusdam antiqui codicis prostant *Probæ Falconiae carmina* : in fine autem ibidem sic legitur : *Proba uxor Adelphii , mater Olibrii & Aliepii cum Constantini Imperatoris bellum adversus Magnentium conscripsisset , conscripsit & hunc librum* : quod adnotavit Bernardus Montfauconius vir clarissimus in Diario

Ita-

Italico pag. 36. Sed haec postrema utique adjecta sunt ab inepto scriba ex eorum genere, qui jam aevo Boccatii Probam poëtriam, nominis alterius Probae similitudine decepti, domo Romanam *ex conjectura* dictitabant. Nugatur vero ejus glossematis auctor. etenim Anicia Faltonia Proba mater fuit non Alypii, sed Anicii Probi, Anicii Probini, & Anicii Hermogeniani Olybrii, qui alias est a Q. Cladio Hermogeniano Olybrio: fuitque uxor Sexti Anicii Petronii Probi, non vero *Adelphii*: neque Constantinus bellum suscepit adversus Magnentium, sed Constantius. Quod Probus, Probinus & Olybrius extiterint filii ejusdem Aniciae Faltoniae Probae patet ex duplice inscriptione apud Baronium tomo quarto anno cccxcv. num. vii. & apud Gruterum pag. ccclii. num. 5. & 6. in quarum prima basim statuae *Aniciae Faltoniae Probae Anicius Probinus V. C. Consul ordinarius* & *Anicius Probus V. C. quaestor candidatus filii devincti maternis meritis dedicaverunt*. In altera vero monumentum *Anicius Hermogenianus Olybrius V. C. Consul ordinarius*, & *Anicia Juliana C. F. ejus devotissimi filii dedicaverunt*. Idem letissimi proceres Anicius Probinus, Anicius Probus, & Anicius Hermogenianus Olybrius Sexto Petronio Probo parenti suo bina monumenta dedicaverunt apud Gruterum pag. ccccl. num. 2. & 3. & apud Baronium anno eodem num. iii. ubi

praeterea & apud Gruterum loco citato num. 4. Sextus Petronius Probus in suo & Probæ conjugis epitaphio dicitur eidem suae conjugi ad superos præcivisse.

*Sed periiisse Probum meritis pro talibus , absit
Credas, Roma, tuum. Vivit & astratenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,
Parcus opum nulli , largus at ipse fuit.
Solamen tanti conjux tamen optima luctus
Hoc Proba sortita est, jungat ut urna pares.
Felix , heu nimium felix , dum vita maneret,
Digno juncta viro , digna simul tumulo !*

His tabulis refellitur Barthii sententia , qui sub initio Commentarii ad Claudianum ait , *Probam illam Romanam , de qua doctor maximus loquitur in epistola ad Demetriadem , fuisse Probi matrem , aviam Probini & Olybrii : qua de caussa liberorum , non filiorum nomine usus est prudentissimus senex ; liberorum enim designatio tam ad nepotes , quam filios pertinet , auctoribus jureconsultis . Verba Hieronymi haec sunt : Proba illa omnium dignitatum & cunctae nobilitatis in urbe Roma nomen illustrius , cuius sanctitas & in universos effusa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit : quam trium liberorum Probi , Probini , & Olybrii non fatigarunt ordinarii consulatus . immensa enim pecuniae vis effundebatur in capeſſendis Consulatum ordinariorum insigniis : quam spor-*

sportulam consularem appellabant, ut animadver-
tit Alexander Wilthemius, in capite quarto Com-
mentarii ad Diptychon Leodiense. Eosdem tamen
sumptus semel, iterum, & tertium Anicia Faltonia
Proba liberalissime fecit pro tribus filiis, sine pro-
prio incommodo, & pecuniis in usus pauperum
erogandis neutiquam inde imminutis: qui quidem
sumptus ipsi incumbebant, mortuo jam conjuge
Sexto Petronio Probo, quemadmodum ex epita-
phio memorato didicimus. Eadem Faltonia Proba,
cujus liberalitatem miris laudibus extollit etiam san-
ctus Johannes Chrysostomus in epistola CLXVIII. ad
illam scripta, extremum diem obiit diu ante an-
num vulgarem CCCCXXXII, nam tomo secundo Con-
ciliorum col. 1629. Coelestino I. in epistola XII.
ad Theodosium juniorem, quae data est *Idibus
Martii Flavio Aetio & Valerio VV. CC. Coss.*
nempe anno eodem CCCCXXXII. dicitur *illustris &
sanctae recordationis Proba possessiones in Asia
constitutas longa a majoribus vetustate reliquisse*,
ut major summa redditum clericis, pauperibus &
monasteriis erogaretur: quarum tamen dominio
violato, Pontifex rogat Imperatorem, ut secu-
ritati bonorum ecclesiae consulat. A sancto Ful-
gentio in epistola secunda ad Gallam de Statu
viduarum capite decimo sexto mire laudatur al-
tera *Proba virgo Romana, virginitatis & hu-
militatis exemplar, avis atavisque nata consu-*
Hh ij libus.

libus. Quare non una , aut duae , sed tres Probae fuerunt .


IV. Nondum finio , quin de nostrae poetriae Virgiliocentone quaedam expendo . Ausonius in epistola , quam suo Centoni ad Paullum praefixit , esse ait *solae memoriae negotium* (pro *solius ἀγραικῶν*) *sparsa colligere & integrare lacerata : quod ridere magis , quam laudare possit* . Ab Ausonio dissentit Henricus Stephanus in Centonum & Parodiarum exemplis pag. 60. quippe qui contendit *summo ingenii acumine opus esse* , ut eorum , quae memoria collegerit , habeatur is qui requiritur , *delectus* . Idem Stephanus pag. 8. Ausonium reprehendit quod scripserit , *Virgiliani carminis dignitatem Centonibus esse debonestatam* : quod jure & merito Ausonius de suis dicere debuisse , quum *ibi nonnullos versus ad obscenissimum sensum detorqueat* . Sed quos Proba Falconia edidit , tantum abest , ut hoc nomine nobis displicere , ut contra placere debeant quod *Virgilianos magis augustos & velut sacros ex profanis reddiderit* . Subinde Stephanus variis in locis Centonem Falconianum emaculat , dolens , sibi passim in mendis tanquam in salebris haerendum , itaut plura Centonum exempla excipere non potuerit , nonnulla esse videns , in quibus veteris codicis auxilium desiderabatur ; quum alioquin periculum esset , ne ubique eam , quae apud Virgilium est ,

est , lectionem reponeret ; quaedam aliter scribe-
ret , quam ipsamet eorundem Centonum concin-
natrix scripserat , sive usq; Virgiliano exemplari ,
diversam a nostris lectionem habente , sive memo-
ria lapsa : aliquot enim loca Stephano melius apud
Probam legi videntur , quam apud ipsum Virgi-
lium , licet eidem credibile sit , nonnulla etiam
reperiri , in quibus sua Proba m memoria sefelle-
rit , id est falsa sit , quod nimium memoriae suae
fideret . Caspar Barthius Adversariorum libro &
capite decimoquinto Henrici Stephani correctioni-
bus explosis alias substituit , animadvertisens , in car-
minibus Probæ corrigendis immane quantum sibi
recentiorum editiones permisisse , & quidem , ut
ait , ambitiosum aliarum rerum censorem Stepha-
num . Lectionibus subinde , quas ipse confirmat
eruditas explicationes subjungit . His inter se col-
latis , Julii Roscii editionem reliquis anteferendam
jure quisque arbitrabitur .

C A P U T . V

SYNOPSIS

I. Centones unde dicti. II. Homerocentones a veteribus memorati. III. Varia Centonum genera. Potissimi fuerunt in re militari. IV. Quid Centonarii & Dendrophori in inscriptionibus antiquis. V. Patricii Homerocentones Eudocia Imperatrix perfecit. VI. Idem Patricius a Pelagio viro Patricio diversus. Zomaras & Cedrenus in concordiam redacti.



Am vero consequens est , ut etiam de Homerocentonibus verba faciamus , quoniam eosdem Probae Falconiae ab aliquibus attributos supra observavimus . Illos Greci Οὐργοκέντρων , & Οὐρόκεντρα appellaverunt : κέντρων enim

Graece , & Latine *centones* a verbo κέντριζειν , quod inferere est , proprie vocabant diversicolores pan nos ; metaphorice vero poematis genus ad similitudinem Centonis ex diversis carminibus alieni operis hinc atque inde decerptis confarcinatum : unde Aldus senior in praefatione ad Probae Centonem jure miratur Nicolaum Perottum in Commentariis Martialis , quos Cornucopiae appellavit , *Centones a centum* deduci existimasse . Erant Ho mero-

merocentones digesti ex integris vel dimidiis Homeri carminibus hinc inde selectis, ac novo proprioque ordine ita concinnatis atque consutis, ut ad alterius rei longe etiam diversae descriptionem accommodarentur; unde alius sensus, & novum poema exsurgebat, quemadmodum in Virgilio-centonibus ex Maronianā poesi compositis factum ostendimus. Suidas in verbo κέντρων, & Eustathius Iliados ↓ pag. 1425. affirmant ab eodem vocabulo κέντρωνēs non solum Centones ex multis frustis consutos, sed scripta etiam ex diversis locis consarcinata & unam sententiam absolventia nomen traxisse: quod quidem nomen Latini usurpaverunt abjecta litera ρ , dum pro κέντρων, *Cento* dixerunt. Ab his diversa non sentit Henricus Stephanus in Centonum & Parodiarum exemplis pag. 3. & in Thesauro linguae Graecae tomo altero col. 1293. ubi rejicit Erasmus Roterodamus, qui in Chilia-dis secundae Centuria quarta Adagio LVIII. ait Graecos addidisse literam, quam abjecerant Latini, quum tamen literam illam Graeci minime addiderint, sed Latini detraxerint, sicut a μετρῷ metior, & ab αἴρθρῳ artus fecerunt, quomodo notat Gerardus Johannes Vossius in Etymologico linguae Latinae verbo *Cento*. Porro vetustissima Homerocentonum specimina indicat vir clarissimus Johannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Graeca Hamburgi novissime excusa, libro secundo capite septimo num. III.

Verum

II. Verum ad Homerocentones ut proprius deveniam , illi qui exstant , ubi bona pars historiae Evangelicae continetur Homeri versibus in unum compaēta , a plerisque tribuuntur Eudoxiae , seu rectius Eudociae Augustae uxori Theodosii junioris , quae bac in re Probam Falconiam imitari voluerit ; id est ad eum usum Homericos versus convertere , ad quem illa converterat Virgilianos ; ut ait Stephanus in loco superius memorato : licet subinde pag.xi. hanc sententiam non ita amplectatur , quin putet in mentem utriusque feminae eandem rem cadere potuisse . Immo disertim dubitat , an re vera sint Eudociae , quum alioquin sine auctoris nomine interdum editi fuerint . Sane Tertullianus in capite undequadragesimo de Praescriptionibus memorat *Homerocentones* , qui de carminibus Homeri propria opera more centonario ex multis binc inde compositis , in unum sarcinuntur corpus : item Hieronymus in epistola centesima tertia ad Paullinum , & Isidorus in Originibus libro primo capite undequadragesimo scribit : *Centones apud Grammaticos vocari solent qui de carminibus Homeri vel Virgili ad propria opera more centonario ex multis binc inde compositis in unum sarcinuntur corpus ad facultatem cujusque materiae.* Vossius in Etymologico pro Centenario , ut vulgo legitur , *Centonario* restituit ; & optime quidem , *Centonarii* enim occurrunt in literatis lapidibus , & in

in praeceptis Imperialibus, ut mox apparebit. Centones porro non solum diversicolores panni dicebantur, sed etiam vestes famulares & rusticorum ex diversis veteribus pannis consutae, ut palam fit ex Catone in capite undesexagesimo de re Rustica, & ex Columella libro primo capite octavo: cuius generis veste servili cooperta Messalina Claudi Caesaris uxor

Intrauit calidum veteri Centone lupanar,
 ut ait Juvenalis in satyra sexta vers. 121. *Centonium* etiam Κεντωνίον vestem fuisse ex variis Centonibus confectam, cuiusmodi fuit monachorum γάργες vel storea, ex Graecis Patribus observat Carolus Cangius in Glossario ad scriptores mediae & infimae Graecitatis. Centonibus quoque tegebantur tabulata turrium & puppes ut igni restiterent: qui quidem Centones ex lana erant coacta, nempe ex variis pilis in spissam materiam redactis. eodemque non modo ferrum, sed neque ignis laedere poterat; unde Plinius in libro octavo capite duodequinquagesimo: *Lanae, inquit, per se coactae vestem faciunt; & si addatur acetum, etiam ferro resistunt, immo vero etiam ignibus.* Plinio mirifice concinit vetustissimus scriptor L. Sifenna, ex cuius tribus & viginti historiarum libris olim desperatis fragmenta aliquot hinc inde collegit veteris eloquentiae solertissimus instaurator Antonius Riccobonus in Commentario de historia. Idem

quippe Sifenna in libro quarto apud Nonium Marcellum pag. 91. editionis Parisiensis MDCXIV. haec habet : *puppes aceto madefactis CENTONIBUS integuntur*. Vegetius in libro quarto capite decimo quinto agens de machina quadam militari , *extrinsecus* , inquit , *ne immisso concremetur incendio , crudis & recentibus coriis vel CENTONIBUS operitur* . In Digestis quoque libro tricesimo tertio L. XII. §. xviii. haec leguntur : *acetum , quod extinguenti incendii causa paratur : item Centones* . & apud Macrobius libro septimo Saturnalium capite sexto : *acetum solum ex omnibus humoribus crescentem flamمام violenter extinguit dum per frigus suum , calorem vincit elementi* .

III. Quare in ordine armorum & vestimentorum , quae militibus disponit Leo Imperator in constitutione quinta §. iv. nominantur Κέντρα φαρδεα , nempe *Centones* sive *Centunculi laxi* , qui sunt *impilia seu e lanis coactiles panni crassiores* , *quibus corpora muniebantur eorum , qui loricas seu thoraces ferreos non habebant , ut a telorum jactibus tuti praestarentur* , inquit eruditissimus Reinesius in Variis lectionibus libro quinto capite sexto pag. 461. Philippus Pigafetta Italicus ejusdem Leonis Tactici interpres illud Κέντρα φαρδεα vertit hoc pacto : *feltri grandi , che vestano agiatamente il soldato* . cuius etiam interpretationis rationem reddit in eruditis suis adnotationibus pag. 66. licet collatus cum Rei-

Reinesio, alicubi emendari possit. Eosdem *Centones laxos* Leo commendat in constitutione sexta §.viii. & xiii. in quorum primo jubet *Centonibus tegi equos*, quibus frontalia, lateralia, & pectoralia ferrea sive cornea non sunt. Memorat insuper eosdem Centones in constitutione decima octava §.li. & in decima nona §.xiii. Apollodorus Tacticus inter Veteres mathematicos editionis regiae pag. 45. ait machinam militarem tegendam esse Βύρσας κ' κεντρικλοις *pellibus* & *centunculis*. & pag. 47. Helepolim, quae dicitur Corvus, jubet tegi Βύρσης κ' κεντρικλας επικειμένων τοῖς καβιθύροις *pelle* & *centunculo* qui superponuntur *cabiothyris*. Bito item Tacticus in libro de constructione bellicarum machinarum ibidem pag. 109. jubet quoque machinam κέντρωσιν ἥτοι ἴματισμοῖς ὡς ὅτι μάλιστα tegi *centonibus seu palliis quamplurimis*. Eosdem *Centunculos* passim occurrere apud scriptores Tacticos notavit Cangius in Glossario ad scriptores mediae & infimae Graecitatis ubi κέντρυκλον & κένδυκλον promiscue usurpari animadvertisit. Hinc Caesar in libro tertio de Bello civili capite quadragesimo quarto: *magnusque incesserat timor sagittarum, atque omnes fere milites aut ex coactis, aut ex CENTONIBUS aut ex coriis tunicas, aut tegumenta fecerant, quibus tela vitarent.* Idem Caesar in libro secundo capite nono de Bello Gallico, ubi loquitur de expugnatione Massiliae,

Scribens Legionarios turrim ex latere sub muro fecisse , haec habet : *ubi turris perducta est ad contabulationem , eam in parietes instruxerunt ita , ut capita tignorum extrema parietum structura tegerentur , nequid emineret ubi ignis hostium inhaeresceret . Hanc insuper contignationem , quantum tectum plutei ac vinearum passum est , laterculo adstruxerunt : supraque eum locum duo tigna transversa injecerunt , non longe ab extremis parietibus , quibus suspenderent eam contignationem , quae turri tegumento esset futura ; supraque ea tigna directo transversas trabes injecerunt , easque axibus religaverunt . Has trabes paullo longiores atque eminentiores , quam extremi parietes erant , effecerunt ut esset ubi tegumenta praependere possent ad defendendos ictus ac repellendos , dum inter eam contignationem parietes extinnerentur : eamque contabulationem summam lateribus lutoque constraverunt , ne quid ignis hostium nocere posset , CENTONESQUE insuper injecerunt , ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent aut saxa ex catapultis latericum discuterent . Longiusculum Caesaris testimonium ideo totum recitavi , quia inde veteres lapidum inscriptiones & Codicis Theodosiani consulta facile est explanare , ubi hactenus viri literatissimi tanquam ad aquas haeserunt . ex verbis enim Caesareis apparent cur Centonarii una conjungantur cum Fabris ,*

bris, Tignariis, Dolabrariis, Scalariis, & Dendrophoris apud Gruterum pag. xxxvi. i i. xlv. 8. cclxi. 4. cccxxii. 4. ccclviii. 6. ccccii. 2. ccccix. 8. ccccxxvii. 1. atque alibi passim ut suggerit Scaliger in capite nono Indicis Gruteriani; nimirum utpote qui singuli licet inter se diversi, attamen omnes in castris & navalibus aedificiis sartis tectisque servandis occupabantur: unde pag. ccccxl. 6. & cccclxxxii. 9. *Centonarii* junguntur Naviculariis. Itaque *Centonarii* ii erant, qui arcibus, navibus & militibus *Centones* ipsos offerendos curabant, quorum collegia praefectos habebant. hi enim alicui rei agendae adhibebantur: quumque omnes opifices artificesque, *fabrorum* nomine continentur, ideo qui illis praeerat, *Fabrorum* praefectus dicebatur. Hinc fabrorum multiplex collegium, societas & coetus. Imperator Constantinus Magnus in libro decimo quarto Codicis Theodosiani Tit. viii. qui est de *Centonariis* & *Dendrophoris* in lege i. jubet, ut in quibuscunque opidis *Dendrophori* fuerint, *Centonariorum* atque *Fabrorum* corporibus adnectantur, quoniam haec corpora frequentia hominum multiplicari expediet: in quibus verbis explicandis mirum in modum se torquet nec sibi constat Codicis Theodosiani illustrator insignis Jacobus Gothofredus; unde eruditissimus vocum exoticarum interpres Carolus Cangius in Glossario ad scriptores mediae & infimae latinitatis

tatis ita scribit : *quod vero de Centonariis affert Jacobus Gothofredus vix putem a quoquam probatumiri.* neque ipse interim quicquam adducit , quod rem acu tangat ; ait enim se nescire quid Centonarii commune haberent cum fabris tignariis & ferrariis , *nisi ut essent , qui in castris tabernacula conficerent una cum tignariis & ferrariis fabris , quorum etiam opera in iis exstruendis necessaria erat .*

IV. Sane Dendrophori Graece , *arboriferi* latine trabes remque lignariam ad aedificia construenda curabant . proptereaque licet coetum ex se constituerent , attamen unum corpus sive collegium faciebant cum memoratis Fabris , Tignariis , Dolabrariis , Scalariis & Centonariis . Horum artificum corpora Herculem praecipue coluerunt . nam apud Gruterum pag . xlv . 8 . HERCVLI COMITI . CVSTODI . M . CAESIVS . AVGusti . Libertus . SOSTRATVS . PRAEFectus FABRORVM . COLLEGii . DENDROPHORORVM . CENTOnariorum . TIGNARIO RVM aram dicavit : & apud Fabrettum capite nono num . 21 . HERCVLI . CELERI . CORPO RA . DENDROPHORORVM . SIGNVM . ET EPVLVM . DEDicaverunt . Aquilejae vero nostrae APOLLINI . BELENO . AVGusto . IN . HONOREM . PHILTATI . PRAEFecti . ET . PA TRONI . COLLEGIORVM . FABRorum . ET CEN-

CENTONARIORUM.DIOCLES.LIBERTUS.DONVM
DEDIT apud Gruterum pag.xxxvi. num. 11. Ego
vero suspicor omnium horum artificum corpora
in unum coacta, non sacra sed politica fuisse, nisi
id secus declararetur, quemadmodum fuisse decla-
rantur illi gentilicij Dendrophori , qui in Africa
superstitioni adhuc vacabant anno vulgari ccccxv.
unde Honorius & Theodosius Augusti eos elimi-
nari praecipiunt in libro decimo sexto Codicis
Theodosiani tit.x. lege xx. de Paganis & sacrifi-
ciis . Hos Dendrophoros *in honorem alicujus Dei,*
veluti Bacchi aut Silvani arbores stirpitus exci-
sas per urbem bumeris tulisse scribit ibidem Go-
thofredus , ideoque cum his perperam commisceri
Dendrophoros , de quibus in Tit. *de Centonariis*
& Dendrophoris . Scaliger filius epist.ccv. li-
bri tertii putat dictos a Silvano Dendrophoro
intexto in vexillis illorum corporatorum . & Sal-
masius ad Spartianum in Caracalla capite nono
Dendrophoros nullo modo artis , sed religionis
nomen fuisse opinatur: unde Sponius in Miscella-
neis sectione ii. articulo xi. pag. 57. haec scribit:
banc ergo controversiam inter eruditos viros de
Dendrophoris dirimere non audeo . Vossius quoque
in libro primo capite vicesimo de Theologia gen-
tili in eadem sententia versatur . Cangius vero in
Glossario ait: *neque promptius est definire qui pro-*
prie dicantur; & Fabrettus capite nono num. 21.

inter

inter utramque opinionem anceps moratur. At Johannes Baptista Fontejus in Commentario de Prisca Caesiorum gente libro secundo capite septimo putat Dendrophororum corpus sive sodalitatem signa ad exercitus & expeditiones , publicave alia opera procurasse & comparasse , eoque esse , qui apud Godescalchum Stewechium ad Vegetii librum tertium caput vicecum primum *concaedes* appellantur . Julius vero Jacobonius in Appendice ad Fontejum pag. 272. explicationem adducit Vincen-
tii Carrarii Ravennatis , qui *Dendrophorus* scribit fuisse quidem *concaedes* , non vectores arborum cae-
farum , sed collegium hominum , qui praecipuam haberent curam ut arbores , ligna aliave hujus generis ad castra struenda & naves per populum ejusdem collegii veherentur : fuisse instar publicanorum decumas colligentium quum *Dendrophori* per Quatuorvirum ad id muneric delectum quinque duntaxat exigerent , unde illorum quinquennialitatis collegium honestissimum ; non quod cum lustro quinquennali aliquid commune haberent ; sed quod Quatuorviri Dendrophororum exigerent quinque illa , quae postea populo , hoc est opera-
riis & lignorum vectoribus ejusdem collegii divi-
debantur , ut patet ex lapide CLXXV. 8. Hinc ii *Den-
drophori* aderant fere ubique , nam & in quodam lapide habetur mentio de *Dendrophoris militiae Bergomatis* , & in alio Tolentinati de eorum *Qua-*
tuor-

tuor viro quinquennalitatis. Vegetius ergo primum rei effectum non vocis etymon sequutus *concaedes* Dendrophorus vocavit, quos magis proprie vectores arborum dixisset, qui tamen commiscendi non sunt cum Tignariis. Hos porro sive ipsimet humeris ferrent sive ferendas curarent arbores, ipsas rudes e silvis caesas procurasse existimat Jacobonius pag. 273. Quoniam vero iisdem quoque caedendarum arborum negocium erat, hinc forte Vegetio *concaedes* appellare placuit. Hinc patet Dendrophoris ipsis curam duntaxat fuisse caedendi asportandique rudem e silvis materiem. quod firmatur inscriptione LXIV. num. 7. qua Dendrophoro Silvano silvarum atque arborum Deo aram dicant, ipsum Silvanum *Dendrophorum* appellant. Tignariorum vero officium erat tigna conficere, id est arbores ipsis rudes in trabium tignorumque & tabularum formam in primis redigere, & contabulationes ipsis construere. nam tigni nomine comprehenditur omne genus materiei, ex qua aedificia constant. Dendrophori ergo rem civilem, non vero sacram respexerunt quotiescumque hoc non exprimitur. etenim in lapide Gruteriano pag. LXIV. num. 7. expresse quidem nominantur *Dendrophori*, sed tamen M. D. M. hoc est *Magnae Deum Matris*, in cuius antrum, nempe Cybelis, pinum quotannis serebant. De hoc in Kalendario veteri apud Lambecium in Bibliotheca Caesarea tomo quarto pag. 279.

xi. Kalendas Aprilis, *arbor intrat*, videlicet pinus in antrum Magnae Matris Deum, cui erat dicata. qua de re Julius Firmicus de errore profana rum religionum capite vicesimo octavo, *in sacris Phrygiis*, inquit, *quae Matris Deum dicunt, per annos singulos arbor pinea caeditur, & in media arbore simulacrum juvenis subligatur*, nempe Atthidis. Apud nos Italos horum Dendrophororum ludicra imago adhuc supereft, dum Kalendis Majis arbor in signum laetitiae erigitur, quam vulgo dicunt *il Majo, e il Maggio.* arbor enim Alpina hoc nomine appellatur; eamque certatim ascendere conantur pueri, placentas, farcimina, pullos aliaque inde tanquam bravium avulsuri. Hujusmodi ludum a latinis *Majuma* dictum scribunt viri illi Academicci, qui Vocabularium Italicum compilaverunt. Id sane minus recte, ut patebit legenti Andreae Rivini dissertationem de Majumis. Eandem arborem amantes ante fores amicarum in pagis statuunt, fertis, vittis pendentibus aliisque rebus ornatam: quod notavit etiam Octavius Ferrarius in Originibus linguae Italicae verbo *Mazo*. Hinc proverbium Italicum *appicare il Majo ad ogni uscio*, nempe omnium mulierum amore inflammari. At jam tandem ad Centones poeticos redeundum est, quorum jam pene obliiti fueramus.

V. Ausonius in praefatione ad Centonem suum nuptialem, ubi ejusmodi poematis sarcinandi prae-

praecepta describit, utique falsus est, dum credit ex solis Virgilianis versibus Centones fieri consueisse; si tamen de latinis tantum loquutus non fuit. Homerocentones supra laudati in Bibliotheca Patrum Morelliana tomo decimo quarto pag. 95. inscribuntur *Eudociae Augustae sive Pelagii Patri-
cii*. Et sane Athenais filia Leontii Sophistae Atheniensis, quae post sacrum baptisma Theodosio juniori nupta, Eudociae nomen accepit, doctrinorum gloria insignitur apud Graecos scriptores; quare illam Aegidius Menagius locum habere voluit in sua Historia mulierum philosopharum. Ejusdem pater non *Leontius*, sed *Heraclitus* appellatur in Chronico Paschali pag. 311. splendidissimae editionis Caroli Cangii. At forte binominis fuerit, nam Socrates, Nicephorus Callistus, & Zonaras in locis infra laudandis uno ore *Leontium* appellant: quibus concinunt Theophanes in Chronographia pag. 72. Constantinus Manasses in Brevario historico pag. 53. Georgius Cedrenus in Compendio historiarum tomo primo pag. 343. & popularis noster Paullus Diaconus in Historia Miscella libro decimo quarto pag. 408. editionis Henrici Canisii. Item Simeon Logotheta in Chronico MS. aliquique apud Cangium in notis ad Chronicon Paschale pag. 573. Sed & ipsa Λεοντία, hoc est *Leontii filia* dicitur in disticho adscripto in fine Metaphraseos Ostateuchi apud Photium mox in-

dicandum . Eadem a poetica facultate laudatur apud Socratem in Historia ecclesiastica libro septimo capite vicesimo primo , apud Evagrium libro primo capite vicesimo , & Nicephorum Callistum libro decimo quarto capite vicesimo tertio . Immo Photius criticorum princeps in Bibliotheca codice CLXXXIII. ait , a se lectam ejus *Metaphrasin Octateuchi heroico carmine conditam libris octo* . & codice CLXXXIV. eodem carminis genere atque idiomate recenset *Metaphrasin propheticorum librorum beati Zachariae , & inclyti Danielis* ; itemque libros tres in laudem beati Cypriani Martyris simili versuum forma conscriptos : de quorum singulis pro more suo censor incomparabilis gravissime judicat , nulla interim injecta mentione Homerocentonis , qui jamdudum , illis deperditis , supereft: ex quo Ludovicus Dupinus in sua nova Bibliotheca ecclesiastica parte secunda tomii tertii pag . 211. editionis in 4.° anni 1691. facile sibi persuadet , Homerocentones , qui hodie circumferuntur , non ad Eudociam Augustam , sed ad Pelagium quendam spectare . neque alia de caufa eidem Eudociae assignatos fuisse , nisi quia Homerocentones laudaverat epigrammate , quod illis praemittebatur in codice Bibliothecae Palatinae , quem mox memorabimus . Sed Johannes Tzetzes in Variis historiis chiliade decima capite cccvi. non solum Eudociae Reginae , Leontii filiae tribuit *Metaphrasin Zacha-*

chariae & Danielis, sed etiam Οὐαρόκεντες Homerocentones. Johannes Zonaras in Annalium libro decimo tertio, capite vicesimo tertio Eudociae eruditionem commendat quod ipsa absolverit & digesserit Homerocentones, quos *Patricius* quidam imperfectos & indigestos reliquerat, ut iisdem praefixa inscriptio versibus heroicis declarabat. Georgius Cedrenus in Compendio historiarum tomo primo pag. 354. scribit quendam Pelagium virum Patricium, qui historiam metro digestit ab Augusto Caesare orfam, Homerocentes etiam composuisse, aliaque plurima laude digna, eundemque a Zenone Imperatore anno xvii. sublatum, nempe anno vulgari ccccxc. Sed Eudocia diem obiit anno cccclx. die vicesima Octobris, ut ex Cyrillo monacho in Vita sancti Euthymii abbatis colligit Pagius in Critica Baroniana ibidem num. vii. eidemque praestantissimae Augustae Patricius Homerocentonum concinnator praemortuus jam fuerat, ut testatur Zonaras. Quare a Pelagio viro dignitate Patricio, qui ipse metuere Marte suo Homerocentes composuit, aliis est vir nomine Patricius, a quo coeptum opus ait Zonaras, quod deinde Eudocia perfecit. Aubertus Miraeus in Auctario Bibliothecae ecclesiasticae capite cccvii. novum modum excogitavit omnes has difficultates eludendi, ubi laudatos Centones tribuit Eudociae Augustae non Theodosii junioris conjugi, sed Con-

Constantini XII. cognomento Ducae , qui ad plures
migravit anno MLXVII. Sed isthaec Eudocia , non
Leontii Sophistae , sed Constantini Dalasseni exsti-
tit filia , ut observat Cangius in Familiis Byzant-
inis num. xxvi. pag. 161. Alteri Eudoxiae Zoes
Augustae sorori , quae filiae fuerunt Constantini
Imperatoris , Basilii Bulgaroctoni fratribus , perpe-
ram tribuuntur in codice Colbertino apud Can-
gium in notis ad Zonaram pag. 47. Haec autem
vixit exeunte saeculo decimo ex eodem Cangio
in Familiis Byzantinis pag. 144. Eudocia nostra
carminum admiratrix plurimi fecit poetam exi-
mium Cyrum Panopolitam , quem Theodosius
junior praefectum Praetorio , Urbis praetorem ,
consularem & Patricium creavit , ut tradit Suidas.
Ejusdem Cyri poetae meminit Evagrius in libro
primo capite undevicesimo historiae ecclesiasticae ,
necnon ex Prisco historico auctor Chronicis Pascha-
lis sub Olympiade CCCVII. pag. 318. unde Thomas
Reinesius libro tertio Variarum lectionum capite
decimo quarto pag. 561. jure fugillat Barthium , qui
in Adversariis libro duodequinquagesimo capite de-
cimo sexto putavit neminem Cyri poetae memi-
nisse praeter Evagrium , ex quo uno ejusdem Cyri
memoriam se renovasse opinatus est . Aliquot ejus
epigrammata extant in Anthologia libro tertio
pag. 334. libro quarto pag. 493. 500. & 506. edi-
tionis Wechelianae anni MDC.

VI. Apud Fridericum Sylburgium in Catalogo codicum MSS. Bibliothecae Palatinae Heidelbergensis cod. cccxxvi. pag. 100. *Patricius presbyter* Homerocentonum fit auctor, adnotaturque praeponi epigramma Eudociae Augustae in eosdem Homerocentones. Eidem praeterea adscribuntur pag. 121. cod. CCCLXXXIII. *Patricii Homerocentra seu Christias ex Iliade & Odyssaea*. At forte Patricius ille πρεσβύτερος, senior (minime vero *presbyter*) alius non est a Patricio illo seniore, cuius Centones Eudocia Imperatrix digessisse traditur, adeoque illi qui hodie existant Homerocentones, eidem Patricio tribuendi, tanquam primo concinnatori, Eudociae vero, utpote illi, quae eosdem Homerocentones nondum completos absolvit atque perfecit. Quare Pelagii viri Patricii a Zenone imperfecti Homerocentones, qui juxta atque ejusdem historiae jam dudum interciderunt, confundendi non sunt cum Homerocentonibus a Patricio illo seniore sub Theodosio juniore inchoatis & ab Eudocia ejusdem Theodosii uxore perfectis: quos tamen confundere visus est eruditus philologus & veterum auctorum excusor diligenterissimus Johannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Graeca libro secundo capite septimo num. iv. ubi propterea vulgatos Homerocentones Pelagio potius, quam Eudociae tribuendos esse putavit, ratus scilicet Patricium Zonarae & Pelagium Patricium Cedre-

Cedreni unum eundemque hominem fuisse . Tertullianus ergo & Hieronymus de aliis Homero-centonibus loquuti fuerunt . Eos , quos memoravimus , a se latinitate donatos omnium primus sub nomine Probac vulgavit Petrus Candidus monachus Camaldulensis sub auspiciis abbatis sui Petri Delphini Venetiis apud Aldum seniorem anno MDIV . in 4.^o qui item Graecolatini recusi fuerunt Franco-furti apud Petrum Brubachium anno MDXLI . in 8.^o una cum Probae Centonibus , & Nonni paraphrasi Evangelii Johannei . Hanc editionem iteravit Henricus Stephanus anno MDLXXVIII . in 12.^o Demum Parisiis anno MDCIX . Claudius Chapeletus illos inse-ruit Graecis Poetis Christianis : in neutra tamen ex his editionibus Homerocentonum auctor exprimitur . At sub nomine *Eudociae Augustae sive Pelagii Patricii* prostant Graecolatini in tomo octavo pag . 95 . Bibliothecae patrum Margarini Bignei editionis Parisiensis sub signo navis anni MDCXXIV . & in tomo decimo quarto pag . 95 . editionis item Parisiensis apud Aegidium Morellum anni MDCXLIV . ut interim latinas editiones numerare praeteream .

C A P U T . V I

S Y N O P S I S

- I. *Hortae Episcopus sanctus Cassianus Alexandrinus sub Joviano Imperatore . II. Inde transit ad ecclesiam Aeduensem . Errores variorum castigati , & sancti Cassiani chronologia restituta . III. Ejus Acta nunquam typis ante vulgata .*



E Horta Gentilium sacris initiata supra in libro primo disserimus : quare nunc ad feliciora tempora veniendum est , quando antiquae superstitionis caligine dissipata , Hortanis civibus lucis evangelicae splendor affulsit . Utque remotiora

principia aliis examinanda relinquamus quod sint densissimis tenebris involuta , & nos primae illius christianitatis certa argumenta deficiant , continuo appropinquabimus ad medium quarti saeculi , quo ecclesiae Hortanae praefuit sanctus Cassianus , domo Alexandrinus , qui ex Aegypto in Italiam profectus Hortae Episcopus renunciatus est sub Joviano Imperatore , ut ex ejus actis tradunt Vincentius Bellovacensis in Speculo historiali libro vicesimo capite duodecimo , Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum libro septimo capite vicesimo septimo ,

mo , sanctus Antoninus in Chronicis parte altera tit.xii. capite decimo septimo §.iv. & Raphael Volaterranus in Commentariis Urbanis libro decimo tertio pag. 162. editionis Frobenianae ; necnon ex monumentis Ecclesiae Hortanae Ferdinandus Ughellus in tomo primo Italiae sacrae col.798. Id debuit accidisse anno vulgari ccclxiii. nam occiso Juliano Imperatore in bello Persico vi. Kalendas Julias , pro eo statim levatus est Jovianus v. Kalendas Julias , inquit Idacius in Fastis . Is deinde xiv. Kalendas Martias anni proxime sequentis mortalitatem explevit , ut statuit insignis Chronologus Antonius Pagius ad annum ccclxiv. num.ii.

II. Sed propterea quod laudati auctores tradunt Cassianum ex urbe Hortensi in Burgundiam peregrinatum , ibique Augustoduni , quae urbs Aedua etiam vocatur , in locum sancti Simplicii episcopi suffectum , non putat Ughellus eum Hortae sedisse anno ccclxiii. quia Simplicius decessit , ut ipse opinatur , anno cccxl ix. illique subrogatus Cassianus eam Ecclesiam rexit viginti annos : qua propter existimat ad Hortanam sedem Cassianum evectum fuisse ante annum ccclxiii. idque evenire potuisse anno cccxl. At neque verum est Simplicium diem extremum obiisse anno cccxl ix. neque Cassianum sub alio Imperatore , quam Joviano Hortensem Episcopum ordinatum fuisse , quod ejus Acta a nobis inferius proferenda testantur : ubi
quum

quum Cassianus dicatur triennio mansisse Augustoduni cum sancto Simplicio, hic obiisse non potuit ante annum CCCLXVI. neque credibile est, Cassianum in Aeduos prefectum eodem anno, quo Hortae episcopalibus insulis fuit insignitus. Non enim morabor Antonium Godeau, qui in Historia ecclesiastica Gallice scripta tomo primo num. LXXIX. pag. 929. loquens de sancto Simplicio ponit illum sub anno CCCXCIX. in quo certe memoria lapsus est doctissimus Scriptor, praecipue quum ibidem featuretur, illum floruisse sub Constantio. Gravius autem errasse puto Godefridum Hermannum, qui in notis ad Vitam sancti Athanasii libro quinto capite octavo num. IV. scribit Simplicium vixisse quinto saeculo. Putant quidem Ludovicus & Scaevola fratres Sammarthani in Gallia Christiana tomo primo pag. 28. necnon recens auctor Officii ecclesiae Augustodunensis, Cassianum successisse non Simplicio, sed Reticio, post quem, intermedio Egemonio, venit deinde Simplicius. Verum id scribunt contra veteres tabulas & fidem antiqui Breviarii Ecclesiae Aeduensis, sequuti nempe narrationem Gregorii Turonensis, qui in libro de Gloria Confessorum capite septuagesimo quinto ponit primo Reticium, qui floruit anno CCCXIV. post hunc Cassianum, deinde Egemonium, & demum Simplicium. At vero Petrus de sancto Juliano in Originibus Burgundicis Gallice scriptis pag. 208.

recitans catalogum episcoporum Aeduensium ex Antonio Demochare , post sanctum Simplicium ponit Cassianum , deinde Desiderium , Igonum , Pigmenium , & Simplicium II. Potuit ergo Cassianus transire ad Aeduensem Ecclesiam post annum CCCLXIII. cui , mortuo Simplicio , quum praefuissest annos viginti , ut constat ex tabulis ejusdem Ecclesiae , migraverit e vita anno CCCXC. ut disertissimis verbis affirmat Auctor anonymous infra edendus , qui ejus miracula descriptis anno DCCCXL. ait enim . *Ex eo tempore , quo glorio-
sam animam coelis restituit (quod creditur Theodo-
sii senioris fuisse temporibus) usque ad tempus
Ludovici Imperatoris Augusti annos CCCI.* efflu-
xisse : unde errat Augustinus Lubinus , qui in notis ad Martyrologium tabula III. pag.40. ait Cassia-
num vita excessisse anno circiter CCCLXX. quippe
si id verum foret , neque Cassianus triennio man-
sisset Aeduæ , neque triginta annis sedisset ; namque
eodem anno CCCLXX. Episcopus inauguratus fuit .
Illud puto inde etiam firmari , quod in tabulis Aed-
uensibus , a Simplicio (quem certo floruisse constat
anno CCCXLVI. quo interfuit Concilio Agrippinensi)
ad annum CCCCLXI. quo in eodem episcopatu vixit
Euphronius , duo tantum episcopi interjecti , Euan-
tius & Leontius , & nulli erae affixi notantur ,
quorum tamen anni ex nostro calculo firmari quod-
ammodo poterunt . Huic nostrae emendationi vi-
detur

detur praelusisse vir scriptis editis clarissimus Theodericus Ruinartus Monachus Benedictinus ex inclyta Congregatione sancti Mauri , quae modo in Galliis pietate & literis maximo Reipublicae Christianae emolumento floret . Is enim in notis ad Gregorium Turonensem , cuius opera ad codices MSS. emendata & aucta necnon egregiis observationibus illustrata nuper vulgavit , perspecta narratione Gregorii & Actorum Cassiani , ait col. 956. *emendandum videri sanctum Gregorium , qui Cassianum Egemonio & Simplicio praeposuit .* quanvis etiam is non repugnet , Cassiani vitam reformati posse ex Gregorio : cui tamen rei in hac parte ego utique refragarer , nam ejusdem Vitae narratio , quae profecto ex vetustis monumentis eruta fuerit , valde confunderetur ; nec illa , quae de Joviano ibi traduntur cum sancto Cassiano cohaerere possent . Neque mirum videri debet , Gregorium Turonensem antiquissimum & fidelissimum alioqui Francorum Historicum deceptum fuisse , praeponendo Cassianum Simplicio . siquidem res Aeduenses illum haud valde calluisse inde patet , quod capite septuagesimo quarto libri superius laudati in re certissima dubitans ostendat haud sibi perspectum aut saltem certum esse , an Simplicius fuerit Episcopus Augustodunensis . sic enim loquitur : *Simplicius ipsius , ut ajunt , urbis Episcopus .*

Vitam

III. Vitam sancti Cassiani nunquam antehac editam ego infra evulgabo . Quum enim legissem in notis ad caput septuagesimum sextum Gregorii Turonensis de Gloria Confessorum , eam ab eximio Ruinarto laudari ex vetustis MSS. codicibus , soluta & stricta oratione descriptam , rogavi Bernardum de Montfaucon ejusdem ordinis Monachum insignem , tunc in Urbe eruditae peregrinationis cauila morantem , ut ejus Vitae mihi copiam fieri curaret . Dictum factum . Is enim , qui , ut doctrina praecellit , ita etiam officiis & humanitate omnes devincit , quod ego in me saepè , numero expertus sum , haud multo post tempore mihi utranque Vitam exhibuit , & quod minime videtur praetereundum , manu ipsiusmet Ruinarti exaratam . Hanc vero eo libentius accepi , quod memoratam videram a Vincentio Bellovacensi , mihi alibi in testem adducto , & a Johanne Molano in notis ad Martyrologium Usuardi die v. Augosti : & quod sciebam , visam nequaquam fuisse doctissimo Cardinali Baronio , qui in notis ad Martyrologium Romanum ait , eam sibi esse incognitam , quemadmodum & Monachi Benedictini de se id ipsum fatentur ad oram Vincentii Bellovacensis in eleganti editione illius operum , quae eorundem cura facta est Duaci anno MDCXXIV . Quum insuper Acta sancti Cassiani citata vidissem ab Heriberto Rosweydo in Fastis Sanctorum pag . 23 . statim nostrorum exemplar Antuerpiam misi ad ami-


amicissimum Conradum Janningum Societatis Jesu
Theologum, qui vasto Bollandi de Gestis Sanctorum
operi continuando eruditam manum pridem
admovit. isque respondit, se eadem prorsus Acta
in scriniis habere ex codicibus monasterii Accincti,
Vallis Lucentis, sancti Maximini Trevirensis &
Cisterciensis alicujus descripta: seque alia reperisse
interpolata & amplificata multis verbis; sed nihil
magis rei continentia, quam priora; atque insuper
minus authentica. Praeterea addidit, se habere mira-
cula sancti Cassiani saeculo nono patrata ex co-
dice vetusto Claudii Jolii Canonici Parisiensis, ubi
etiam Vita sancti Cassiani legebatur ejusdem fer-
me tenoris ac illa, quam mecum communicaverat
Ruinartus. Hanc Miraculorum historiam per Jan-
ningum ad me transmissam unacum iisdem Actis in-
fra dabo, praecipue quod laudatam viderim a Mola-
no in notis ad Usuardum, & a Davide Blondello in
tomo altero Genealogiae Francicae assertae pag. 28.
ex Passionario Ecclesiae sancti Quintini: quod illud
ipsum puto, ex quo Bollandistae hanc Historiam ex-
scripserant. siquidem Papebrochius exemplari suo
hanc notam adposuerat, ut mihi significavit Jannin-
gus: *Hic codex per antiquus decimo vel nono saecu-
lo scriptus, fuit ipsius monasterii sancti Quintini.*
Hujus item Historiae exemplar ad me misit Mont-
fauconius, sed mutilum. caret enim Prologo & un-
decim capitibus, a quarto ad decimum quintum.

CAPUT

C A P U T . V I I

SYNOPSIS

Series Episcoporum Hortensium purgata, aucta & variis hinc inde observationibus illustrata.



- I. AM vero quandoquidem series Episcoporum Hortensium in tomo primo Italiae sacrae Ferdinandi Ughelli plerunque confusa & hiulca innumeris mendis scatet, antequam Acta sancti CASSIANI in lucem profero, qui illorum primus occ
- II. currit post JOHANNEM MONTANUM, qui circa annum cccxxx. sedisse traditur, eorundem chronologiam, quo fieri potest, integriorem delineabo, rebus insuper Hortanis, quae sub unoquoque acciderunt, diligenter pro modulo hinc inde adnotatis.
- III. Cassiano ex caussa nobis ignota in Gallias profecto, ejus locum implevit LEO, qui eam dignitatem tres & viginti annos sustinuit ex veteri lapide apud Ughellum col. 794. quam errore typographi numerus 778. falso signavit. Lapis ille repertus apud sanctum Johannem Baptistam in Fonte, in ecclesia sancti Petri adservatur hoc epitaphio inscriptus

HIC

H I C . R E Q V I E S
 C I T . I N . P A C E . L E
 O . E P C . Q V I . S E D
 I T . A N N O S . X X I I I
 M E N S E D I E

Post Leonem occurrit MARTINIANUS , quem iv.
 perperam Ughellus *Martianum* appellat . Is in-
 terfuit in Concilio IV. Romano sub Symmacho
 anno vulgari quingentesimo altero in Conciliis
 Labbei tomo quarto col . 1338 . ubi alia lectio ad
 marginem rejecta non *Ortensis* , sed *Ortonensis*
 praefert . Sed quum Stephanus Baluzius , qui in
 nova collectione Conciliorum col . 1464 . varias
 subscriptionum ejusdem Concilii lectiones ex anti-
 quis codicibus Colbertiniis diligentissime adnota-
 vit , nihil de eodem Martiniano monitum relique-
 rit , certe non omissurus , si forte vir harum rerum
 scientissimus eandem varietatem alicubi reperisset ,
 omnino putamus ipsum fuisse non *Ortonensem* , sed
Ortensem Episcopum . Ortonensem episcopatum in
 Aprutio citeriori in ora Frentanorum inter Ater-
 num & Sarum amnes pridem extinctum instaura-
 vit Beatus Pius V. summus Pontifex anno MDLXXV.
 apud Ughellum tomo sexto col . 966 . Viator Hor-
 tonensis Episcopus anno DCXLIX. interfuit Conci-
 lio I. Lateranensi sub Martino I. apud Labbeum

tomo sexto col. 78. Vigilio deinde ad Romanam Cathedram evecto , Belisarius Patricius quum ex spoliis Vandalorum beato Petro Apostolo donaria obtulisset , aedificavit etiam apud *Hortas monasterium sancti Juvenalis* , ubi *possessiones & dona multa largitus est* , inquit Anastasius in Vigilio , qui unus auctor ejusdem monasterii memoriam nobis servavit . Juvenalis saeculo quarto post Christum natum fuerat Episcopus Narniae ad octavum ab urbe Ortana lapidem , cuius gesta recitant Ha giologi Bollandiani die tertia Maji . Ughellus post Martinianum ponit *Hubaldum* quendam *Prosenium* , aitque interfuisse Concilio Lateranensi , anno DXCIII. celebrato & pro Gregorio Magno legati officio functum fuisse apud Hortanos suos , ut Ravennati Exarcho potiusquam Langobardis parerent . Verum neque Concilium ullum Lateranense coactum legimus anno DXCIII. neque in Actis ecclesiasticis quicquam occurrit de hoc *Hubaldo Prosenio* , ideoque de illo nihil certi affirmare possumus . Illud tantum suppetit ex Paullo Diacono in libro quarto capite octavo de Gestis Longobardorum , hoc tempore Romanum Patricium & Exarchum tertium Ravennatem , in locum Smaragdi a Mauricio Imperatore suffectum , occupasse Hortanam urbem , Sutrium , Tudertum , Ameriam , Perusiam , aliasque a triginta Ducibus Langobardis pri dem ablatas in interregno Clephi eorum Regis anno

anno DLXXIX. ut statuit Carolus Sigonius in libro primo de Regno Italiae. Scribit vero idem Paullus Agilulphum Regem statim ac nuncium illud accepit, Ticino Perusiam cum exercitu properasse, & Mauricionem Ducem Langobardorum obfessum & captum vita privasse. Idem Sigonius haec facta consignat sub anno DXCIII. at vero biennio serius Annalium parens: putatque Sigonius, Agilulphum ideo poenas sumpsisse de Mauricione quod Perusiam Ravennati Exarcho tradidisset. Daniel Papebrochius in t omo secundo Maji pag. 154. num. 4. quum vidisset hoc tempore Hortam in dominatu Langobardorum, putavit usque illuc protensos fuisse terminos Ducatus sive Comitatus Perusini per Langobardos instituti, licet eadem Horta trans Tiberim staret, non quidem *solis 24. m. p. Roma distans*, ut ipse opinatur, sed *quadraginta*, ut ait Anastasius infra adducendus. Verum falsum esse Papebrochium quae modo a nobis dicta sunt manifesto ostendunt.

Sequitur apud Ughellum BLANDUS, quem suplicatur eundem fuisse a Hubaldum. Eum longo tempore captivum Ravennae detinuit Romanus Exarchus, ideoque quum Hortensis *Ecclesia sine rectore*, & *populus quasi sine pastore grex deflueret*, & ibidem *infantes pro peccatis absque baptisme morerentur*, ad eundem Exarchum pro Blandi restitutione scripsit Gregorius Magnus epistolam xxxii. libri primi. Novissime vero Monachi

sancti Mauri in notis ad epistolam xli. alias xxxix.
libri quarti ejusdem Pontificis, quae est scripta *ad Clerum & Plebem Hortonae* super obitu ejus-
dem urbis Antistitis, cuius nomen ibi non expri-
mitur, hunc fuisse putant Blandum, quia in lau-
data epistola xxxii. nunc xxxiii. libri primi in tribus
Vaticanis codicibus legitur, ut quidem ajunt, *Horto-*
nensis pro Hortensis. Sed utique legendum est
Hortanensis, itaut illa epistola xli. libri quarti re-
respiciat *Hortonenses*, seu rectius *Ortonenses* in
Samnio, altera vero *Hortanenses* in Tuscia subur-
bicaria. Hortam enim urbem *Hortanum* Plinius
appellat, unde *Hortanenses*. Et sane Exarchus
Ravennas suam potestatem non exercuisset in Epi-
scopum Ortonensem, qui non in ditione Exarchi
Ravennatis, sed Langobardorum exstabat, quo-
rum regnum a tempore sancti Gregorii Papae adeo
late in Italia patuit, *ut universa, exceptis Roma*
atque Ravenna cum locis ad eam spectantibus, ab
Alpinis montibus Rbegium usque Calabriae, illis
pareret, inquit Baronius anno dxci. num.xli. Tem-
pore sancti Gregorii Magni Samnites, ubi stetit
Hortona sive Ortona, Langobardis paruisse te-
statur etiam auctor vitae sancti Cethei mox addu-
cendus. Haec similitudo nominum inter *Horta-*
nenses & Hortonenses immanes errores in rem
geographicam invexit, quibus viri etiam doctissi-
mi decepti sunt. nam Papebrochius die decima ter-
tia

tia Junii Bollandiani , quum in capite secundo vitae sancti Cethei , alias Peregrini , Episcopi Amiternensis in Aprutio sive in Samnio , nominatum vidisset *Verilianum Comitem Hortonensis civitatis* , putavit designari Hortam sive Hortanam ciuitatem ad Tiberim , ideoque correxit MS. Bodecense , in quo non *Hortanensis* , sed *Hortonensis civitatis* legebatur , ut fatetur ibidem in notis pag. 692. Sed quum idem Verilianus rogaretur , ut *media nocte adveniens Amiternensium urbem invaderet* , eamque penitus dissiparet , vel hinc patet , sermonem haberi de *Hortona* sive *Ortona* Aprutii , ubi fuit Amiternum , non vero de *Horta* Tusciae , que inde longissime distat .

Blandum exceptit Adamus anno DCCLXI. apud Episcoporum Italiae nomenclatorem , qui eum septimum Hortensem Episcopum signat . Sed inter utrumque statuendi sunt JULIANUS , & Mauricius , quorum primus interfuit Concilio I. Lateranensi anno DCXLIX. tomo sexto Conciliorum col. 78. ubi male *Hortanus* pro *Hortanus* appellatur : quod etiam animadvertisit Lucas Holstenius in notis ad Carolum a sancto Paullo pag. 6. Et sane in actione seu Secretario v. ejusdem Concilii col. 362. vocatur *Julianus Episcopus sanctae Hortanensis Ecclesiae* .

In Concilio Romano sub Zacharia , cuius Acta edidit Baronius anno DCCXLIII. num. XL. interfuit MAURICIUS Hortanus Episcopus , quem item praeter-

termisit Ughellus. Horta hoc tempore erat Ducatu Romano adnexa , a quo una cum Ameria , Polimartio & Blera illam abstulit Luitprandus Rex Langobardorum quod Gregorius III. Pontifex & Stephanus Patricius & Dux Romanus ei captivum reddere noluissent Trasimumdum Spoleti Ducem , qui in Urbem confugerat , ut ait Anastasius in Zacharia . Trasimundus vero cum foederato Romanorum exercitu Ducatum suum recuperavit , sed Gregorio , Stephano , Romanisque foedifragus id de Horta & reliquis urbibus praestare noluit . Hujusce rei monumentum insigne nobis servavit Cardinalis Deusdedictus in sua Collectione Canonum Victori III. dicata , quae exstat MS. in Bibliotheca Vaticana Cod. 3833. In ea enim legitur epistola , qua Gregorius III. anno vulgari DCCXC. rogat Episcopos Tusciae Langobardorum , cuius caput erat Perusia , ut nunciis Pontificiis juncti a Rege Luitprando & Hilprando filio ejus restitutionem quatuor civitatum , quae anno praeterito ablatae fuerant beato Petro , deprecentur . Eam epistolam integrum recitabimus in calce operis . Interim mortuo Gregorio , per Zachariae ejus successoris legatos exortatus Luitprandus quatuor civitates se redditurum spopondit , exercitusque Romanus se illi contra Ducem Trasimundum conjunxit . Sed restitutio ne dilata , Zacharias cum sacerdotibus & clero de Rege , qui Interamnae morabatur , adeundo cogitavit .

tavit . quumque Hortam pervenisset , Luitprandus ad eum misit Grimoaldum , a quo honorifice Narriam perductus est , ubi optimates & exercitum Luitprandi sibi obviam venientes habuit , & post mutua officia praedictas quatuor civitates ante bienium ablatas Rex *eidem sancto cum eorum habitatoribus redonarvit viro : quas et per donationem firmavit in Oratorio Salvatoris* , teste Anastasio .

ADAMUS interfuit Concilio Romano , quo Paulus I. summus Pontifex anno DCCLXI. constitutio-
nem fecit de Ecclesia & monasterio a se erecto in
paternis aedibus sub titulo sanctorum Stephani Pa-
pae & martyris , necnon Silvestri Pontificis &
confessoris : in cuius quidem Concilii actis a Baro-
nio vulgatis subscribit . *Adam humilis Episcopus*
sanctae Ecclesiae Hortanae anno eodem num. xv.
Langobardis a Carolo Magno pridem devictis ,
ejus filius Ludovicus Pius Imperator anno DCCCXVII.
Hortanam urbem cum Ducatu Romano concessit
Apostolicae sedi , ut patet ex ejus Donatione apud
Carolum Cointium in Annalibus ecclesiasticis
Francorum anno eodem num.x. seu potius confir-
mavit privilegia a suis praecessoribus sedi Apostoli-
cae concessa . quippe Ducatus Romanus absque ulla
concessione Pippini & Caroli Magni uno populo-
rum consensu , ut testis est idemmet Ludovicus , sum-
mis Pontificibus paruit , qui illum per Ducem re-
gere consueverunt . Hoc tempore vivebat STEPHANUS

viii.

NUS Hortanus sive Ortensis Episcopus . nam apud Baronium anno DCCCXXVI . num . II . in Concilio Romano sub Eugenio II . ipse subscribit , & in tomo octavo Conciliorum col . 103 . ubi Labbeus ejusdem Concilii acta iterum vulgavit , quae emendatiora dederat Holstenius in Collectionis Romanae parte altera pag . 7 . Ponitur deinde ab Ughello in nono loco *Magestius* sub Leone IV . in Concilio Romano anno DCCCXLVII . ubi tamen multipliciter errat . non enim *Magestius* , sed *Megistus* , non *Ortensis* , sed *Ostiensis* fuit , interfuitque Concilio Romano anno DCCCLIII . apud Labbeum tomo octavo col . 123 . Hoc tempore idem Leo IV . *Hortanae* & *Americanae* valde antiquarum civitatum , quarum muri & portae prae nimia vetustate temporum usque ad solum ceciderant , & funditus destitutae manebant , muris novis portisque , prioribus minime dissimilibus corroborari curavit (ut ait Anastasius) hoc pacto civium securitati consulens . Interim Benedicto III . in locum Leonis IV . suffecto anno DCCCLV . quum Nicolaus Anagninus antistes , & Mercurius magister militum legati Lothario & Ludovico Augustis nuncium de electione Pontificis ferrent , ab Arsenio Eugubino Episcopo circumventi , una statuerunt in Pontificem creare Anastasium Bibliothecarium presbyterum Cardinalem tituli sancti Marcelli , qui sub Leone IV . in Synodo depositus & anathemate vincitus fuerat : a quo alius omnino fuit

fuit celeberrimi nominis scriptor Anastasius item Bibliothecarius, ut postea dicam. Romam ergo ex legatione regressi, dum interim post aliquot dies Missi Imperiales Adalbertus & Bernardus Comites *Hortam*, quae quadragesimo milliario a Roma distat, properaverunt, inquit Anastasius, qui universam rem narrat in Benedicto III. in eandem urbem Hortanam & ipsi profecti, quasi obviam eentes Imperialibus Missis, una cum Arsenio Eugubino aliisque ibidem contra Benedictum conspirantes, in Pontificem elegerunt excommunicatum Anastasium.

Sequitur deinde ARSENIUS vir & bona & mala fama notissimus, qui a Nicolao I. legatus & apocrisiarius in Gallias missus ob pacem & concordiam inter Carolum Calvum, Ludovicum II. Imperatorem & fratrem ejus Lotharium, Caroli nepotes, stabiliendam, & Rothadum Sueffionensem Episcopum sedi suae restituendum, ut patet ex Nicolai epistola xxv. ad Carolum, & xxvi. ad Episcopos Galliae apud Labbeum tomo octavo col. 399. & 401. Lothario restituit Theutpergam Reginam, quam repudiaverat, & Waldradam ejus concubinam ad reddendam rationem in Italiam duci praecepit, ut ait Anastasius in Nicolao I. Excommunicavit quoque Ingeltrudem Bosonis Comitis uxorem fugitivam, ut constat ex ejusdem Arsenii epistola ad universos Episcopos apud Labbeum col. 439. Huic nepos erat idem Anastasius Bibliothecarius sancti

Marcelli presbyter Cardinalis , qui hoc testatur in epistola de morte Nicolai I. col.567. ubi Arsenium vocat *avunculum suum* . Eadem epistola , quae in editis inscribitur Adoni Viennensi , est encyclica , ut animadvertisit V. C. Johannes Mabillonius in *Analectis* tomo primo pag.96. Annalista Bertinianus anno DCCCLXVIII. apud Duchesnium tomo tertio pag.230. vocat filium Arsenii Eleutherium illum , qui filiam Hadriani II. jam alteri desponsatam dolo rapuit sibique conjunxit & postea consilio memoriati Anastasii , quem ejusdem Eleutherii *fratrem* vocat Annalista , una cum Stephania olim Pontificis uxore interfecit , eodem postea Eleutherio a Misfis Imperialibus occiso . Verum Arsenius non pater , sed avunculus fuit Anastasii , qui id testatur in laudata epistola de morte Nicolai I. in qua Adonem rogat , ut Arsenium avunculum suum tunc legatum in Galliis , qui multas a Nicolao molestias pertulerat , ob idque a studio ecclesiasticae correctionis seu disciplinae paullulum refixerat , ad pristinum pro Pontifice & ecclesia zelum inflectat . Verum ex Adonis monitis non profecit , nam , ut habet Bertinianus Annalista , *Arsenius ad Ludovicum Imperatorem pergens in Beneventum , infirmitate corripitur , et thesaurum suum in manibus Ingelbergae Imperatricis comittens et* , ut dicebatur , cum daemonibus confabulans , sine communione abiit in locum suum . Nec fere melior fuit Anastasii fortuna

tuna ab Adriano II. excommunicati quod auctor creditus esset caedis , quam Eleutherius Stephaniae ejusque filiae intulerat . Eundem Arsenium Nicolaus Pontifex paullo ante Beneventum miserat ad Ludovicum II. Imperatorem petentem , ut arma & alia , quae Rex Bulgarorum sancto Petro miserat , sibi traderentur , ut legitur in iisdem Annalibus pag. 227. ubi pag. 223. apparet Arsenium *multam thesauri summam habuisse* , quae ei pridem ablata fuerat . Anastasium Bibliothecarium & Cardinalem sancti Marcelli aliquis male confudit cum Anastasio item Bibliothecario scriptis variis celeberrimo . Hic enim fuit natione Graecus idemque abbas sanctae Mariae trans Tiberim , & post exauktoratum priorem illum Anastasium , Bibliothecarius sanctae Romanae ecclesiae factus ab Adriano II. ut nuperrime observavit Mabillonius in libro xxxiv. Annalium num. lxxxii. Quo honore exceptus fuerit Arsenius in Galliis , testatus est Aduentius Metensis Episcopus in epistola ad Nicolaum in magnis Annalibus anno DCCCLXV. num. lxv. ubi Arsenium , *tanquam Angelum Dei* exceptum fuisse scribit , quod alteri Legato Rodoaldo non ante contigerat . De hac legatione meminit auctor Annalium Fuldensium anno DCCCLXV. apud Duchesnium tomo secundo pag. 560. Regino autem in Chronico anno DCCCLXVI. pag. 413. editionis Argentoratensis anni MDCIX. ait , illum in Galliis *tanta auctoritate & potestate usum*

N n ij

fuisse

fuisse ac si idem summus Praesul advenisset. Idem Arsenius Ortanus Episcopus interfuit Concilio Romano sub Nicolao I. cuius Acta propediem vulgariter vir clarissimus meique amantissimus Benedictus Bacchinius in Appendice ad Agnellum suum Ravennatem, ubi Concilium illud dicitur habitum anno iv. Nicolai, & xi. Ludovici Imperatoris. Sed utique mendum cubat in nota numerica, nam annus iv. Nicolai erat vi. non vero xi. Ludovici Imperatoris. Quare levi correctione legendum est anno ix. Nicolai, & Ludovici xi. qui erat Christi DCCCLXXI. Ad eundem Arsenium spectat quod tradit Johannes Diaconus in Vita sancti Gregorii Magni libro quarto capite quinquagesimo, ubi ait consuetudinem veterem suo tempore obtinuisse ab usque Gregorii aevo deductam, ut Judaei quantuncunque pulcherrima mercimonia detulissent, nunquam Pontificalibus alloquiis fruerentur, nunquam obtutibus Apostolicis potirentur, sed extra velum longissimae porticus, non quidem in scandulis, sed in marmoreo pavimento sedentes, susceppta pretia numerabant: ne videlicet viderentur aliquid de manu Pontificis accepisse. Quamobrem, ut Johannes subjungit, Nicolaus I. Arsenium quondam Hortanae civitatis Episcopum, Judaicas tunc primum pelicias introducere molientem adeo aver-satus est, ut ei palatinam processionem vellet admirere, nisi superstitione gentis vestes abjurando,

cum sacerdotalibus infulis consuetudinaliter procedere studuisse. Hanc palatinam processionem puto fuisse Pontificis comitatum; quando e suo palatio ad Ecclesiam procedebat sacra celebraturus.

Apud Ughellum sequitur ZACHARIAS ex Martyrologio Stroziano MS. xi.

PETRUS Ortensis episcopus Johannis X. Pont. XII.
 Max. legatus Concilium Altheimense in Rhaetia
 indixit anno DCCCCXVI. Conradi I. Germaniae Regis anno v. Indictione iv. duodecimo Kal. Octobres,
 quod in Annalibus Johannis Aventini expiscatus
 fuit Pagius anno eodem num. III. ubi ejusdem Concilii canones recenset ex Burchardo & Juone. Errat
 vero doctissimus scriptor putans eum fuisse episcopum
 Ortonae ad oram Adriatici maris, quum ab
 ipso laudatus Nicolaus Serarius in Moguntiacis
 pag. 675. ex actis MSS. *Ortensem* episcopum vocet,
 quumque Ortonae episcopatus tunc esset extinctus.
 Carolus Sigonius in libro sexto de Regno Italiae
 anno DCCCCXXV. narrat, Albertum Marchionem in
 offensionem Pontificis lapsum urbe excessisse, cum
 que *Ortae Tusciae* opido munitum, Hungaros ad
 Romanam editionem invadendam excivisse, qui in
 Tusciā irrumperentes, omnia quae auferre poterant,
 secum in Hungariam exportaverunt: quare mox Al-
 bertus Ortae est a Romanis oppressus. Eadem narrat
Platina in Johanne X. quem ipse perperam XI. vo-
 cat. Hic vero, quem Luitprandus in libro secundo
 capi-

capite decimo tertio & postea Sigonius *Albertum Marchionem* appellant, idem est ac *Albericus senior Comes Tusculani*; quem, *Albericum in Etruriae partibus Marchionem* vocat Flavius Blondus in Decadis secundae libro altero pag. 179. editionis Frobenianae, ubi scribit, Johannem X. Pont. Max. ejusdem Alberici subsidiis ad Lirin seu Garilianum flumen Saracenos delevisse. quod tradit etiam Leo Ostiensis in Chronicis Casinensis libro primo capite quinquagesimo secundo. Sed quum a proceribus Romanis inter se dissidentibus Albericus urbe pulsus fuisset, ut auctor est Blondus, ipse invidis ingratisque vicem redditurus, ad urbis oppressionem Hungaros invitavit, Tusciam salvam pactus: quam tamen ipsi, spretis foederibus, Romani agri fines nequaquam tangentes, misere vastaverunt. Romanus autem populus Alberti Spoletani Ducis auxilio Hortam obsidens, de capto Alberico poenas sumpsit, teste eodem Blondo, qui ex antiquioribus Chronicis illud didicerat. Poeta anonymous, qui carmine panegyrico per Hadrianum Valesium vulgariter Berengarium I. laudavit, hunc Albericum memorare videtur in libro secundo ubi ait

nec segnis abibat


*Albericus, Tiberine, tuas nunc sanguine lymphas
Qui fraude infecit.*

etenim Albericus senior ob fraudem patratam in advocationis Hungaris ad excidium Romanorum,
fan-

sanguine suo Tiberim cruentavit Hortae interemptus, *nunc*, sive tunc temporis quum poeta scribebat, nimirum post Berengarium: quod non fuit assequutus doctissimus Valesius. Idem Albericus a Francisco Maria Florentinio in Memoriis Comitissae Mathildis libro tertio pag. 34. perperam confunditur cum Adalberto Marchione Tusciae, cognomento Divite, ideo forte, quia & ipse Albericus, *Albertus Marchio* dictus, quod nomen cum *Comite* erat promiscuum, in Tuscia nempe Hortae habitavit. Baronius vero Adalberti filium facit anno DCCCCXV. num. II. Sed Adalbertus diem obiit sub Johanne X. Pont. Max. & Berengario I. Rege Italiae, teste Luitprando in libro secundo capite decimo quinto: quod anno DCCCCXVII. contigisse affirmat Sigonius in libro sexto de Regno Italiae. Albericus vero caelus fuit post Berengarium I. quod etiam animadvertisit Cosmus de Arena in Serie veterum Ducum & Marchionum Tusciae pag. 131. ubi notat Adalberti uxorem fuisse Bertam, ex qua progenuit Lambertum Tusciae item Marchionem, Ermengardam Adalberto Marchioni Eporediensi in matrimonium traditam, & Widonem Tusciae quoque Marchionem, cui postea famosa mulier Marozia, vidua ejusdem Alberici I. Tusculani Comitis, nupsit. Hanc Maroziam & ejus sororem Theodoram generat senior Theodora, nobilis quidem, sed impudicissima femina, quae *Ran*
manae

manae civitatis principatum tenebat, ut tradit Abbericus monachus trium Fontium in Chronico anno DCCCCXI. pag. 250. ubi ex eadem Marozia & Sergio Pseudopapa natum ait Johannem XI. quod affirmat etiam Luitprandus in libro secundo capite decimo tertio. Albericus I. & Marozia progenuerunt Sergium Nepesinum Episcopum, Constanti-
num virum illustrem, & Albericum II. qui *Romanae urbis principatum usurparit*, teste eodem Luit-
prando. quemque Florentinius pag. 37. filium Wi-
donis ex Marozia concubina perperam facit, quem
nimis incaute auscultavit Pagius anno DCCCCXXXVI.
num. vi. Idem Albericus II. qui filium suum adhuc
puerum Benedictum IX. magno ecclesiae scandalo
in Pontificatum intrusit (quod monstrum luget Ba-
ronius anno MXXXIII. num. III.) in diplomate ubi fra-
tres suos Sergium, Constantinum, & Bertam foro-
rem uterinam nominat apud Ughellum tomo pri-
mo col. 1099. se appellat *Principem atque omnium Romanorum Senatorem*. In hujus rei testimonium
ex museo nostro hic dabimus nummum argenteum
tunc eidem percussum rudi artificio, prout illa tem-
pora exigebant. In antica parte exstat effigies Aga-
piti II. Pontificis, qui anno DCCCCXLVI. Marini II.
locum implevit: quique Alberico Hugonem Re-
gem Italiae, cui vidua Marozia nupserat, con-
ciliavit, ut testatur Frodoardus in Chronico. In
altera parte est monogramma Alberici.

Hoc



Hoc tempore ANONYMUS Hortae episcopus cum XIII.
 aliis Ottoni Imperatori & filio ejus promissionem
 quandam fecit de eligendo summo Pontifice , quam
 jure improbat Baronius anno DCCCCLXIII. num.XII.
 Anno vero MV. vivebat Ughello ignotus LAMBERTUS , ut patet ex Notitia publica coram ipso & Guinzone Comite Hortano ibidem conscripta in causa Hugonis Abbatis Farfensis , quam integrum dabimus in fine . Comitatus autem Hortani etiam alibi fit mentio , nempe in diplomate Imperatoris Conradi II. anni MXXVII. Guidoni Abatti coenobii Farfensis & in alio Henrici III. anni ML. Berardo item Abatti Farfensi : quae ex Regesto celeberrimi coenobii nobiscum communicavit vir clarissimus & humanissimus Johannes Baptista de Miro Abbas ex Congregatione Casinensi . Petrus Maria Campus in Historia Placentina tomo primo pag. 513. recitat chartam anni MLIII. Otberti & Opizonis Marchionum , quos ipse appellat *Marchiones Hortae in Tuscia* . Sed hoc in charta ipsa non legitur , illique videntur fuisse ex partibus Placentinis .

O o

Anno

- xv. Anno mxvii. JOHANNES Hortanus episcopus subscripsit duplici diplomati Benedicti VIII. alteri pro ecclesia sancti Salvatoris Bisuldunensis , & alteri pro institutione ejusdem episcopatus , apud Petrum de Marca in appendice ad Marcam Hispamicam num. CLXXVI. & CLXXVIII. Idem Johannes Hortanus episcopus anno mxxvii. subscripsit quoque diplomati non adhuc edito , quo Johannes XX. alias XVIII. Ursoni Patriarchae Gradensi omnia privilegia antecessorum confirmavit adversus Poponem Patriarcham nostrum Aquilejensem .
- xvi. Anno mxxxvii. LANDUINUS Hortensis episcopus Perusiae interfuit & subscripsit Constitutioni, quam Andreas ejusdem urbis episcopus fecerat in Synodo Romana coram Benedicto IX. anno antecedenti : quamque ex archivo Perusino Monasterii sancti Petri extractam edidit Ughellus in appendice ad tomum nonum col.920.
- xvii. Anno mxlix. vivebat GREGORIUS ab Ughello praetermissus . Is in Concilio, eo anno Romae celebrato contra Simoniacos, subscripsit diplomati Leonis IX. monasterio sanctae Gratae paroeciae Bergomatis concessso , in tomo quarto Italiae sacrae col.638. In eadem Synodo , cuius fit mentio ab Hermanno Contracto , Sutrinus episcopus Simoniae convictus misere interiit , ut testatur Wibertus Leonis Archidiaconus in ejus vita tomo secundo Aprilis Bollandiani pag.659. Eum episcopum *Kilinum* appell-

appellat Ughellus tomo primo col.* 190. Sed ei jure
adversatur Petrus Franciscus Chiffletius in Pro-
bationibus Historiae Trenorciensis pag. 360. ubi
ostendit *Kilinum* die tertia Octobris anni ML. inter-
fuisse consecrationi altaris sancti Stephani Bisonti-
ni. Vivebat hoc tempore, nempe anno **MXLVIII.**
Berardus Hortanus, Abbas coenobii Farfensis, ut
patet ex catalogo, quem vulgavit V. C. Johannes
Mabillonius in Musei Italici tomo primo parte al-
tera pag. 68. Idem Berardus memoratur in tabulis
donationis monasterio Farfensi per Gyrardum Co-
mitem factis anno **MLXVIII.** in civitate Hortana,
quas ex Regesto Farfensi dabimus in Appendice.
Eidem Berardo Leo IX. monasterii Farfensis jura &
bona confirmavit anno **MLV.** inter quae *terram de*
Hortelle, *in civitate Hortana ecclesiam sancti*
Theodori in integrum, ut appareat ex diplomate
per Cornelium Margarinum vulgato in tomo alte-
ro Bullarii Casinensis num. xcvi. Idem Leo IX.
anno **MXLIX.** Berardo coenobii sui bona etiam con-
firmaverat ibidem num. xciii. Henricus III. Impe-
rator confirmavit bona Abbatiae Farfensis eidem
Berardo anno **ML.** diplomate, quod dabimus in fine.

Post Gregorium venit RODULPHUS, ab Hono- XVIII.
rio II. Diaconus Cardinalis creatus anno **MCXXIV.**
ut legitur in Ciaconio Oldoiniano tomo primo
col. 966. Subscriptis diplomati Innocentii II. mo-
nasterio Brixiensi sanctorum Faustini & Jovitae
O o ij anno

anno MCXXXIII. Brixiae concessso , quod exstat apud Margarinum tomo secundo pag. 145. Item alteri pro monasterio Arretino sanctorum Florae & Lucillae dato Pisis anno MCXXXV. ibidem pag. 149. Triennio vero post Innocentius II. Michaeli Abbati monasterii Saxivivi paroeciae Fulginatis inter cetera confirmavit in episcopatu Hortano ecclesiam sancti Jacobi : quod produnt ejusdem Pontificis literae apud Ludovicum Jacobillum in Chronico monasterii Saxivivi pag. 303. Anno MCLVIII. Petrus filius Roberti de Castro Muggiani in agro Hortano una cum Bellanda matre & Sophia uxore donavit Attoni Abbati Saxivivi ecclesiam sancti Jacobi de Ponte Hortae ceterasque ecclesias eidem subiectas, domos, praedia aliaque, ut fecerat ejus avus Guidottus: quam donationem eodem anno confirmavit PAULLUS I. Hortanus episcopus , quemadmodum ex tabulario monasterii Saxivivi prodit Jacobillus pag. 51. Paullum interfuisse Concilio Lateranensi III. anno MCLXXIX, tradit Ughellus . quod facile contingere potuit , licet de hoc nihil certi habeamus , quum pleraque nomina eorum , qui interfuerunt , pridem perierint. nam Jacobus Sirmundus , ecclesiasticae antiquitatis reparatur diligentissimus, eos tantum exspiscatus est, qui ex Gallia adfuerunt , ut legitur in Collectione Labbeana tomo decimo col. 1530. Willhelmus Tyrius in libro vicesimo primo capite secundo de Bello sacro scribit , *se nomina , numerum & titulos episcopo-*

scoporum consecisse, qui fuere trecenti. Idem Paulus consecravit ecclesiam sancti Nicolai de Funariis ad radicem Capitolii in vico Speculorum, ut prodit marmorea tabula apud Floravantem Martinellum in Roma Sacra pag. 262. quae sic incipit

ANNO. DOMINICAE. INCARNATIONIS
MCLXXX. ANNO. XXII. PONT. D. ALEX
III. PAPAE. INDICTI^ENCE. XIII. PA. DEI
GRATIA. HORTENSIS. EPISCOPVS
CONSECRAVIT. ALTARE. SANCTI
NICOLAI. DE. FVNARIIS. IN. FESTO
IPSIVS. &c.

Anno quoque MCXCVI. qui erat vi. Coelestini III.
indictione XIV. die XXVI. Maji una cum multis aliis
episcopis interfuit consecrationi ecclesiae sancti Lau-
rentii in Lucina, ut constat ex inscriptione ad par-
tem dexteram primi ejusdem ecclesiae aditus. Falli-
tur autem Ughellus, qui eam consecrationem fa-
ctam scribit anno MCXCIX.

PAULLUS Paullo successit circa annum MCC. ab In-
nocentio III. electus, quem esset ejus familiaris &
Capellanus ut prodit ejusdem Pontificis vita MS. in
Bibliotheca Vaticana. Hic Pontifex anno MCCXII.
literas scripsit ad Rectorem, sive ut tunc vocabant,
ad Potestatem Ortanensem, de Castris Bassanelli,
Palatioli, Bassani, & Aliani, quae nobiles de Orta
in

in feudum ab Apostolica Sede retinebant . Literae existant cum ceteris Innocentii III. a Baluzio vulgaris tomo altero pag.603.

Anonymus , quem ab Honorio III. electum anno mcccxxii. ex regesto Vaticano tradit Ughellus , est G U I D O , qui apud Jacobillum in Chronico Saxivivi pag.51. custodi ecclesiae sancti Jacobi terminos paroeciae adsignavit : quos idem Honorius anno mcccxvi. confirmaverat ibidem pag.308.

xxii. TRASIMUNDUS anno mcccxxxix. dissidium habuit cum monasterio Saxivivi propter annum censum sibi debitum a custode monasterii sancti Jacobi de Orta spectantis ad Saxumvivum . Sed Stephanus Cardinalis sanctae Mariae trans Tiberim litem diremit sententia lata pro monasterio , quibusdam conditionibus episcopo Ortano servatis . Eam sententiam confirmavit Innocentius IV. die xxvii. Februarii anno mcccxliii. apud Jacobillum pag.80. litteris ad Abbatem Saxivivi , quas ex Archivo Vaticano proferemus in Appendice .

xxiii. JOHANNES anno mcccxlviii. interfuit consecratio ni ecclesiae sanctae Mariae de Tuscanella , ut ibidem prodit inscriptio .

xxiv. PETRUS de Popleto ex ordine Minorum Capellanus Octaviani Ubaldini Diaconi Cardinalis sanctae Mariae in Via lata, electus a Clero Hortano, confirmatus fuit ab Alexandro IV. anno i. sui pontificatus

tus x. Kal. Majas anno MCCLIV. non vero biennio citius, ut tradit Ughellus: quumque Hortanum Capitulum per Raynerium nuncium eam electionem Pontifici significasset, hic electum consecrari jussit per episcopum Praenestinum. Ea super re idem Alexander IV. literas dedit clero, civitati & dioecesi Hortanae II. Id. Apriles & x. Kal. Majas, quarum primas vulgavit Ughellus, secundas vero, quae aliqui ab iisdem differunt, dabimus in Appendice. Lucas Waddingus in Annalibus Minorum tomo altero anno MCCLIX. num. XVI. tradit eundem episcopum in urbem Hortanam hoc ipso anno transtulisse alumnos ordinis sui, illis concessa ecclesia sancti Angeli ex voluntate & consensu Alexandri IV. prius enim morabantur ad primum ab Horta lapidem juxta ecclesiam sancti Laurentii, ubi jacet corpus beati Theobaldi, unde bellorum vicissitudine ejeciti ad urbem proprius accesserunt, potiti ecclesia sancti Theodori in vico sancti Jacobi, ex Bonaventura Theulo in Apparatu Minorico Provinciae Romanae libro altero pag. 68. Eadem translatio ad ecclesiam sancti Angeli contigit anno MCCLVIII. ut patet ex diplomate Petri Hortani episcopi dato apud *Ortas* XIII. Kal. Septembbris, *Alexandri quarti anno V.* ex eodem Theulo. In hoc coenobio paullo post diem obiit beatus Theobaldus Assisiensis die XXIX. Januarii, qua die haec de illo habet Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano: *apud Hor-*

tensem urbem in Etruria beati Theobaldi de Assisio confessoris, Seraphici Patris sancti Francisci discipuli, virtutum laude ac singulari sanctitate illustris. Ejus gesta prosequuntur Marcus Ulyssiponensis in Chronico Minorum parte altera libro primo capite quadragesimo septimo, & Lucas Waddingus anno MCCX. num. XL. Petrus Hortanus episcopus diem obiit anno MCCLXXXIV. quo tempore Martinus IV. literas dedit *Potestati, Consilio & Communi Ortano* pro rebus ad annonam spectantibus, a nobis proferendas in Appendice.

xxv. CONRADUM Archidiaconum Viterbiensem, defuncto Petro, ab Hortano Capitulo electum confirmavit Martinus IV. anno MCCLXXXIV. nempe quarto sui pontificatus, decimo quarto Kal. Januarias ex epistola LXVI. regesti Vaticani, quum Prior sancti Andreae in paroecia Urbevetana postulatus, adsentiri noluisset, atque etiam Henricus Canonicus Tuderinus.

xxvi. BARTOLUS, quem Ughellus *Bartholomaeum* appellat, electus fuit a Bonifacio VIII. anno MCCXCVI. quippe in literis ad calcem vulgandis, v. *Kal. Febr. anno secundo* ait, se *nuper Ortanae ecclesiae tunc vacanti* eum in episcopum praefecisse. Iisdem literis castrum Kie Ortanae dioecesis ad Romanam ecclesiam pertinens sub annuo censu unius floreni auri ei de gratia concessit speciali quandiu eum ecclesiae Ortanae praeesse contigerit.

Bartoli successorem Bonifacius VIII. designavit
 LAURENTIUM de Vellitro ordinis Minorum, ex Wad-
 dingo anno MCCXCVIII. num. iv. qui etiam in Rege-
 sto num. XXXVII. recitat ejusdem Pontificis epistolam
 hac super re datam *Reate v. nonas Octobris anno iv.*
 qui postea iv. Kal. Decembres ei castrum Kie sub
 censu annuo concessit, ut patet ex literis infra vul-
 gandis. Bonaventura Theulus in Theatro historico
 Vellitrensi libro secundo pag. 193. ait mensae epi-
 scopali ab illo additas ecclesias sanctae Mariae ca-
 stri Kie, sancti Nicolai, & sancti Juvenalis, diemque
 extremum obiisse anno MCCCXIV. Idem templum
 sancti Juvenalis a Belisario aedificatum, se puero
 collapsum fuisse testatur Julius Roscius in Elogiis
 militaribus pag. 206. In ecclesia cathedrali legitur
 hoc monumentum ob implicatissimas notas ab
 Ughello mendose recitatum.

A N I S . M I L L I S . C C C I S . T R I T E I O . T E R
 INDICTI O N E . P M A . A V G V S T I . D I E . X X . P R I M A
 T P R E . I O H I S . X X . P A P E . S E C V N D I
 H O C . O P V S . H E D I F I C A T V . N O E . X P I . D I L E C T O
 E S T . S B . R E V E R E N D O . P A T R E . L A V R E N T I O . O L
 F R A T R E . E P O . C I C O R V M . N O M I N A . H E C . S V N T . E O R V M
 P B I . E G I D I I . P B I . N I C O L A I . P B I . P E T R I . R A N V C I
 A N D R E E . P B I . I O H I S . N I C O L A I . P B I . S C I . P B I . A B
 R A H A M I . V A N N I C E L L I . M E N I C I . V S N A R V G I I
 E T . E G O . P E T R V S . D N I . N I C O L E . P R I O R
 E C L E . O R T A N E . S C V L P S I . H V N C . L A P I D E M

Jacobus de Horta provinciae Romanae alumnus & doctor Parisiensis , in Priorem generalem ordinis sancti Augustini electus fuit anno MCCCVIII.ex Aloysio Torello in Saeculis Augustinianis to.v. pag.279.

xxviii. NICOLAUM *de Zabareschis* Ortanum , a Capitulo adlectum anno MCCCXXXIV. die septima Aprilis , confirmavit Benedictus XII. anno sequenti nono Kal. Majas ex Regesto Vaticano epist. ccciii. Hoc episcopo sedente electus fuit in Potestatem urbis Hortanae Bartholomaeus de Deodaschis Reatinus: cuius electionis instrumentum dabimus in Appendice.Nicolaus Raynutii de Horta anno MCCCLVII. erat Potestas Fulginii , ut testatur Jacobillus in dissertatione Italica de Fulginio pag.69. *Potestas* autem hoc tempore in Italia vocabatur supremus civitatum liberarum magistratus , qui ab ipsis electus , summo jure civibus in rebus bellicis ac politicis imperabat .

xxix. JOHANNES *episcopus Kissanensis* in regno Cretensi *huc translatus est* anno MCCCLXII. die xvi. Augusti .

xxx. PETRUS *Ortanus* objit anno MCCCLXVI.

xxxi. JOHANNES *Fulginas* e familia sancti Dominici electus fuit anno MCCCLXVI. objitque anno MCCCXCIII. Johanni Nardo Ortano familiari suo multa bona Belli Cajetani donavit Urbanus VI.anno MCCCLXXIX. idemque anno MCCC LXXXI V. pigneravit ad duos annos civitatem Ortanam Malatestae de Malatestis pro decem mille florenis , ut ex literis in Appendice proferendis . Ejusdem Johannis episcopatu coenobium

nobium Ortanum Minorum , saeviente bello inter Pontificis subditos & ecclesiae rebelles , conversum est in arcem , ut tradit Waddingus anno MCCCCLXXII. num. xxxix. Vivebat hoc tempore Petrus de Horta Commendatarius generalis ordinis sancti Spiritus Romae , cui Aegidius item de Horta in eodem munere praecesserat , ut notat Caspar Alverus in opere inscripto *Roma in ogni stato* , to. ii. pag. 262.

Accuratissimus Waddingus anno MCCCCXCVI. num. ii. scribit , hoc anno , secundo idus Novembres a Bonifacio IX. Johanni successorem datum fuisse PAULLUM de Albertis Florentinum ex instituto sancti Francisci , qui Ortanam ecclesiam rexit usque ad annum MCCCCXX. quo transiit ad episcopatum Adjacentem in Corsica sub archiepiscopatu Pisano . Hinc postea translatus fuit ad ecclesiam Anconitanam & deinde ad Asculanam ex eodem Waddingo in additionibus tomi quincti , quae prostant ad calcem tomi septimi pag. 489. Idem Bonifacius non unas literas dedit Verrochio sive Berrochio domicello Ortano , castrorum Utriculi , & Baucae Vicario pontificio. Ejusdem Verrochii filius Vicarellus , domicellus castrì sancti Felicis paroeciae Terracinensis appellatur in aliis literis ejusdem Bonifacii IX. infra adducendis : qui idem Summus Pontifex civitati Ortanae Johannellum & Andream de Thomacellis gentiles suos , tanquam Romanae ecclesiae Vicarios , praeposuit , ut ex prolixa ejus epistola patet .

- xxxiii. SANCTES successit anno eodem die xvii. Junii , unde postea ad ciuitatem Castellanam transiit .
- xxxiv. VALENTINUS *Interamnenſis* eam dignitatem obtinuit eodem anno die xiv. Aprilis : quumque episcopatui Ortano & Castellanensi esset curta ſupellex, ut dignitati utriusque conſuleret Eugenius IV. defuncto Sancte , utranque conjuxit ecclesiam III. Nonas Octobres anno MCCCCXXXVII. In hujus rei diplomate, quod recitabimus ex Ughello, cavetur, ut episcopus in urbe & paroecia Ortana commorans, *Ortanae ciuitatis et Castellanae* ; in Civitate vero Castellana *Civitatis Castellanae et Ortanae* episcopus appelletur . Quare episcopatus Ortanus ex quatuor episcopatibus modo conflatus est, nempe Falarenſi, Gallefino, Ortano & Castellanensi. Roscius in Elogiis miliaribus pag. 164. putat ab Eugenio Castellanensem ecclesiam Hortanae adjunctam in singularis beneficii accepti memoriam, quod Hortani contra Nicolai Piccinini & Brachii Fortebrachii exercitus in fide permansiffent erga Apostolicam Sedem : unde tunc primum claves pontificias in proprium insigne , auctore Pontifice, eos erexisse conjicit, addito lemmate MVNVS. FIDELITATIS. S. R. E. Idem Valentinus interfuit Concilio Florentino anno MCCCCXXXIX. ubi se *Ortanum* duntaxat appellavit apud Labbeum to. XIII. col. 5 19. 877. 890. Anno vero MCCCCXLII. Asculum in Piceno translatus , quadriennio post obiit apud Ughellum col. 5 30. Petrus Johannis de Urfo

Urso Ortanus, olim episcopus Cornetanus, dein Nepsinus, anno MCCCCXXXVIII. translatus fuit Massam, ex Ughello to. i. col. 1063. & to. iii. col. 80.

LUCAS Bononiensis obiit anno MCCCCXLIII.

xxxv.

ANTONIUS Stella Castellanensis biennio vixit.

xxxvi.

NICOLAUS Palmerius Siculus, eremita sancti Augustini, huc translatus per Calistum III. die secunda Julii anno MCCCCLV. ex episcopatu Catacensi in Calabria, Romae decessit anno MCCCCLXVII. sepultus ante facellum sanctae Monicae cum hoc epitaphio.

xxxvii.

D. S.

NICOLAO. PALMERIO. SICVLIO. EPISCOPO. HORTANO DIVI. AVGVSTINI. RELIG. ADDICTO. ORATORI PHILOSOPHO. THEOLOGO^QVE. ILLVSTRI SACROSANCTAE. FIDEI. CATHOLICAE. DEFENSORI HAERETICORVM^QVE. EXPUGNATORI ACERRIMO. QVI. ANN. XX. ET. VIII. SVMMA. CVM. LAVDE IN. AGRO. DOMINICO. LABORAVIT MVLTA^QVE. SVAE. DOCTRINA E MONVMENTA. RELIQVIT. ANDREAS. PRATE ... LIBERALITER . . . FECIT. VIXIT. ANNIS. LXV MENS. XI. DIES. XXIX

Ughellus exhibit ejus numisma aereum ubi legitur NICOLAVS. PALMERIVS. SICVLVS. EPISCOPVS. HORTANVS: ex quo & ex subscriptiōnibus Valentini in Concilio Florentino patet, utriusque ecclesiae episcopos post coniunctionem per Eugenium

genium factam , extra paroecias suas , non a civitate Castellana , sed ab Ortana duntaxat se appellavisse : quod amplius etiam probatur inscriptione Henrici Bruni infra adducenda & literis Angeli episcopi xl. Buda ad summum Pontificem scriptis. Ejusdem Palmerii varia scripta non adhuc edita exstant in Bibliotheca Vaticana num. 5815. nempe orationes viii. quarum prima est *in funere Nicolai V.* Secunda *in funere Dominici Cardinalis Firmani.* Tertia *de sacerdotio habita coram Pontifice.* Quarta *de immaculata oblatione.* Quinta *de sacrificiis veteris & novi testamenti.* Sexta *de pacis dignitate.* Septima *in funere Prosperi Cardinalis Columnae.* Item exstat *Quaestio quonam sensu intelligendum sit, Christum de spiritu ex Maria virginе conceptum fuisse, & quod homo factus sit.* Item *brevis quaestio de conceptu Christi.* Item *Quaestio an sanguini Christi in cruce effuso, reassumendo in resurrectione, adjuncta fuerit divinitas imperfecta.* Item *sermo de incarnatione verbi Dei & aliis de Paralytico.* Waddingus in tomo sexto Annalium anno MCCCCCLXIII. num. cxxiii. ex Francisco Gonzaga in Origine Seraphicae Religionis Franciscanae pag. 185. ait hoc anno Ortanos domicilium posuisse non longe a Tiberi paucis Fratribus, sancto Bernardino Senensi apud eos sacras conciones habente : quod testatur haec inscriptio ibidem lapidi incisa & male a Gonzaga expressa .

T E M P O R E
 D I V I . I H V . X P I
 A . D . M C C C C
 L X I I I . P . D . P I I
 P P . I I . A N O . V I
 M . M A I I . D I E
 X I I I
 D O M I C V S . S C S
 B E N A D I N O . H
 A C . S C . D O M V M
 S V A . I M P E S A . I S T
 I T V I . M A D A V I T

Waddingus testatur ex hac urbe prodiisse Beatos patres Benignum, Panormi in coenobio sancti Francisci, & Johannem Romae in templo sanctae Mariae in Aracoeli sepultos. Beatum quoque Ungarellum Ortanis aquae penuria laborantibus in festo Apparitionis sancti Michaelis copioso imbre succurrisse.

ANTONIUS ex episcopatu Castrensi ad Ortanum translatus est anno M C C C C L X V I I . decessitque anno M C C C L X X I I I . inquit Ughellus , genus mortis non exprimens . Attamen ex epistola DXXXIV . Jacobi Amanati , vulgo Piccolominei , Cardinalis Papiensis , quae scripta est Senis die xx . Octobris anno M C C C L X X I I I . appetat , eum fuisse mari submersum ;

sum ; quippe idem Jacobus narrans Decano Toleti
reditum Cardinalis Vicecancellarii ex legatione Hi-
spanica , ait in mari Ligustico gravissima tempesta-
te fractam navim , in qua *praeter ceteram turbam*
quinque & septuaginta ex familia periere . In his
episcopi tres , P barensis , Assiensis , & Ortanus .
Jureconsulti amplius duodecim : equestris ordinis
sex . Jactura autem rerum triginta millium aureo-
rum est aestimata .

xxxix. PYRRHUS *Ajossa* Trojanus a Sixto IV. adlectus
anno MCCCCLXXIII. ab Innocentio VIII. translatus
fuit ad ecclesiam Sueffanam anno MCCCCLXXXVI. Ste-
phanus Infessura scriba Populi Romani testatur in
Diariis suis MSS. die iv. Maii anno MCCCCLXXVIII.
se tunc fuisse Potestatem Hortae .

xl. Successit ANGELUS *Pechinolius* Castellanensis ca-
nonicus , qui ad superos migravit anno MCCCCXCII.
Fuit legatus Apostolicus ad Matthiam Regem Hun-
gariae , unde anno MCCCCLXXXIX. die xxv. Junii pro-
lixis literis , in Appendice exhibendis , Innocen-
tio VIII. suae legationis rationem reddidit . Chri-
staura Verrochinia Ortana , castri Sermugnani
Domina & uxor Thomae Comitis Marsciani
anno MCCCCXC. memoratur ab Ughello in Historia
Marsciana pag. 69.

xli. HENRICUS *Brunus* ab epistulis Alexandri VI. san-
cti Eutitii corpus intulit in templum eidem sacrum
sub monte Ciminio, uti hæc marmorea tabula prodit.

RELI-

RELIQVIAS . S. EVTHITII. MARTYRIS
INTER.RVDERA.IN.SCYPHO.LAPIDEO
REPERTAS. IVBENTE. ALEXANDRO
SEXTO. HENRICVS. EPISCOPVS
HORTAE. IN. HAC. MARMOREA
ARCHA. LOCANDAS. CVRAVIT
IDVS. MAII. MCCCCXCVI

Idem Henricus translatus fuit ad archiepiscopatum
Tarentinum anno MCCCCXCVIII. die xiv. Septembris.

GEORGIUS *Maccafanus* de Pereto Marsus anno XLII.
vix completo transiit ad Sarnensem ecclesiam.

Anno MCCCCXCVIX. successit LUDOVICUS , qui obiit XLIII.
anno MDIII.

Julius II. huic episcopatui praefecit JOHANNEM XLIV.
Burchardum Argentoratensem , qui capellae Ale-
xandri VI. fuerat caeremoniarum magister . Scripsit
Diaria simplici , sed libero stilo , quae MSS. cir-
cunferuntur , eorumque deterior pars sub titulo
Historiae arcanae nuper vulgata est in Germania .
Exstat & ejus Ordo missae pro informatione Sacer-
dotum Romae typis Antonii Bladi 1559. in 8.^o
Johannes mortalitatem exuit anno MDVI. sepultus-
que est Romae in templo nationis Teutonicorum.

FRANCISCUS *Francischinius* Ortanus a confessio- XLV.
nibus Julii II. successit die xviii. Maii , anno vero
MDXXV.episcopatu se exsolvit . De eodem agit Theu-
lus in Apparatu Minorico libro ii. capite quarto .

- XLVI. PAULLUS *Cæsius* Cardinalis utranque ecclesiam administravit ab anno MDXXV. ad mortem, quae contigit anno MDXXXVII.
- XLVII. LUCAS *Sabellus* administrationem injit per procuratorem.
- XLVIII. Anno MDXXXVIII. die XII. Augusti creatus est POMPONIUS *Cæsius*, qui post annum translatus est ad episcopatum Nepesinum & Sutrinum, & anno MDXLII. a Paullo III. inter Cardinales cooptatus, quo anno decessit.
- XLIX. SCIPIO *Bongallus* anno MDXXXIV. adlectus interfuit Concilio Tridentino, obijtque circa annum MDLXIV. In ecclesia Cathedrali sanctae Mariae exstat haec inscriptio ejus nomini dicata.

D. O. M
 SCIPIONI. BONGALLO
 RO. EPO. HORTANO. ET
 CIVITAT. CASTELL
 VIRO. RELIGIOSISS
 MORIBVS. ET. SCIENTIIS
 FERE. OMNIBVS. ORNATIS
 AVRELIVS. COPERCHIVS
 BENEFICIATVS. S. PETRI
 DE. VRBE. AFFINITATE
 ET. AMORE. CONIVNCTISS
 MAERENS. P. VIX. ANI. LXIII
 OBIIT. DIE. III. AVG. MDLXIII
 Nico-

NICOLAUS *Peruscus* electus a Pio IV. die VII. Fe-
bruarii anno MDLXVI. decepsit die VIII. ejusdem men-
sis anno MDLXXXII.

ANDREAS *Longus* Parmensis a Gregorio XIII. li.
electus die II. Aprilis anno MDLXXXII. Obiit xv. Kal.
Septembres anno MDCVII. Hujus episcopatu floruit
Bonaventura Furlanus Ortensis ex ordine Mino-
rum Sixto V. charus, qui eum ad Alatrensem epi-
scopatum promovit anno MDLXXXVI. ex Ughello
tomo primo col. 334. In ecclesia cathedrali legitur
de Andrea hujusmodi elogium.

ANDREÆ. LONGO. NOBILI. PAR-
MENSI. EPISCOPO. CIVITATIS
HORTANÆ. ET. CASTELLANÆ
MVLTIS. REGIMINIBVS. DEFVN-
CTO. CIVITAS. HORTANA. PA-
STORI. OPTIME. MERITO. MÆ-
STISSIMA. ÆRE. PVBLICO. POSVIT
OBIIT. AN. MDCVII. XV. KAL
SEPTEMBRIS. ÆTATIS. SVÆ
LXVIII. EPISCOPATVS. VERO

XXV

JOHANNES VINCENTIUS *Cansachius* Amerinus vix lII.
electus a Paullo V. transfertur ad ecclesiam sancti
Marci in Calabria. Floruerunt hoc tempore litera-
rum gloria clarissimi Hortani cives Julius Roscius, &

Q q ij

Anto-

Antonius Decius : quorum eximias laudes quum accurate recenseat Johannes Victorius Roscius , vulgo Janus Nicius Erythraeus , huc lubet ejus verba transferre . Et quidem de Roscio haec habet in Pinacotheca altera num . iii . *Horti urbs nulli earum , quae in Faliscis numerantur , antiquitate ac nobilitate inferior , Phoebi Musarumque deliciae , fere semper praeclara hominum ingenia ad omnia elegantissimarum artium studia & ad poesin in primis apta , produxit ; quae tanquam flores eximii , odore & amoenitate non uni tantum civitati , sed omnibus , apud quos Graecae Romanaeque literae vident , essent voluptati , admirationi , ac laudi . Mitto eos , quos Philosophiae ac Jurisprudentiae laus nobilitavit , ex iis , qui , cum aliarum etiam laudandarum facultatum gloria florerent , poesin etiam sunt amplexi . Ita Horti Julio Roscio , nobili apud suos genere nato , delectantur , ut non alio magis civi & alumno gloriantur , neque magis se . jaectent . Hic admirabili quodam naturae ipsius habitu ac prope divino praeditus , cum eximiam hanc illustremque naturam ad omnium rerum magnarum atque artium scientiam contulisset , quid mirum , si orator , si poeta omni laude cumulatus , extiterit ? Etenim nisi oratorum ac poetarum , ex rerum cognitione efflorescat ac redundet oratio , tanquam cassa nuce inanior , negli-*

gligatur ac repudietur necesse est . Itaque tanta vis
ingenii ab omnibus , qui tunc temporis magnum
in literatis viris nomen habebant , primum cogni-
ta , (non enim insignis flammae cuiuspiam splen-
dor latere diutius potest , quin suo se lumine pro-
dat ,) tum adamata , deinde expetita , postremo
exculta omni officiorum genere est ; sed in primis
ab Aldo Manutio arctissimo sibi amicitiae vin-
culo constricta . ac ita illum placuisse Manutio ,
tantum in ejus laudibus pondus mea sententia ha-
bet , propemodum ut ceteris anteponendum esse vi-
deatur . nisi enim summa ac prope singularis in
ejus ingenio atque doctrina vis boni fuisset , nun-
quam ita a tali viro coli diligique potuisset , ut vix
quidquam in amore fuerit ardenter . cuius viri
eruditio a majoribus ipsi suis quadam quasi here-
ditate relicta , ita deinde perpetuo labore studio-
que suis est opibus aucta , ut parenti etiam ipsi
Paulo , quo tum in his literis humanissimis nil ha-
bebat orbis terrae praestantius , esset admirabilis .
Quanta autem inter Aldum & Julium necessitas
amicitiaeque usus intercesserit , declarant epistolae ;
quae extant impressae , & eruditorum manibus
teruntur , tum Manutii ad ipsum , tum ipsius ad
Manutium , scriptae . Sed quid tam eorum , qui
se literis abdiderunt , ostendit industriam , quam
quae potuerunt ad communem afferre fructum ,
atque in conspectum lucemque proferre ? Sunt in
medio

medio complures ejus orationes ab ipso editae, in quibus & orationis copia & sententiarum gravitas, & elegans verborum comprehensio atque artifex etiam stylus appetet. Summa omnium cum voluptate leguntur epigrammata, elegiae, odae, & sacrorum carminum liber: quae omnia, admirabilem ejusdem ad poesin indolem ac divinum illum spiritum, quo poetae dicuntur afflari, mire testantur. exstant elogia militaria, tanta cum fide, industria, ac sermonis majestate conscripta, ut ejus ingenii magnitudinem, candorem animi, ac magnificum orationis genus, ante oculos ponant. Attigit etiam Remp. ac pluribus & maximis muneribus functus, in gravi atque difficiili provinciae cuiusdam administratione, vitam reliquit. Inter alia edidit Icones operum misericordiae Romae 1585. in folio. Emblemata sacra aeri incisa ab Antonio Tempesta Romae 1589. in 8.^o Ejus Elogia militaria vulgavit Philippus Decius Romae apud Jo. Angelum Ruffinellum 1596. in 4.^o Varia ejusdem MSS. adservantur in Bibliothecis Barberina & Chisiana. De Antonio Decio exstat hoc elogium apud Erythraeum in Pinacotheca I. Locuples & amoenum Antonii Decii Hortini ingenium, omnemque ab eo perceptam, dignam libero homine, disciplinam cum cetera ejus scripta, lyrico stylo confecta, declarant, tum maxime Arcipanda, nobilis ejusdem tragaedia demonstrat, quam, splen-

splendore verborum, multitudine sententiarum, majestate argumenti, non video, cui earum debeat cedere, quae Etrusca lingua scriptae leguntur. Hæc simul ac typis impressa communem lucem aspexit, incredibili omnium plausu, summoque Fabii Ursini, in cuius primum nomine apparuerat, excepta, visa est etiam admirabilis Torquato Tasso, non epicis tantum carminis principi, sed scriptori tragædiarum eximio, qui cum illi magnus amicitiae usus necessitudoque intercedebat: nam cum eo saepe, qui ob id quod parum animo valeret, sermones hominum conventusque vitabat, in via incidentem, colloquenter et in foro Agonali Romae ambulantem, multaque ibi spacia facientem aspeximus; ut si Antonii laudibus cetera alia argumenta deessent, haec tam egregia cum illo familiaritas, summum in eo ingenium, excellentem doctrinam, atque admirabilem poeticae facultatis artem fuisse convinceret: cui enim ille placere non oporteat, qui tantopere Torquato Tasso probatus extiterit? Sed hunc quoque celerius mortalis conditionis tanquam aestus absorbuit, quam bonae literae, amicorumque, quibus ille erat jucundissimus, studia deposcerent. Quod si longior illi vitae bujus usura contigisset, multos, quos conceperat, partus edidisset. Verum pauci erepti ejus vitae anni, ea quam adeptus est nominis immortalitate, compensantur.

LIII. *HIPPOLYTUS Fabianus Ravennas ex Priore generali , ut vocant , ordinis sancti Augustini , ad hanc dignitatem electus est a Paullo V. die xvii. Decembris anno MDCVII. Ex hac vita migravit in civitate Castellana die xxiv. Augusti MDCCVI. quo tempore vixit Julius Pheus Hortanus Advocatus Consistorialis , in quo munere successorem habuit Laurentium filium , postea adlectum in episcopum Geruntinensem in Calabria , ex Carolo Carthario in Syllabo Advocator. Consistorial. pag. 223. & 245.*

LIV. *ANGELUS GOZADINUS Archiepiscopus Nixiensis , & Pariensis , ecclesiae Bononiensis suffraganeus pro Cardinali Ludovisio , anno MDCXI. a Gregorio X V. electus fuit. Exstat Hortae haec ejus inscriptio .*

D. O. M.

*ANGELVS.GOZADINVS. I. V. D. OLIM
ARCHIEPISCOPVS. NIXIEN. ET. PA-
RIEN. NVNC. VERO. ECCLESIARVM
HORTANÆ. ET.CIVITATIS.CASTELL
EPVS. ADHVC. VIVENS. SERIO. DE-
MORTE. COGITANS. SIBI. SVCCES-
SORIBVS. Q. SVIS. MONVMENTVM
PARAVIT. A. IVB. MDCL. ÆTATIS
SVÆ. LXXVII. EPATVS. VERO. XXX
Floruit hoc tempore Marius Villanius J. C. prae-
stantissimus , ad quem Hortae suae morantem su-
pra laudatus Erythraeus has literas dedit , quæ ha-
bentur in libro vi. partis primæ num. xxxvii.*

Nisi

Nisi memoria me fugit, quod saepe solet accidere, cum Roma discedebas, pollicitus es, feriis tantum vindemiarum, hoc est, diebus quindecim, nec eo amplius, a nobis abfuturum (quo tempore prolati rebus, multi animi relaxandi gratia, vel villarum amoenitates, vel propinquā Urbi oppida persequi solent.) verum cum res rediissent, continuo te ad nos recepturum, quo amicorum causis praefeo esses opera, auctoritate, consilio. Sed totos jam menses quinque desideraris; ac vereor, ne dies illi quindecim, menses viginti fiant. Sed nolim, te Ulyssi similem esse, qui Ithacam suam tanti fecit, ut eam, quamvis asperrimis saxis, tanquam nidum affixam, immortalitati anteponendam esse statuerit. Non video quid istic sit, quod delectare te possit ac retinere, quin curriculo ad nos venias. Nulla est tibi Penelope, quam à procorum injuriis atque insolentia vindices; nullus Telemachus, cuius adolescentiam patria auctoritate ac consilio regas. Sed quamvis te recte cum Ulysse, sed alio in genere, conferam, non sum tam ita insipiens, ut Ithace oppidum cum isthac urbe, quam incolis, esse comparandam existimem. Quae urbs antiquissima quidem ac nobilissima plures semper viròs genuit, domi militaeque claros, et in primis doctrina, ingenio, et eruditione praestantes: sed nihil ad urbem Romam. A qua tamen abesse hoc tempore non est magnopere dolendum:

multa enim ejus , qui abest , ab oculis removentur ,
quae acerbissimum animo dolorem inurant : quae
mala bellorum calamitas affert . Et nunc seve-
rissimae exactiones fiunt capitum , atque ostiorum :
neque id aliqua Principum nostrorum iniquitate
vel avaritia ; quibus nihil est aequius , nihil libe-
ralius ; sed ita res est , ita faciundum fuit . Sed
quamvis omnes intelligant , quae exiguntur ad
communem utilitatem salutemque conferri , tamen
aegre ferunt , queruntur , dolent , in summa rei
nummariae difficultate eam a se pecuniam arripi .
Sed Petri Sedis dignitas , urbis salus & incolumi-
tas : cuius tuendae gratia , publico consilio , ea pe-
cunia cogitur , omnibus nostris commodis antepo-
nenda est . Ego quia pacis ociique in primis sum
cupidus , libenter me istuc vel alio conferrem , ubi
neque milites armatos conspicerem , neque tympa-
norum streitus & tubarum sonitus audirem : sed
rei familiaris ratio prohibet ; aetas acta deterret ;
cui coeli mutationem maxime incommodam esse ,
audio . Sed cur , inquies , me in eam urbem vocas ,
in qua manere , neque tibi suave neque jucundum
putas ? At longe alia ratio est utriusque nostrum .
Tu Jurisconsultus in primis ; ego non plus attigi
illius doctrinae , quam quantum prima illa puerili
institutione potui . Tu rerum maximarum usu
edoctus ac prudens ; ego in omnibus iis rebus , quae
ad communis vitae consuetudinem pertinent , fere
bospes

hospes & rudis. Tu Reipub. regendæ scientia præditus; ego funditus ejus artis expers. Quamobrem ibi potissimum te oportet esse, ubi summae rei prodesse plurimum possis; operaे autem meae nihil relictum est loci, ubi neque publice neque privatim cuiquam esse usui possit. Quam ob rem cogita de reditu: & amicis, qui jam diu tuae sunt suavitatis expertes, ejusque participes fieri avidissime cupiunt, ne sis in mora; sed quam primum illorum votis occurre. Ego, quoniam coram non licet, his literis, quas tibi F. Desiderius reddet, salvere te plurimum jubeo. Vale. Roma vi. Fal. Febr. CICIDCXLIV. Hoc eodem tempore Romae excelluit alter Hortanus ci-
vis Matthaeus Caccia, qui magnam pecuniae vim arte medica comparatam, fato cedens anno MDCXLIV.
in usus pios liberalissime impendit, splendide in-
staurata aedicula beatae Mariae virginis, ubi sepel-
liri voluit, post Xenodochium sancti Jacobi ad por-
tam Flaminiam, cui octoginta millium nummum
hereditatem obtингere jussit. Ejusdem gentilis Pli-
nius Caccia, equestri ordine illustris, Rythmos Ita-
licos ediderat Firmi typis Sertorii de Montibus
anno MDCHI. in 12.^o

THADDAEUS *Altinus* Camers, eremita Augustinia-
nus, episcopus Porphyriensis, Urbano VIII. Inno-
centio X. & Alexandro VII. a facello Pontificio,
diem obiit vi. Kal. Septembres anno MDCLXXXV.
Hortae in ecclesia sancti Augustini sepultus.

- LVI. JOSEPHUS *Sillanus de Leoncillis* Spoletinus , Cardinali Ludovisio majori Poenitentiaro ac facri Collegii Decano caussarum Auditor , electus fuit anno MDCLXXXV.
- LVII. SIMON *Aleottus* Ravennas ex Vicario generali Fabricii Paulutii Cardinalis & episcopi Maceraten-sis , nuncupatus fuit anno MDCXCVII.
- LVIII. Aleotti locum implevit anno MDCCIV. ASCANIUS *Blasii* Romanus,Francisco de Judice Cardinali caufarum Auditor , deinde episcopus Salaminae , & Casparis de Carpineo Cardinalis , episcopi Sabinen-sis suffraganeus, quo in munere successit Ulyssi Ro-scio Ortano , hodieque populum suum , pietatis & virtutis eximia laude ornatus , gubernat .

F I N I S.

APPENDIX
ACTORUM VETERUM
DE QUIBUS FACTA EST MENTIO
IN LIBRO SECUNDO.

I.

pag. 316.

Decretum genuinum Gelasii I. collatum
cum editione vulgata.

Genuinum Decretum
cum naevis.

*Ex antiquissimo codice Palatino
Bibliothecae Vaticanae n.493.
fol. 101.*

Vulgatum Decretum.

*Ex codice Jurensi emendatius
editum sub nomine Hormisdae
a Petro Francisco Chiffletio.
Additiones & interpolatio-
nes minio notantur.*

*Incipit Decretalem Sci Gelasii
Papac urbis Romae.*

Incipit Decretale in urbe Roma
ab Hormisda Papa editum.

*De scripturis divinis quid uni-
versaliter catholica recipiat
Ecclesia, vel post haec quid
vitare debeat.*

I.

Ordo de veteri Testamen-
to, quem sancta & ca-
tholica Romana suscipit &
honorat Ecclesia, iste est.

Geneseos liber I.

Exodi liber I.

Levi-

APPENDIX.

- Levitici liber I.
 Numeri liber I.
 Deuteronomii liber I.
 Jesu Nave liber I.
 Judicum liber I.
 Ruth liber I.
 Regum libri IV.
 Paralipomenon libri II.
 Psalmorum CL. liber I.
 Salomonis libri III.
 Proverbia, Ecclesiastes, &c
 Cantica Canticorum.
 Item Sapientiae liber I.
 Ecclesiastici liber I.
Item ordo Prophetarum.
 Esaiae liber I.
 Hieremiae liber I. cum Cr-
 noth ac Lamentationibus suis.
 Ezechielis liber I.
 Danielis liber I.
 Osee liber I.
 Amos liber I.
 Michaeae liber I.
 Johel liber I.
 Abdiae liber I.
 Jonae liber I.
 Naum liber I.
 Abacuc liber I.
 Sophoniae liber I.
 Aggaci liber I.
 Zachariae lib. I.
 Malachiae liber I.
Item ordo Historiarum.
 Job liber I.
 Tobiae liber I.
 Esdrae libri II.
 Esther liber I.
 Judith liber I.
 Machabaeorum libri II.

- Item ordo Scripturarum novi
 Et aeterni Testamenti.
 Euangeliorum libri IV.
 Secundum Matthaeum liber I.
 Secundum Marcum liber I.
 Secundum Lucam liber I.
 Secundum Johannem liber I.
 Item Actuum Apostolorum
 liber I.
 Epistolae Pauli Apostoli nu-
 mero XIV.
 Ad Romanos Epistola I.
 Ad Corinthios Epistolae II.
 Ad Ephesios Epistola I.
 Ad Thessalonicenses Episto-
 lae II.
 Ad Galatas Epistola I.
 Ad Philippenses Epistola I.
 Ad Colossenses Epistola I.
 Ad Timotheum Epistolæ II.
 Ad Titum Epistola I.
 Ad Philemonem Epistola I.
 Ad Hebracos Epistola I.
 Item Apocalypsi Johannis
 liber I.
 Item canonicae Epistolæ
 numero septem.
 Petri Apostoli Epistolæ II.
 Jacobi Apostoli Epistola I.
 Johannis Apostoli Episto-
 lae III.
 Judæ Zelotis Apostoli Epi-
 stola una.

I.

Post propheticas & euangeli-
 cas, atque apostoli-
 cas Scripturas, quibus Eccle-
 sia catholica per gratiam Dei
 fun-

II.

Post has omnes propheti-
 cas & euangelicas, atque
 apostolicas, quas superius de-
 proinprimus Scripturas, qui-
 bus

fundata est , etiam illud intimandum putavimus , quod quamvis universae per orbem Catholicae defusae Ecclesiae unus thalamus Christi sit , sancta tamen Romana Ecclesia nullis Sinodicis constitutis ceteris Ecclesiis praelata est , sed Evangelica voce Domini & Salvatoris nostri primatum optinuit . Tu es Petrus , inquietus , & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam , & portae inferi non praevalebunt adversus eam , & tibi dabo claves Regni coelorum , & quaecunque ligaveris super terram erunt ligata & in coelo , & quaecunque solveris super terram erunt soluta & in coelo .

Cui data est etiam societas Beatissimi Pauli Apostoli , vas electionis , qui non diverso sicut heresi garriunt , sed uno tempore , uno eodemque die gloriosam mortem cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans coronatus est ; & pariter supradictam sanctam Romanam ecclesiam Christo Domino consecrarunt , aliisque omnibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho ptulerunt .

Est ergo prima Petri Apostoli Sedis Romana ecclesia ; non habens maculam , nec rugam , nec aliquid ejusmodi .

Se-

bus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est , etiam illud intimandum putavimus , quod quamvis universae per orbem diffusae catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sit , sancta tamen Romana ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris Ecclesiis praelata est , sed evangelica voce Domini & Salvatoris nostri , primatum obtinuit ; Tu es Petrus , inquietus , & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam : & portae inferni non praevalebunt adversus eam . Et tibi dabo claves regni coelorum : & quaecumque ligaveris super terram erunt ligata & in coelo : & quaecumque solveris super terram erunt soluta & in coelo .

Addita est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli , vas electionis ; qui non diverso , sicut haeretici garriunt , sed uno tempore , uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans coronatus est . Et pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt , aliisque omnibus **urbibus** in universo mundo , sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt .

Est ergo prima Petri Apostoli Sedes Romana ecclesia ; non habens maculam , neque rugam , nec aliquid hujusmodi .

Se-

Secunda autem Sedis apud Alexandriam beati Petri nomen . a Marco ejus discipulo Evangelista consecrata est : Ipseque a Petro Apostolo in Aegipto directus , verbum veritatis praedicavit , & gloriosum consummavit martirium.

Tertia vero Sedis apud Antiochiam item beatissimi Petri Apostoli habetur honorabilis eo quod illic prius quam Romanam venisset , habitavit & illic primum nomen Christianorum novellae gentis exortus est .

II.

ET quamvis aliud fundatum nullus possit ponere praeter id , quod positum est , quod est Christus Jesus ; tamen aedificationem sanctam idem Romanam ecclesiam post illas veteris vel novi Testamenti , quas regulariter suscipimus , etiam suscipi non prohibet scripturas . Idem sanctam Sinodus Nicenam CCC. rum X. & VIII. Patrum , mediante Maximo Constantino Augusto .

Secunda autem Sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine a Marco ejus discipulo **atque** Evangelista consecrata est . Ipseque in Ægypto , directus a Petro Apostolo , verbum veritatis praedicavit , & gloriosum consummavit martyrium .

Tertia verò Sedes apud Antiochiam item beatissimi Apostoli Petri habetur honorabilis eo quod illic priusquam Romanam venisset habitavit : & illic primum nomen Christianorum novellae gentis exortum est .

III.

ET quamvis aliud fundatum nullus potuit ponere praeter id , quod positum est , quod est Christus Jesus ; tamen ad aedificationem nostram eadem Romana ecclesia , post illas veteris vel novi Testamenti , quas regulariter superius enumeravimus , etiam has suscipi non prohibet scripturas . Id est sanctam Synodus Nicaenam secundum trecentos decem & octo Patres , mediante maximo Constantino Augusto ; **in qua Arius haereticus condemnatus est .**

Sanctam Synodum Constantinopolitanam , mediante Theodosio seniore Augusto ; in qua Macedonius haereticus

APPENDIX.

Sanctam Senodum Efisinam, in qua Nestorius damnatus est, consensu Coelestini Papae, mediante Cirillo Alexandrinae Sedis Antestite, & Arcadio ab Italia distinato.

Sanctum Sinodum Calcedonensem, mediante Marciano Augusto & Anatholio Constantinopolitano Epo, in qua Nestoriana, Antochiana, & Eutichiciana heresim simul cum Dioscoro, ejusque complicibus damnatae sunt.

III.

Inceptiunt opuscula recipienda.

Item opuscula beati Cicili Cipriani martiris, & Cartogenensis epi.

Opuscula beati Gregorii Nazarenensis epi.

Item opuscula beati Basili Capadociae epi.

Item opuscula beati Athanasi Alexandriae epi.

Item opuscula beati Johannis Constantinopolitanae epi.

Item

debitam damnationem exceptit.

Sanctam Synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est, consensu beatissimi Caelestini Papae, mediante Cirillo Alexandrinae Sedis Antistite, & Arcadio episcopo ab Italia destinato.

Sanctam Synodum Calchedonensem, mediante Marciano Augusto, & Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana, & Eutychiana haeresis, simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatae sunt. Sed & si qua sunt Concilia a sanctis Patribus hancenit instituta, post istorum quatuor auctoritatem & custodienda & recipienda decrevimus.

IV.

JAmnunc subjiciendum de opusculis sanctorum Patrum, quae in Ecclesia catholica recipiuntur.

Opuscula beati Caecilii Cypriani, Martyris, Carthaginensis episcopi in omnibus recipienda.

Item opuscula Beati Gregorii Nazianzeni episcopi.

Item opuscula beati Basili Cappadociae episcopi.

Item opuscula beati Athanasi Alexandriae epi.

Item opuscula beati Johannis Constantinopolitani episcopi.

Item

Item opuscula beati Theophilii Alexandrinae epi.

Item opuscula bī Helari Pi-
ctavinsis epi.

Item op.bī Ambrosi Medio-
laninſes epi.

Item op. B.Augustini Ippo-
nereginſis epi.

Item op. bī Hieronimi prb.

Item op. Prospcri viri reli-
giosissimi .

Item epistola bī Leonis Pap.
ad Flavianum Constantinopo-
litanum episcobum distinā t.
cujus textum quispiam suis ,
quae ad unum iota disputave-
rit , & non eam in omnibus ve-
nerabiliter receperit , anathe-
mas sit .

Item op. tractatus omnium
Patrum Ortodoxorum, qui in
nullo a sciae ecclesiae Romane
consortio deviarunt , nec ab
ejus fide vel praedicatione fe-
juncti sunt , sed ipsius commu-
nicatione per gratiam Dei usque
in ultimum vitae suae fue-
re participes , legende decer-
nimus .

Item decretales epistolas ,
quas beatissimi Pap. diversis
temporibus ab urbe Roma pro
diversorum Patrum consola-
tione dederunt , venerabiliter
fusciendas .

Item

Item opuscula beati Theo-
philii Alexandrini episcopi .

Item opuscula beati Cyrilli
Alexandrini episcopi .

Item opuscula beati Hilarii
Pictaviensis episcopi .

Item opuscula Beati Am-
brosii Mediolanensis episcopi .

Item opuscula Beati Augu-
stini Hipponegiensis episco-
pi .

Item opuscula Beati Hiero-
nymi presbyteri .

Item opuscula Beati Prospe-
ri viri religiosissimi .

Item epistolam Beati Papac
Leonis ad Flavianum Con-
stantinopolitanum episcopum
destinatam : de cuius textu
quispiam si usque ad unum jo-
ta disputaverit , & non eam in
omnibus venerabiliter recepe-
rit , anathema sit .

Item opuscula atque tracta-
tus omnium Patrum ortho-
doxorum , qui in nullo a sanctae
Romanae ecclesiae con-
sortio deviarunt , nec ab ejus
fide vel praedicatione fejuncti
sunt ; sed ipsius communica-
tioni per gratiam Dei usque
in ultimum diem vitae suae
fuerre participes , legendos de-
cernimus .

Item decretales epistolas ,
quas beatissimi Papae , diver-
sis temporibus ab urbe Roma
pro diversorum Patrum con-
sultatione dederunt , vene-
rabiliter fusciendas .

S f ij Item

Item gesta sanctorum Martirum , qui multiplicibus tormentorum cruciatibus , & mirabilibus confessionum triumphis inradiant . Quis ista Catholicorum dubitet majora eos in agonibus fuisse perpessos , nec suis viribus , sed Dei gratia , & adiutorio? Singulari cautella in sca Romana ecclesia non leguntur , quia & eorum , qui conscribere nomina penitus ignoratur ; & ab Infidelibus & idiotis superflua , aut minus apta,quam rei ordo fuerit, esse putantur . Sicut cujusdam Cirici & Julitae , sicut Giorgi , aliorumque hujusmodi passiones , q. ad hereticis perhibentur compositae . Propter quod , ut dictum est , ne vel levis subsanandi orreretur occasio,in sca Romana ecclesia non leguntur . Nos tamen cum praedicta ecclesia omnes Martyres , & eorum gloriosos agones , qui Dō magis , quam hominibus noti sunt, omni devo-
tione veneramur .

Item vitas Patrum , Pauli , Antoni , Hilarionis , & omnibus heremitarum , quas tamen vir beatissimus descriptis Hieronimus , cum omni honore suscipimus .

Item actus beati Silvestri Apostolicae Sedis Praefolis, li-
cet

Item Gestā sanctorum Martyrum,quae multiplicibus tormentorum cruciatibus , & mirabilibus confessionum triumphis inradiant . Quis ista Catholicorum dubitet , & majora eos in agonibus fuisse perpessos ? nec suis viribus , sed Dei gratia & adiutorio **uni-**
versa tolerasē? Sed ideo secundūm antiquam consuetudinem , singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur , quia & eorum qui conscripsere , nomina penitus ignorantur ; & ab infidelibus , & idiotis superflua , aut minus apta,quam rei ordo fuerit, esse putantur . Sicut Quirici cujusdam & Julitae ; sicut Georgii , aliorumque ejusmodi Passiones , quae ab haereticis perhibentur compositae . Propter quod , ut dictum est , ne vel levis subsannandi oriretur occasio , in sancta Romana ecclesia non leguntur . Nos tamen cum praedicta **Romana** ecclesia , omnes Martyres , & eorum gloriosos agones,qui Deo magis,quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur .

Item Vitas Patrum , Pauli , Antonii , Hilarionis , & omnium Eremitarum , quas tamen vir beatissimus Hieronymus descriptis , cum omni honore suscipimus .

Item Actus beati **ffimi** Silvestri Apostolicae Sedis Praefu-
lis,

cet ejus, qui conscripsit nomine ignoretur: a multis tamen in urbe Roma Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo usu multae haec imitantur ecclesiae.

Item scriptura de Inventione Crucis dominicae, & aliam scripturam de inventione capitum Johannis Baptiste novelle quidem relationis & nonnulli Catholici legunt. Sed cum haec ad Catholicorum manus advenerint, beati Pauli Apostoli precedet sententia, *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

Item Rufinus vir religiosus plurimos ecclesiasticae operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatissimus Hieronymus eum in aliquibus de arbitrio libertate notavit, illas sentim. q. praedictum beatum Hieronimum sentire cognoscimus, non solum de Rufino, sed etiam de universis, quos vir S. sepius memoratus, zelo Dei, & fidei religione reprehendit.

Item Origenis nonnulla opera, quae vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus: reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus renuendam.

Chronica Eusebi Caesariensis, atque ejusdem Historiae ecclesiasticae libros, quamvis in pri-

lis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur: a multis tamen in urbe Roma Catholicis legi cognovimus: & pro antiquo usu multae hoc imitantur Ecclesiae.

Item scriptura de inventione dominicae Crucis, & alia scriptura de inventione capitum beati Johannis Baptiste, nonnullae quidem relationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt. Sed cum haec ad Catholicorum manus pervenerint, beati Apostoli Pauli praecedat sententia; *Omnia probate, & quod bonum est retinete.*

Item Rufinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros: nonnullas etiam Scripturas interpretatus est. Sed quoniam venerabilis Hieronymus cum in aliquibus de arbitrii libertate notavit; illa sentimus, quae praedictum beatum Hieronimum sentire cognoscimus: & non solum de Rufino, sed etiam de universis quos vir saepius memoratus, zelo Dei, & fidei religione reprehendit.

Item Origenis nonnulla opuscula, quae vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus: reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus renuenda.

Item Chronica Eusebii Caesariensis, atque ejusdem Historiae ecclesiasticae libros, quam-

primo narrationis suae libro
tepuerit, & post in laudibus
atque excusatione Origenis
scismatici unum conscripserit
librum: propter rerum tamen
singularum notitiam; q. ad
instructionem pertenent, us-
quequa non dicimus re-
nuendos.

Item Orosium virum erudi-
tissimum, quem conlaudamus,
qui valde nobis necessariam
adversus paganorum calum-
nias ordinavit Historiam, mi-
raque brevitate contexuit.

Item venerabilis Sedulii Pa-
schale opus, quod eruditis de-
scripsit versibus insigni laude
preferimus.

Item Juvenci nihilominus
laboriosum opus non sperni-
mus, sed miramus. Cetera, que
ab hereticis scismaticis con-
scripta, vel predicata sunt, nullatenus
recipiet Catholica, &
Apostolica Romana ecclesia:
e quibus pauca, quae ad mem-
oriam venerunt, & a Catholicis
vitanda sunt, credidimus
esse subdenda.

quamvis in primo narrationis
suae libro tepuerit, & post in
laudibus atque excusatione
Origenis schismatici unum
conscripserit librum: propter
rerum tamen singularum no-
titiam quae ad instructionem
pertinent, usquequa non
dicimus renuendos.

Item Orosium virum eru-
ditissimum conlaudamus, qui
valde necessariam nobis adver-
sus paganorum calumnias or-
dinavit Historiam, miraque
brevitate contexuit.

Item venerabilis viri Sedu-
lii Opus paschale, quod heroi-
cis descripsit versibus, insigni
laude praferimus.

Juvenci quoque nihilominus
laboriosum opus non sperni-
mus, sed miramur. Caetera
quae ab haereticis, sive schi-
smaticis conscripta vel pre-
dicta sunt, nullatenus recipit
catholica & Apostolica Ro-
mana ecclesia: e quibus pau-
ca, quae ad memoriam vene-
runt, & a Catholicis vita-
nda sunt, credidimus esse sub-
denda.

IV.

NOtitiam librorum apo-
criforum, qui non re-
cipiuntur.

Arimenensium Sinodum, a
Constantio Caesare Constan-
tini Augusti filium congrega-
tam, mediante Tauro Praefe-
cto,

V.

IN primis Ariminensem Sy-
nodum, a Costantino Cae-
sare Constantini filio congrega-
tam, mediante Tauro Prae-
fecto,

cto , ex tunc & nunc & in-
aeternum confitemur esse dam-
nata .

Itenerarium nomine Petri
Apostoli , quod appellatur Sci-
Clementis , apogriphum .

Actus nomen Andreae Apl.
apg.

Actus nomen Thomae Apl.
libros x. apg.

Actus nōm Petri Apl. alios,
apg.

Actus nōm Philippi Apl.
apg.

Evangelium nōm Matthiae ,
apg.

Evangelium nōm Petri Ap.
apg.

Evangelium nōm Jacobi mi-
noris , apg.

Evangelium nōm Barnabae ,
apg.

Evan. nōm Thomae , quibus
Manichei utuntur , apg.

Evangelium nōm Bartholo-
mei Ap. apg.

Evangelium , quem falsavit
Lucianus , apg.

Evangelium , quem falsavit
Eusicius , & Lucius , apg.

Lib. de infantia Salvatoris ,
apg.

Lib. de nativitate Salvato-
ris , & de Maria vel obfetrice ,
apg.

fecto , ex tunc & nunc , in-
aeternum confitemur esse dam-
natum .

Itinerarium quoque in no-
mine Petri Apostoli , quod ap-
pellatur sancti Clementis libri
numero novem , apocryphum
esse scimus .

Actus nomine Andreae Apo-
stoli , apocryphum .

Actus nomine Thomae Apo-
stoli , libri X. apocryphi .

Actus nomine Petri Apo-
stoli , apocryphi .

Actus nomine Philippi Apo-
stoli , apocryphi .

Evangelia nomine Mathiae
Apostoli , apocrypha .

Evangelia nomine Barna-
bae , apocrypha .

Evangelia nomine Jacobi
minoris , apocrypha .

Evangelia nomine Petri
Apostoli , apocrypha .

Evangelia nomine Thomae
Apostoli , quibus Manichaei
utuntur , apocrypha .

Evangelia nomine Bartho-
lomaei Apostoli , apocrypha .

Evangelia nomine Andreac
Apostoli apocrypha .

Evangelia quae falsavit Lu-
cianus , apocrypha .

Evangelia quae falsavit Ici-
cius , apocrypha .

Liber de infantia Salvatoris ,
apocryphus .

Liber de nativitate Salvato-
ris , & de Maria vel obfetrice ,
apocryphus .

Liber, qui appellatur Pastoris , apg.

Lib. omnes, quos fecit Leucius discipulus Diaboli , apg.

Lib. qui appellatut Fundamentum , apg.

Lib. qui appellatur Thesaurum , apg.

Lib. de filiabus Adae lectum geneseos , apg.

Lib. qui appellatur hactu Thecle , vel Thollius , & Pauli Ap. apg.

Liber qui appellatur Nopatis , apg.

Lib. Proverbiorum ab Hereticis conscriptus , & sancti Xisti nomen praenotatus , apg.

Revelatio , qui appellatur Pauli , apg.

Revelatio , qui appellatur Thomae , apg.

Revelatio , qui appellatur Stephani , apg.

Lib. qui appellatur Transitus , id est Adsumptio sciae Mariae , apg.

Lib. qui appellatur Penentitia Adae , apg.

Lib. Eugenii a nōm gigante , qui cum dracone post diluvium ab hereticis pugnasse perhibetur , apg.

Liber, qui appellatur Testamentum Job , apg. Non historia beati Job , sed alius ab hereticis consribtus .

Lib.

Liber , qui appellatur Pastoris , apocryphus .

Libri , omnes quos fecit Lucius discipulus diaboli , apocryphi .

Liber, qui appellatur Fundamentum , apocryphus .

Liber, qui appellatur Thesaurum , apocryphus .

Liber de filiabus Adae , **hoc est** Leptogenesis , apocryphus .

Liber , qui appellatur Actus Teclae & Pauli , apocryphus .

Liber qui appellatur Nepotes , apocryphus .

Liber Proverbiorum , qui est ab haereticis conscriptus , & sub nomine sancti Sixti praesignatus , apocryphus .

Revelatio , quae appellatur Pauli Apostoli , apocrypha .

Revelatio , quae appellatur Thomae Apostoli , apocrypha .

Revelatio , quae appellatur sancti Stephani , apocrypha .

Liber, qui appellatur Transitus , id est, Adsumptio sanctae Mariae , apocryphus .

Liber, qui appellatur Poententia Adae , apocryphus .

Liber de Eugenia nomine , gigante , quae cum dracone post diluvium ab haereticis pugnasse fingitur , apocryphus .

Liber

Lib. qui appellatur Poenitentiae Origenis , apg.

Lib. qui appellatur Poenitentia sci Cipriani , apg.

Lib. qui appellatur Poenitentiae Jamnae , & Mambre , apg.

Lib. qui appellatur Sors Apostolorum , apg.

Lib. qui appellatur Lusa Apostolorum , apg.

Lib. filosogus , qui ab Hereticis conscriptus est , & beati Ambrosii nōm praesignatus , apg.

Historia Eusebi Pamphili , apg.

Opuscola Tertulliani , apg.

Op. Lactanti , apg.

Op. Africani , apg.

Op. Postumiani & Galli , apg.

Op. Montani , Priscillae & Maximillae , apg.

Op. omnia Fausti Manichei , apg.

Op. Commodiani , apg.

Op. alterius Clementis Alexandrinae , apg.

Opuscula Tarsi Cipriani , apg.

Op. Arnobi , apg.

Op. Tigoni , apg.

Opu-

Liber, qui appellatur Poenitentia Origenis , apocryphus .

Liber, qui appellatur Poenitentia Jamne & Mambre , apocryphus .

Liber, qui appellatur Sortes Sanctorum , apocryphus .

Liber , qui appellatur Lusa Apostolorum , apocryphus .

Liber, qui appellatur Canones Apostolorum , apocryphus .

Liber, phisiologus , ab haereticis conscriptus , & beati Ambrosii nomine praesignatus , apocryphus .

Historia Eusebii Pamphili , apocrypha .

Opuscula Tertulliani , apocrypha .

Opuscula Lactantii , apocrypha .

Opuscula Africani , apocrypha .

Opuscula Postuminiani , apocrypha .

Opuscula Montani , Priscillae & Maximillae , apocrypha .

Opuscula Fausti Manichaei , apocrypha .

Opuscula Commodiani , apocrypha .

Opuscula alterius Clementis Alexandrini , apocrypha .

Opuscula Tascii Cypriani , apocrypha .

Opuscula Arnobii , apocrypha .

Opuscula Ticonii , apocrypha .

T t Opu-

APPENDIX.

- Opuscula Cassiani Pbri Gallearum , apg.
- Opus. Victorini Petabionensis , apg.
- Op. Fausti Regensis Gallearum , apg.
- Op. Frumentini Coeci , ap.
- Centonem de Xpo Virgilianis compaginatum versibus , apg.
- Epitola Ihū ad Abgiarum , apg.
- Epla Abgari ad Ihm , apg.
- Passio Cirici & Jolitae , apg.
- Pass. Giorgi , apg.
- Scriptura , quae appellatur contradic̄tio Solomonis , apg.
- Filacteria omnia , que non Angelorum , ut illi configunt , sed Daemonum magis arte , conscripta sunt , apg.
- Haec & his similia , quae Simon Magus , Nigolaus , Cerrinthus , Marcion , Baselides , Ebion , Paulus etiam & Samosetanus , Fuitinus , & Bonosus & qui simili errore defecerunt , Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus Apolonaris , Valentinianus , sive Manicheus , Faustus , Africenus , Sabellius , Arrius , Mache donius , Eunomius , Novatus , Sabastius , Celestus , Donatus , Eustacius , Jovianus , Pelegius , Julianus Elane , Celestius , Maximia-
- Opuscula Cassiani Presbyteri Galliensis , apocrypha .
- Opuscula Victorini Pictabienensis , apocrypha .
- Opuscula Fausti Regensis Galliarum , apocrypha .
- Opuscula Frumenti Coeci , apocrypha .
- Centones de Christo , Virgilianis compaginati , apocryphi .
- Epistola Jesu ad Agarum , apocrypha .
- Epistola Agari ad Jesum , apocrypha .
- Passio Quirici , & Julitae , apocrypha .
- Passio Georgii , apocrypha .
- Scriptura , quae appellatur Salomonis interdictio , apocrypha .
- Philacteria omnia , quae non Angelorum , ut illi configunt , sed Daemonum magis conscripta sunt nominibus , apocrypha .
- Haec & his similia , quae Simon magus , Nicolaus , Cerrinthus , Marcion , Basilides , Ebion , Paulus etiam Samosetanus , Photinus & Bonosus , qui simili errore defecerunt , Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus , Apollinaris , Valentinus , sive Manicheus , Faustus , Africanus , Sabellius , Arrius , Macedonius , Eunomius , Conomius , Novatus , Sabbatius , Callistus , Donatus , Eustacius , Jovianus , Pelagius , Julianus Eclanensis , Caele-

ximianus, Priscillianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus, Unicus, Lampecius, Dioscorus, Eutichius, Petrus, & alius Petrus: e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit: Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis: nec non & omnes hereses, heresorum discipuli, sive Scismatici, qui docuerunt, vel conscripsierunt, quorum nomina minime retenentur, non solum repudiata, verum ab omni Romana, vel Catholica & Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathemate, insolubili vinculo in aeternum confitemur esse damnata.

Explicit Decretalis.

Caelestinus, Maximianus, Priscillianus ab Spania. Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Cinicus, Lampetius, Dioscorus, Eutyches, Petrus, & alius Petrus: e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit: Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis: necnon & omnes haeresiarches, & eorum discipulos, qui schismatica docuerunt, vel conscripsierunt, quorum nomina minime retinuimus; non solum repudiata, verum etiam ab omni Romana, catholica, & Apostolica ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis, & indissolubili vinculo in aeternum confitemur esse damnata.

Explicit Decretale editum ab Hormisda Papa Urbis Romanae.

NOTA.

UBI hoc Decretum Gelasianum, a nobis cum suis vitiis descriptum, pervenerit ad manus Disceptatorum ejus farinae, qui nostris hisce diebus eximiae laudi sibi vertunt, si documenta antiquitate sua commendata ineptiis adnumerent, non dubito quin illud continuo aspernaturi sint, tanquam minimi pretii. Cur vero? Maximis sane de caussis, si ipsos audiverimus: ob ineptam nec sibi constantem orthographiam, ob latitudinem barbaram & lutulentam, ob artis grammaticae leges minime servatas. His enim lautis praefidiis ipsi vetustatis periti homines se rerum antiquarum judices in hac luce literarum constituere palam volunt. Quid judices? Annon potius eversores & grassatores, & tanti supercilii quidem, ut sine piaculo illis contradicere, nempe eorum cavillationes & sophismata detegere, nemini liceat? Sed valeant illi cum suis lepidis argutationibus, sive admiratores procul a nobis quaerant & studiose

congregent: sed vicissim sinant nos frui his rudibus & incomptis reliquiis venerandae literaturae, quam posterioris aevi barbaries nobis feliciter servavit, unde ejus temporis genium & simplicitatem cognoscimus. Interim ex hoc apographo Decreti, nongentis & amplius ab hinc annis scripto, ut diximus pag. 216. patet tunc Gelasio attributum illud fuisse, & carere additionibus & interpolationibus, a nobis e regione minio signatis: quae viris doctis occasionem praebuerunt varie de eodem sentiendi, ut dictum est pag. 224. Consulto autem dedimus illud cum naevis & mendis suis, quia & haec antiquitatis studiose non inutilia esse poterunt. inde enim discet jam tunc vulgarem linguam, artis grammaticae regulis solutam, obtinuisse, qua indocti homines utebantur: quaque scribebantur non solum quaevis obvia, sed ipsa quoque diplomata, instrumenta & pleraque acta publica in curiis principum laicorum, & non raro etiam ecclesiasticorum: ex quo appetat stulte disceptare & de his judicare eos, qui ad exsufflanda antiqua ejusmodi instrumenta ob stili diversitatem, ea conferunt cum bullis & epistolis summorum Pontificum, eo vito non laborantibus: quasi haec scribi debuissent lingua illa vulgari, non latina: quae Romanae ecclesiae semper ita fuit propria, ut, pro conditione temporum, in ea omnium disertissimi scriptores floruerint: quare etiam antonomastice Latinae linguae nomenclationem obtinuit, ut diximus in Vindiciis Diplomatatum pag. 126.

In iisdem Vindiciis lib. I. cap. IX. ostendimus linguae latinac corruptionem fluxisse ex barbaro modo pronunciandi latinas voces. Hoc amplius firmatur hoc Decreto Gelasiano, ad normam barbarae pronunciationis scripto, mutatis, demptis vel additis literis. Etenim quia soni literae E. & I. O. & V. P. & B. C. & G. erant sibi proximi, legitur defusae pro diffusae: Sedis pro Sedes: aleis pro aliis: Gallearum pro Galliarum: Priscellianus pro Priscillianus: Arimenium pro Ariminium: Baselides pro Basilides: Penentia pro Poenitentia: Cicili pro Cecili: Senodum pro Synodum: Efisinam pro Ephesinam: Helari pro Hilarii: Giorgi pro Georgii. Sic episcobum pro episcopum: conscribtum pro conscriptum: praefolis pro praefulis: disputaverit pro disputaverit: Julita & Jolita: Rufinus & Rofinus: apogrifum pro apocryphum: & alia quae prudens lector per se videre poterit. singulis enim prolixius immorari nobis non vacat. Demum ubique apparet, simplicem exscriptorem hujus Decreti nullam linguam calluisse praeter vulgarem, ex latina male pronunciata & prave constructa, jam tunc ortam: quae scilicet nullo grammaticae artis praecepto, nullo sanae orthographiae

phiae aut genuinae pronunciationis ordine regebatur: unde postea linguam omnino aliam per se constituens, secundum diversam regionum & populorum indolem, in varias dialectos divisa fuit. Nam superest, ut nonnulla de ipso Decreto animadvertisam praece illa, quae superius dixi in capite 111. Jacobus Petitus in notis ad Poenitentiale Theodori Cantuariensis tomo primo pag. 104. observat ab eodem Theodoro Decretum nostrum adsignari Gelasio, atque etiam in aliis codicibus MSS. ibidem laudatis. Errat tamen ubi putat in Decreto aliqua redundare, praecipue ea, quae leguntur in nostro pag. 324. Item gesta sanctorum martyrum, (nempe veneramur) qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis inradiant. Mox deinde rationem reddit Gelasius cur gesta martyrum veneretur: quis enim, inquit, Catholicorum dubitet, ista & etiam majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia & adiutorio? Singulari tamen cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscripsere, nomina ignorantur &c. Petitus pag. 106. paullo aliter ex aliis MSS. haec recitat, aitque in illis meram apparere contradictionem, quia Gelasius primo censem legendam esse gesta martyrum, deinde concludit, secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non legi. Haec repugnare ait genuino sensui, quem plane perfecteque paucissimis verbis exhibeat optima collectio codicis Herovalliani, cuius verba haec sunt: Gestorum sanctorum martyrum, qui mirabilibus cruciatibus & triumphis inradiant, & a Catholicis viris conscripta sunt, omnimodis veneramur. Ea vero, quae ab Haereticis & idiotis composita vel adulterata sunt, nullatenus recipiantur: quae in ipsis eorum dictis ab ecclesiasticis viris sine mora deprehendi possunt. Sed in his nihil est, quod conveniat cum verbis Gelasii, qui ait venerari quidem se sanctorum martyrum gesta, qui multiplicibus cruciatibus & mirabilibus confessionum triumphis inradiant. quippe nemo dubitat, quin non solum ista, sed longe majora in agonibus suis passi sint, non suis viribus, sed Dei gratia & adiutorio. nihilominus eorundem martyrum atta singulari cautela in Romana ecclesia publice non legi, quia sunt anonyma & quia ab infidelibus malitiose, & ab idiotis hominibus supervacanee interpolata esse noscuntur. Nulla sane hic apparet contradictione. Mirare & suspice prudentissimi Pontificis judicium de actis martyrum. Idem Petitus ait, in Decreto, editionis nostrae pag. 324. post verba illa: & omnium eremitarum, quas tamen beatissimus scripsit Hieronymus, male omitti ista verba prorsus necesse.

necessaria: vel alii orthodoxi patres, quia, *inquit*, paucorum eremitarum vitas descriptis Hieronymus. Verum Gelasius non definit *paucas* ne, an multas eremitarum vitas Hieronymus scripsiterit, sed tantum statuit *eas omnes*, quas ipse scripsit, esse suscipiendas. Subdit Petitus, ubique in editis dicitur ecclesia Catholica & Apostolica Romana, hoc vocabulum, Romana, abesse a sua Canonum Collectione. Sed Romana adest in nostro antiquissimo apographo. Liber vero, qui in editis vocatur apocryphus sub titulo Canonum Apostolorum, in utraque Collectione Herovallii apud Petitum inter scripta apocrypha non recensetur, nec in codice Justelli: neque sane in nostro Vaticano. Secus autem contingit de Opusculis Tertulliani. Alia, quae in nostro apographo occurrunt, ab editis diversa, necesse non est singulatim hic iterum adnotare, quia statim comprehendi possunt. In eo non comparet Concilium Copolitanum I. contra Macedonianos coactum, quia fuit Orientalis duntaxat ecclesiae: nec fuit Oecumenicum, nisi tantum ex post facto, ut notat Pagius anno CCCLXXXI. num. v. Deest quoque Evangelium apocryphum B. Andreae Apostoli, quia postea fortasse confitum fuit. Pag. 330. Victorinus optime dicitur Petabionensis, non Piëtabiensis aut Piëtaviensis, ut in vulgatis. Petabio sive Petavio, fuit urbs episcopalnis in Pannonia prima, quae hodie Stiria vocatur. Quare noster codex firmat ea, quae Johannes Launojus peculiari scripto differuit contra Piëtavienses, Victorinum sibi adjudicantes. Ceterum non dubitamus quin pro hoc monumento, cuius pretium jam pridem olficerunt viri clarissimi Thomasius & Mabillonius, omnes eruditii sint gratiam habituri Probae Falconiae, cuius Cento nobis occasionem dederit edendi ejusdem Decreti.

I I.

**ACTA SANCTI CASSIANI
HORTENSIS, DEINDE AEDUENSIS
EPISCOPI.**

*Ex codice MS. 807. bibliothecae sancti Germani a Pratis prope
Parisios ab annis circiter 500. exarato.*

Incipit Vita sancti Cassiani episcopi & confessoris , ^{Ad} _{pag. 271.}
cujus transitus colitur nonas Augusti .

Igitur ¹ beatissimus Cassianus nobilibus ac locupletibus pa-
rentibus Alexandriae urbis oriundus fuit. Etenim a prima
aetate Deo se devoto animo jugiter commendavit. Sanctus
vero ² Zonis episcopus eum enutriens , divinis eruditionibus &
Evangeliorum dogmate doctrina Apostolica in se manente in-
struxit . Tempore illo in tota Alexandria gentilitas Paganorum
dominabatur . Fuit autem antea Imperator Julianus nomine ,
persecutor Christianorum, multosque sanctos pro nomine Chri-
sti interfecit: venerabilis vero Cassianus persecutionem non me-
tuens , assidue orationi & vigiliis vacans , Deum ex toto corde
& ex tota virtute diligens erat . Et dum multorum sanctorum
Martyrum auxilia fervente animo imploraret , sancti ³ Hilarini
se sociavit consortio . cui sanctus Cassianus habitaculum suum
ampliare fecit ad peregrinorum susceptionem , quam ipse plu-
ribus impendebat . Huic testimonium asserunt multi ex ⁴ servis
ejus , quos liberos fecerat , divulgata fama ejus , non solum in
urbe Alexandria, sed & in Aegypti provincia . Tamen ipse juxta
praeceptum Domini sollicitudinem instituit curam impendere
indigentibus , lavare pedes pauperum , ponere mensam , aquam
manibus effundere , languentibus curam gerere , cibum mini-
strare , & cetera exhibere religiosa virtutis officia . & sic adim-
plebat dogmata caritatis . Primum quidem venerabilis Cassia-
nus ORTENSI urbe construxit ecclesiam , & multo ditavit officio
clericorum . ibique sanctus Levita ⁵ Laurentius ei per visum ap-
paruit , exhortans eum , ut in ejus nomine dedicaretur , quae
nunc

nunc Laurentiana nuncupatur . Tunc Jovianus succedit in locum⁶ Juliani , Imperator Christianorum , timens Dominum Iesum Christum . quo imperante apertae sunt ecclesiae Christianorum , quas praecessor ejus Julianus infelicissimus clauserat . Jovianus quoque Imperator in Christiana Religione gaudere coepit . Tunc ipse⁷ cum populo una voce clamabat : sanctum Cassianum electum a Deo constituamus episcopum super nos , & super omnes Christianos , qui diligunt Deum . Sanctus vero Cassianus trepida mente nolebat acquiescere , nec adimplere votum principis , dum de se humiliora responderet . sed omnis populus irruit super eum , dicens : Cassianus civis noster , dignus , justus , castus , & sobrius , claimantes laudes , & benedicentes Dominum , tam senes , quam omnis sexus aetatis una voce populi tumultus incanduit , ut ibi elevaretur episcopus . Ab alio quoque ejusdem nominis beato Cassiano de⁸ Asia regione , ordinatus est , & benedictus in ORTENSI civitate sanctus Cassianus episcopus . Ad haec vir beatus jactantiam devitans , aurum , & argentum , aut reliqua stipendia pauperibus largiens , thesaurizans sibi thesaurum in Coelo , semper hoc tenuit in memoria , quod percipiet in gloria sempiterna . Semper congregationem sanctam docuit fraternitatem , munivit caritate , docuit disciplinam , constituit continentiam . Sic itaque sanctus Cassianus instruebat gregem sibi subiectum induere arma justitiae ad resistendum Diabolo cum vitiis & impedimentis hujus saeculi . Erat enim cum mansuetudine , exemplum dans eis in perseverantia & fide recta , & caritate non ficta , in vigiliis , in orationibus , in jejuniis & castitate perpetua perseverans . Ipse tamen hoc tenuit sensu , quod cognovit in fide : clarus vultu , clarior mente , angelicam dispositionem in corde suo semper retinuit , eloquio dulcis , sanctitate praelatus . Beatus is neminem contristabat , nunquam dolus fuit in eo , sed semper laetitiam cum fratribus habuit . Dum haec & cuncta opera ejus irreprehensibiliter perseverarent , sanctus Zonis episcopus , qui sanctum Cassianum edocuit , atque nutritivit , imminente persecutione , martyrium⁹ adeptus est . cuius corpusculum beatus Cassianus pio amore cum summa diligentia in Basilica sanctorum Martyrum collocavit , quorum haec sunt nomina : Secundianus , Felix , Terentianus , Victor , Redutus , item Victor , Colusius , Diiddeus , Fortunius , Spenetius , Afrodosius , Julius , Emeritus , Honorius , Salvanus , Saturnus , Dorigianus presbyteri ; Roricianus diaconus . Juxta sepul-

sepulcra praedictorum beatus Pontifex cum summo honore
pridie Kal. Maii sepelivit eum , atque sacrosancta martyria in
honore sancti Zenonis episcopi , recordatus ejus tolerantiam
atque victoriae triumphum , per singulos dies consecrans ejus
memoriam . Post haec sanctus Cassianus videns beati magistri
constantiam atque virtutes , succensus sancti Spiritus fervore
& fide martyrum , in peregrinationem profici sci cupiebat . qui
effundens preces ante Dominum Deum , revelatum est ei in
Galliis pergere , & praedicare verbum Domini . ¹⁰ At ille cogni-
ta voluntate Dei pandere coepit coepiscopis & omni clero ,
dicens ad eos : volo juxta praeceptum Domini relinquere ter-
ram & cognitionem , vel patriam meam deserere , & in Galliis
profici sci . cui omnes dixerunt : te terra tua non pascit ? & locus ,
in quo habitas , tibi non placet ? nec amicos habes vel vicinos ,
qui consolentur te , ut deseras regionem , in qua natus & nu-
tritus es ? Sanctus vero Cassianus respondit eis : Dominus &
Salvator noster per sanctum Evangelium monet dicens : omnis ,
qui reliquerit domos aut agros aut parentes propter nomen
meum , centuplum accipiet & vitam aeternam possidebit . &
illud : qui non reliquerit quae posidet , non potest meus esse
discipulus . Et haec dicente eo , quieverunt ab eo . Et valedi-
cens illis omnibus ex voluntate fratrum suorum , cum paucis ,
quos elegit , profectus est . Et secum duos presbyteros habere
coepit , id est Domitianum & Dydimum , & duos diaconos
Orion & alium nomine Neonas , & tres lectores his nominibus
Basamiona , Erta , & Honorio , & subdiaconos quatuor ,
Ingenianum , Justum , Simplicem , & Mansuetum . Hos secum
omnes sanctus Cassianus assumens cum gudio magno iter arri-
puit , & fortasse alicui incredibile esse videatur quanta & qua-
lis lamentatio , ac fletus in clero aut in plebe HORTENSIS urbis ,
discidente hoc patrono nostro , fuit . Nam flentes & lugentes
dicebant : cui nos , Pater piissime , commendas , quorum Pater
pervigil eras assiduus ? Quare deseris gregem tuum , quem ju-
gibus orationibus confortasti ? Et qui nos monebas coelestem
doctrinam , modo relinquis regionem tuam , & dominationem ,
quam nunc usque habuisti & vadis in terram longinquam .
quam nunquam vidiimus nec comperimus ? Audiens autem
haec homo Dei , recordans sancti Pauli Apostoli , ut pergeret ad
perfectiora , quid facitis , inquit , plorantes & conturbantes
cor meum ? Et benedicens omnibus ait : Dominus erit vobi-

scum, & vobis comes existet. Et compunctus osculatus est omnem clerum, flebatque ubertim prae gaudio. Oratione autem facta sanctus Cassianus dixit comitibus suis: Dominus Deus omnipotens adiutor & protector noster est, & nomen sanctum ejus erit nobiscum. Et addidit: vias tuas, Domine, notas fac nobis, & semitas nostras dirige in viam pacis. Et iterum dixit: custodi nos, Domine, sub umbra alarum tuarum, protege nos scuto veritatis, & dirige nos in viam rectam propter nomen sanctum tuum, quod laudabile & gloriosum in omnem terram, & in exitus terrarum. Et respondentes presbyteri una cum junioribus dixerunt: amen. Sanctus vero Cassianus episcopus elevans manus ad coelum, inquit: Domine Jesu Christe, salvos fac servos tuos sperantes in te. Exiit autem pergens itinere coepito beatus Pontifex pridie Kal. Aprilis, faciens iter sex mensibus, hoc est usque ad Kalendas Octobris. Et praedicans verbum Domini, & multa idola gentium destruens & baptizans plurem populum, atque ad viam salutis aedificans in nomine Trinitatis, & multa sanctorum Martyrum per civitates visitans loca, & secum reliquias eorum ad salvandas animas exhibens, percunctatus homo Dei * Africe portum, gubernante Christo, prospera navigatione Massiliensi urbe affuit glorificans Deum. Quis dubitet divinum affuisse auxilium? Beatissimus hic famulus Dei inter haereticos & paganos & saevissimas persecutiones, Angelo comitante, Eduae affuit civitate: quo tempore beatus Simplicius urbis Eduae episcopus pontificalis adhuc tertius successor Cathedrae sanctam ecclesiam gubernabat. Et quia inveterata idolorum cultura in hac urbe a quibusdam colebatur, praedicatione ipsius multi Deorum suorum simulacra deferentes, ad poenitentiam & baptismi gratiam per venerunt, & orationibus suis, divina manante gratia, circa infirmorum reparationem, vir Dei Simplicius Pontifex beneficia conferebat. Cum autem sanctus Cassianus episcopus ad oratorium sancti Symphoriani martyris pervenisset, ubi ejus sancti corporis reliquiae venerantur, orationi sine intermissione novus habitator assistebat. Nuntiatum est autem sancto Simplicio episcopo, quod homo Dei, nomine Cassianus, ab oriente de trans mare advenisset: quo auditu venerabilis Pontifex cum magna veneratione cum hymnis & canticis eum suscepit. Sanctum autem Cassianum episcopum beatus Simplicius in osculo sancto complexus est, & immolaverunt utriusque omnipotens

potenti Deo sacrificium laudis . Gaudens enim beatus Simplicius de adventu hujus justi , qui talem meruit socium ad incredulitatem malorum hominum erudiendam ; & diligens eum omni fraternitatis amore , semper secum habere eum desiderabat . Inter haec autem sanctus Cassianus ait ad eum : Frater sanctissime , in Britanniam volo proficisci . Beatus Simplicius volens in solarium euin detinere, respondit : Frater, tempus expecta , & Dominus ducet te in viam, quam desideras . Fuit autem sanctus Cassianus apud eum triennio . Post haec obiit beatus Simplicius viij. Kal. Julii , & sepelivit eum sanctus Cassianus cum laudibus in cimiterio , qui est in conspectu ipsius civitatis: qui per singulos dies offerens oblationem sacrificium Deo immolabat pro eo in memorialem aeternam . Post unum autem annum omnis clerus omnisque populus tam divites , quam pauperes una voce consona constituerunt sanctum Cassianum sanctae ecclesiae Apostolicae dignitatis . Cui tantam gratiam Dominus Jesus Christus conferre dignatus est , ut a sidue miracula per eum ostenderet , coecis lumen redonaret , surdis auditum , debilibus sospitatem , aegrotis incolumitatem tribueret , & omnem hominem diligebat , sicut se ipsum . Consummavit autem regens ecclesiam beatus Cassianus episcopus annos uiginti , & migravit ad Dominum Jesum Christum, resurrecturus cum sanctis in gloria aeterna . Post cujus abscessum venerabiles suprascripti socii & comites ejus narrantes actus beati magistri , & consribentes historiam vitae ejus , migrantesque a saeculo , eodemque cimiterio , quo & Pontifex, tumulantur . Ope rae pretium est ad laudem beatissimorum congrue adjiciendum .

¹¹ Dum sanctus Germanus Autissiodorensis episcopus Romam pergeret , in tumulo beati Cassiani Pontificis Augustodunensis ecclesiae ita divina virtus apparuit , ut in Pario lapide contrarius color crucem exprimeret , & salutare signum varietas distincta monstraret . quo cum sanctissimus Germanus advenisset , fusis ex more Christo precibus , quid , inquit , gloriose frater agis ? Respondisse e tumulo Cassianus relatione veridica perhibetur : dulci in pace quiete potior , & adventum Redemptoris expecto . Cui Germanus mutua sermonis vice dixisse narratur : quiesce per longum , in Christo Frater, tempus . Ut autem divinae tubae cantum , & exoptati clangoris sonum ac sacræ resurrectionis gaudia obtainere mereamur , & pro nobis & pro hac plebe attentius intercede apud Dominum nostrum Jesum Christum,

stum , cui est cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria , salus , virtus & potestas in saecula saeculorum . Amen ..

NOTE.

I HIC deest principium seu prooemium , quum forte haec vita concinnata fuisset , ut recitaretur in divinis officiis , sicuti pleraque Acta Sanctorum aevi inferioris , quae inveniuntur descripta in Passionariis & Lectionariis ecclesiarum . Istud autem principium sive praefationem , quam Bollandistae Parisiis exscripsérant ex MS. Claudii folii , a clarissimo Janningo missam hic exhibeo : Egregium , summaeque utilitatis est sanctorum vitas describere , eorumque merita praeconiis attollere summis . Ergo B. Cassiani Pontificis vita luculentiori praecipue elucidanda stilo ; qui in tantum Deo placere studuit , ut aeternitatis praemio & felicitatis dono digna retributione remuneraretur in coelo . Igitur , &c.

2 Ita vocatur etiam in vita metro descripta : quem tamen Bellavacensis , S. Antoninus , Petrus de Natalibus , Breviarium Aeduense , Abbas Maurolycus & Acta ipsa inferius Zenonem appellant . Zenonis autem martyris Alexandriae meminerunt Martyrologium Romanum & Lucensem , Usuardus , Ado , Notkerus , & Beda die 15. Julii .

3 Hilarinum martyrem passum sub Juliano memorant eorundem Martyrologiorum auctores : sed aliqui ad Ostia Tiberina , alii Arretii in Tuscia martyrium fecisse tradunt , uti docet Florentinius in notis pag. 665. qui etiam observat in MSS. codicibus illum non dici monachum : quo titulo a quibusdam ornatur . An vero hic Hilarinus esse possit is , de quo loquuntur Acta S. Cassiani , ego affirmare non ausim , quanvis in Italiam venire potuerit , ut idem quoque Cassianus venit .

4 Quia heic dicitur S. Cassianus servis suis pietatis causa libertatem largitus , vereor ne id sit noni saeculi consarcinatio , quo ejusmodi servorum manumissiones crebrius fieri consueverunt : de quibus ego aliquando Italice differui . Quum autem in historia miraculorum sancti Cassiani infra vulganda habeatur , Hugonem Abbatem filium Caroli Magni anno DCCXL . a Moduino episcopo Aeduensi impetrasse corpus ejusdem sancti , quod transtulit in monasterium sancti Quintini ; fortasse eo tempore ex veteribus Aeduorum tabulis utraque haec vita conscripta fuit ad usum ecclesiasticum . Certe utriusque stilos non videtur aevum antiquius indicare .

5 Adhuc Hortensis ecclesia cathedralis sancto Laurentio martyri dicata est , & in antiquo palatio episcopali exstitit facellum eidem Le-

vitae

vitae erectum : quem pro patrono Hortenses hodieque venerantur .
 Videtur autem Actorum scriptor Hortensem hanc urbem immani pro-
 digio in Aegypto collocare : quod inferius luculenter scribit , atque
 idem tradit etiam auctor sequentis poematis : in quo sane uterque
 falsus est ; nam nulla unquam Horta in Aegypto stetit , si omnium
 scriptorum silentim aliquid valet : qua de re me insuper certiore
 fecit V. C. Bernardus de Montfaucon olim a me consultus , quod sci-
 rem in geographia Aegypti eum egregie versatum occasione praestan-
 tissimae editionis operum omnium sancti Athanasii , quam ipse ador-
 navit . Hinc Andreas Saussayus in Martyrologii Gallicani tom. I.
 pag. 494. quum nullam Hortam in Aegypto reperire potuisset , scriptis
 Cassianum fuisse episcopum Orthosiados , ex uno errore alium indu-
 cens . siquidem non una , sed binae fuere Orthosiades sive Or-
 thosiae , ut animadvertisit Henricus Norisius in Addendis ad Epo-
 chas Syromacedonum cap. 3. §. 5. pag. 474. Prima Orthosia fuit urbs
 Phoenicum maritima , alia in Caria . At neutra harum urbium fuit
 in Aegypto : neque Saussayus expressit an Cassianus fuerit episcopus
 Orthosiae in Phoenicia , an alterius in Caria , etsi in utroque aber-
 rasset a vero . Inde tom. 2. pag. 1249. in excerptis e Martyrologio san-
 cti Sabini ante annos 500. exarato recitat haec verba . Eodem die
 (v. Augusti .) depositio sancti Cassiani episcopi & confessio-
 ris , qui ardore martyrii & disciplinis instructus coelestibus , in
 civitate Aegyptiorum vocabulo Ortensi episcopus est ordina-
 tus : in qua cum ecclesiam construeret , beatus martyr Lauren-
 tius ei apparuit , & ut eodeni suo nomine dedicaretur admonuit .
 Deinde divina revelatione Gallias penetrans , Augustodunen-
 sem urbem adgressus , a sancto Simplicio ejusdem urbis episcopo
 honorifice suscepimus est : ministratoque sancto Simplicio sacer-
 dotio & defuncto , in ejus locum sanctus Cassianus subrogatus
 est episcopus , ubi & multis coruscavit virtutibus , & requievit
 in pace . Ad cuius sepulcrum B. Germanus Autissiodorensis epi-
 scopus veniens & ex more christiano preces fundens fertur allo-
 quitus . Quid (inquit) frater Cassiane agis ? Respondit B. Cas-
 sianus : dulci quiete in pace potior , & adventus Redemptoris
 expecto . Cujus corpus postea multitudine miraculorum coru-
 scans , in municipium , quod Augusta Vermanduorum nuncupatur , est translatum , & infra basilicam beati Quintini martyris
 sepultum . Haec omnia non aliunde sumpta sunt , quam ex his nostris
 Actis , uti diximus , conscriptis post corporis translationem : ex quibus
 Hortae Aegyptiana error profluxit : quam quia deprehendere nec

Florentinius potuit, pag. 725. legit, non Ortenis, sed Ostiensis civitatis in Aegypto, quae item ibi nusquam exstitit.

6 Julianus e vivis sublatus fuit anno CCCLXIII. die 26. Junii anno aetatis suae 31. quum imperasset annum unum & menses octo inchoatos, ut statuit Pagius. Ei mox successit Jovianus, qui piissimus Imperator dicitur in libello Synodico Concilii Alexandrini a S. Athanasio celebrati. Obiit vero Dadastanae inter Bithyniam & Galatiam die 16. Februarii anni CCCLXIV. cui die 25. ejusdem mensis successor datus est Valentianus.

7 Is. qui haec Acta conscripsit ratus Hortam non in Tuscia suburbicaria, sed in Aegypto sitam fuisse, putat Jovianum in iis partibus constitutum, Cassianum in episcopum eligendum commendasse. In veteri Breviario Aeduensi, ex quo infra dabimus vitam S. Cassiani, haec habentur: Praesente itaque Imperatore populus urbis Hortensis, qui Pastore indigebat, Cassianum Pontificem acclamavit. Sed utique, imperante, non praesente Joviano id factum est, ut Bellovacensis, S. Antoninus, & episcopus Equilinus, in hac re audiendi, testantur.

8 Plures quidem Cassiani memorantur in tabulis ecclesiasticis, 26. Martii, 13. Augusti, 1. & 3. Decembris. At omnes ante Jovianum Imperatorem floruerunt. de hoc vero Cassiano Asiae regionis nequicquam occurrit: neque ejus ulla fit mentio in lectionibus Breviarii Aeduensis, neque apud Bellovacensem, ceterosque scriptores.

9 Quum S. Zonis sive Zeno passus tradatur in persecuzione, nempe Juliani, & ejus corpus a Cassiano sepultum, id utique factum antequam in Italiam navigaret, & antequam ad episcopatum Hortensem evehheretur: quod tamen confundit scriptor Actorum.

10 Cassianus heic dicitur ex sua ecclesia Hortensi in Gallias migrasse praedicare verbum Dei. Certe translatus non fuit ex ecclesia Hortensi ad Aeduensem: quod tunc raro exemplo factum in occidente docet clarissimi nominis Cardinalis Josephus de Aguirre in dissertatione xi. tom. primi Conciliorum Hispaniae: neque alia caussa suppetit cur ecclesiam suam deseruerit. An episcopis in calamitate licuerit fuga sibi consulere, docte de more disquirunt Monachi sancti Mauri in vita sancti Augustini libro viii. capite viii. num. 7.

11 Haec, quae sequuntur, sumpta sunt ex Constantio in vita S. Germani Autissiodorensis episcopi lib. i. cap. vi. apud Surium die 31. Julii. Nostri Cassiani meminit Martyrologium Romanum die 5. Augusti. ejus vero sepulcri S. Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum capite LXXIV.

III.

ACTA SANCTI CASSIANI
METRO DESCRIPTA.

Ex codice MS. 408. bibliothecae S. Germani Parisiensis ab 800. annis scripto, in quo deesse videtur principium ac finis.

I. *Acta sancti Cassiani.*

AT tuba terribilem sonitum cum protulit istum,
Agmine discipulum Christi pangente triumphum,
Splendor justitiae per eos effulgit in orbe.
Tunc caepere viri divino flamine pleni
Surdis auditum, caecis imponere visum,
Attactum mancis, gressum concedere claudis,
Doemonas expelli, functis halitum reparari.
Haec ubi viderunt, vitae spem corde tulerunt,
Atque sequi Christum semet vovere per aevum,
Quotquot erant scripti coelestis cortice libri.
En operante Deo, qui jure triumphat ab alto,
Auster & occasus, Boreas radians & Eous
Credentes, tanti gaudent affamine verbi.
Jam Thrax, & Parthus, pellem mutavit & Indus,
Perfes cum Medis vitam, mollisque Sabaeus,
Teucerus, Argolicus, Tyrrhenus, sive Sabinus,
Gallus & Hispanus, Britto, Pictusque, Gelonus,
Romanus celeber, nec non bellaxque Sicamber
Perfidia exuti, permulsi lacte fidei,
Idola siverunt, baptisino seque piari.
Sicque prophetalis completa est dictio vatis,
Quae canit in cunctis procedere finibus orbis
Verbum discipulum, retulit quod lingua salutis.

II. *De conversione Aegypti & origine
beatissimi Cassiani confessoris.*

Hoc cum Memphiticis lumen radiasset in oris
* Forte
natum. * Naëtum Syrophanis ponunt , illudque capescunt ,
 Magnis coelitibus tribuit quod munere Christus ;
 Hic tenebras pelli , lucem tueris oriri ,
 Idola frustrari , vexilla crucis venerari ,
 Quadrigas teneris sublabi fluctibus altis ,
 Israel in solido gratari carmine mixto .
 Unde tibi meritas efferem , Rex Deus , odas ?
 Quod factum fuerat , tua gratia nunc subabundet ,
 En sanctos generat , quae olim simulacula patrabat ,
 Monomachos gignens , & eos coelestibus indens ,
 Quos inter Cassianum nuperime sanctum
 Produxit puerum multo de sanguine cretum ,
 Quem genitor locuples , & rerum emblemata dives
 Chrismate perfusum scholis dedit erudiendum .
 Hunc pius Antistes Zonis , post Martyr enormis ,
 Instruxit verbo , redimivit stigmate pulchro .
 Scripturas peragrat , quae sunt arcana retractat ,
 Nec abduntur ei quaecumque obscura teguntur ,
 Donec catholicum lumen penetraret ad unguem
 Flore juventutis redolens primaevae adolescens
 Libavit totum Domino se se in holocaustum ,
 Ei servire volens , cui se subjecerat ardens .
 Crescebat meritis vitae , crescendo momentis ,
 Quod lex praecepit , quod patris gratia sanxit ,
 Viribus egregium totis imitando magistrum ,
 Implebat studio , legis duo iusta patrando .

III. *De virtutibus spiritualibus in eo.*

In terea juvenis capsim formatur ab annis ,
 Quodque prius coepit , gestis cumulabat opimis .
 Nempe viro factus digno consors Ilarino ,
 Excubiis nictat , divinis laudibus instat ,

Tem-

Templa beatorum lustrans , & eos prece pulsans
Optabat meritis ipsorum seque juvari .
Quos animo ardenti sitiebat valde imitari ,
Hinc Xenodochium reparat , distendit & ornat ,
Quo fessis epulas , miseris solamina dedat ,
Visitet infirmos , dapibus sustentet egrotos ,
Non sua perquirens , sed Christi dogmata complens .
Prodere si scripto , si fas est dicere verbo
Quae bona vir caelebs divino nectare sollers
Monstrabat studiis , jugibus firmans documentis ,
Talibus instaret curis dum tyro fidelis
Extemplo nili volat ingens fama per urbes ,
Territat & plebes ejus de gestibus omnes ,
Unde elacres una dicebant voce sonora ,
Est Cassianus nobis adeo recolendus ,
Nobilitate nitet , virtutum agalmate floret ,
Moribus illustris , merito sublimior altris ,
Effigie rutilus , nulli pietate secundus ,
Archas mellifluus , fama super aethera notus ,
Nos inter nemo degit praestantior ipso .
Talis Niloticam replebat dictio terram ,
Extollens Cassianum fama meritorum .

iv. De Juliano nequissimo Imperatore.

JAM Cariath-Seph & Josue destruxerat alter
Et muros Jericho prostravit funditus aruo ,
Competa * per mundi jubilantibus omnia Sanctis :
Heu dolor ! Orbicolae lugentes , obsecro , flete ,
Cum sacer atque ferox nimium Julianus & atrox
Suggestum Imperii temeravit corde procaci :
Hic tanto scelere ante alias immanior omnes ,
Quantus ad astrigerum tendit suspectus Olympum ,
Unde erga Sanctos bellum commoverat excors ,
Induperans perimi , & nullum super arua papisci .
Quod mandat teter , gaudet parere minister
Efficitur strages , jugulantur cuspide testes ,
Jerusalem cives regem coeli venerantes
Traduntur flammis , merguntur fluctibus altis ,

* Compi-
ta.

Torquent eculeos , nexus patiuntur ahenos ,
 Occumbunt justi , multantur ubique beati ,
 Sic Caesar statuit , dirus sic lictor obaudit ,
 Quos fugat Imperium , recolunt spelaea ferarum ,
 Bellua conservat , hominum quos mucro retruncat .
 Audi terra , rogo , coelum , superaspice , quaeso ,
 Ferte virum sterilem nocuos * sine reperi mente .
 Bacchavis Caesar , baccharis perfide frustra ,
 Pridem discipulus , nunc vilis Apostata factus ,
 Arbos tu sterilis , lignis aquatus adustis ,
 In Erebo frueris , nec quemquam voce lacescis ,
 Viciisti Galilaei Deus , jam Caesaris actus ,
 Tu potis & clemens , tu Rex in fasce refulgens
 Multasti rabidum coelesti fulmine fossum .
 Quo circa celebres tibimet dicemus honores ,
 Qui miserans justos , baratro dimergis * acerdos .

* acerbos.

v. De Zone Magistro ipsius, & martyre.

Iste furor Zonem vitae direxit ad arcem
 Fretum martyrio post vinclum nobile fert
 Mausoleum Cassianus civilico alumnus
 Edidit in templo carum tumulando magistrum
 Exortum Maii cum stiva inflamat Aprilis ,
 Cujus mirificum jugiter memorando triumphum
 Debita victori sacravit voto perenni
 Teste praeconans , & eum cum laude frequentans .

vi. De Joviano Imperatore Christianissimo.

Blasfemus tenebras postquam properavit avernas
 Compos orbigenum motus pietate suorum
 Fulgura sedavit , hostes ditione subegit .
 Nam Romana phalanx orbem mucrone refrenans ,
 At * Regni sceptrum procerem bonitate refertum
 Ab Iove de legit Jovianum nomine dictum ,
 Juppiter ut populo exstaret de agnomine recto .
 Hic armis strenuus , Domini cultorque monarchus ,

Chri-

Christicolas vivit * Paganos credere fecit ,
 Ecclesiam statuit , flocci figmenta redegit
 Orbni judicio , gentes correxerat aequo .
 Is quoque Taphneos cum transmigrasset ad agros ,
 Ortenis populus sacro Pastore carebat .
 Quod herus agnoscens , jussit perquirere statim
Quid super hoc Domini vellet sententia magni .

* vel uniti

vii. *De electione Cassiani.*

UNANIMES igitur Domini suffragia poscunt ,
 Illis Pontificem daret ut sibi jure placentem .
 Tum legione precum motus fator ipse polorum ,
 Sanciri Cassianum de more patronum ,
 Ornatum donis , fultum coelestibus haustis
 Innuit , adspirans introrsus hoc super omnes ,
 Id siquidem Augustus Caesar fieri haud refragatur :
 Insuper hortatur , mandat , favet , atque precatur .
 Abnuit hoc humilis , nec se vult subdere curis ,
 Taedia non vitans , sed vires defore testans .
 Vulgus ad haec valido strepitique tumultuat alto ;
 Nos scimus , quod sis a Cunctipotente ditatus ,
 Prosapia vernas * gestorum , & simplicitate refulges :
 Nolis , sive velis , Praesul dominabere nobis .
 Noster civis ades ; ideo nos optime pasces ,
 Sic clamat coetus , sic annuit ipse senatus ;
 Vox coelo fertur : Cassiani moderatur
 Mens quo subigeret quod Caesar , plebsque rogabant .

viii. *De ordinatione ipsius.*

TUNC ergo Sanctus tantorum voce coactus
 Excepit regimen supplex , & nobile nomen ,
 Alter enim Cassianus cum Caesare * ventus
 Ex Asia , aequivocum sacravit honore patronum .
 His autem gestis inerat dux inclitus Orbis
 . . uironique patres orbem mucrone colentes .
 Adfuit & clerus , nec non Taphnea juventus .

* ideft, qui
venerat

Gaudebant omnes odas Domino referentes ,
 Qui sibi Pontifice in tribuit praeesse cluentem ,
 Praesul in solium postquam conscenderat altum ,
 Ornatus stola , luculentus veste sacrata ,
 Actibus in cunctis talis virtute refulsit ,
 Qualis limphasea * perlautus Lucifer unda
 Cum surgens croceo subtexit fidera peplo .
 Praedicat hinc populis summi magnalia Regis ,
 Monstrans exemplis , suadebat quaeque loquela
 Gloria quae justis maneat , quae poena profanis ,
 Qui decor in superis exstet , qui stridor in imis ,
 Rebus in humanis quam sit fiducia * calvens ,
 Expediit dictis , affirmans rebus apertis .
 Totum se Domini maestabat pronus ad aram ,
 Extans ara suavis , & hostia , sive facerdos .
 Quis Rhetor liquido quibit depromere scripto ,
 Qualis in adversis fuit , & per prospera mitis ,
 Parcus quamque sibi exstitit , & quam largus egenis ?
 Vitabat pompam , mundi sternebat honorem ,
 Divitias calcans , & eas ut stercora damnans ,
 Spargebat gazas , indens coelestibus illas ,
 Quo potiretur eis resolutus carcere carnis .
 Clarus erat vultu , sed tanto clarior actu ,
 Eloquio dulcis , habitu , gressuque suavis ,
 Ore quidem nitidus , semperque in mente serenus ,
 Exsuperas plane turgentis lata poetae
 Impetus actorum meum vincit valde tuorum
 In * quamquam valeo , laudes tibi ferre nequibo
 Heus athleta Dei vigeas in culmine Divi ,
 Gaudia cum Sanctis habeas per pascua pacis .

ix. De ecclesia in honore S. Laurentii dedicata.

DEnique delubrum struxit mirabile dictu
 Moenibus Ortensis , rebus sublime secundis ,
 Quodque necessariis egit , pia dona ministrans .
 Ipsi culmen cum pervenisset ad unguem ,
 Et nox atra polum bigis subiecta teneret ,
 Pastor & in fulcro fessos componeret artus ,

Serpere dans seram leviter per membra quietem
 Vifa fuit coelo facies dilabier alto
 Laurentii testis , vocesque effundere talis :
 Imperio Patris huc venio , Dionae sacerdos ,
 Qui te Jerusalem scripsit magnum fore civem ,
 Hoc siquidem templum sollers , quod praeclue dudum
 Marimore finxisti , * pulchroque tulisti
 Nomine Laurenti sacretur honore perenni .
 Haec ait , & sudum martyr reneavit Olympum .
 At Pastor strenuus tanto de famine certus ,
 Nil titubans jussis obtemperat ilicet istis ,
 Dedicat Ecclesiam Laurenti nomine factam ,
 Et decus , & nomen praescripti semper habendam ,
 Talibus auspiciis vivebat custos herilis ,
 Mortuus huic mundo , praenitens vivere Christo ,
 Corpore nam terris , animo degebat in astris .

x. De meditatione peregrinationis ejus .

Praeterea Sanctus tantorum nectare vultus
 Donorum conans praedicti exempla magistri
 Actibus aequiparare suis , conspexit abesse
 Martyrium , per quod mactus conscenderet aulam ,
 Ardebat spectans cum quo luctamen iniret ,
 Post alapas ictus , post carceris atria nexus ,
 Post ferrum flamas , post lethum gurgitis undas
 Ferre volens , animo & praestanti corde cupiscens ,
 Has sitionis epulas , nequid speraret , habebat ,
 Hoc torrens aestu , nuno huc , nunc fluctuat illuc ,
 In partisque rapit varias , per quem omnia versat ,
 Si laxando gtegem vestiget Praefidis ensem ,
 Saepius id replicat , solito notissima pulsat ;
 Judicium quaerit , veniat quod coelitus illi ,
 Explorat pronus , quid vellet ab aethere Christus ,
 Incumbens lacrymis , corpus suspendit ab escis ;
 Pernox infudat , cordis timiamata mactat ,
 Has inter curas occurrit summa potestas ,
 Maudans Aegypti gentes , & rura pacisci ,
 Atque Sicambrigenum yasto prae aequore regnum

Expe-

Expetere , ut populis ferret pia dogmata Gallis .
 Implens praeceptum , promisit quod doxa piorum
 Ergo certa sciens , & veri nuntia credens ,
 Obtulit extempro Regi libamina magno ,
 Qui non omittit propria quos morte redemit .

*xii. De convocatione popolorum , & con-
 quirente populo .*

* Quies **C**onvocat hinc socios in eadem sorte dicatos
 * Quis primo votum , post pandit herile rogatum ,
 Quos ubi contra stare videt molimine firmo ,
 Prodidit arcanum , quod Christus ab axe polorum
 Innuit . Inde favent omnes insistere coepito .
 Ardet abire dehinc , propriamque relinquere terram ,
 Cumque * laon patulas istud percelleret aures ,
 Diriguit subita gelidus formidine sanguis ,
 Atque incredibilis rerum fama occupat omnes .
 At Pater ignorat quo prima exordia sumat ,
 Sic alternanti potior sententia visa est ,
 Accersire gregem tanta formidine flentem ,
 Ac lenire illos edictis mollibus omnes .
 Undique convenient inopes , magni & mediocres ,
 * Quis sacer exorsus folio sic infit ab alto :
 Cunctipotens genitor hominum , rerumque repertor ,
 Vos fidei testes , & spei robore fortis ,
 Consortesque sui quo circa nominis almi
 Jam fore concessit , verbi nec lacte caretis ,
 Viribus ut totis illum jugiter recolatis ,
 Cuncta refutantes , ipsum super omnia amantes ,
 Prospera vitando , & nunquam perversa tremendo ,
 Vobis edicam repetens , iterumq[ue] inonebo .
 Eja estote viri fortis , nullumque paventes :
 Non pastor deerit vobis , non cura salutis .
 Pascet qui fecit , firmabit , consolidabit
 Justicium cohibete , rogo , caeptosque dolores
 Temnite , nec ullus votis obsistat adeptis .
 Quod facere exopto , Rex Christus ab aethere celso
 Favit , & ad metam monuit perducere certam ,

Haec ,

Haec , & plura loquens Patrum , monumentaque censens ,
 Tentabat lenire animos , & reddere laetos ;
 Haec ubi dicta dedit , populi clamore profari
 Coepere ingenti , fredentes corde dolenti ;
 Sin alios fines , aliamque capescere gentem
 Est animus , poscisque solo decedere nostro ;
 Quis caulas reget ? hancque quis , heu ! bene pascet ?
 Ipsi sedato respondet pectore Pastor ,
 Spei vultu simulans , pressansque in corde dolorem :
 Voluite corde metum , cari secludite curas ,
 Christus erit Pastor vobis , & cura salutis :
 Rectorem tribuet , qui vos ad pabula ducet .
 Fidite in ipsius suffragia firmiter , eja
 Semper honos , vestrumque decus , nomenque manebit ,
 Nec vos ulla dies unquam mori eximet aevo .
 Immanis convexa polus dum fidera pascet :
 Sic Pastor strenuus . Tandem Memphea juventus
 Respondet verbo , non sic in pectoris antro :
 Incipe , iam volumus , jussit quod ab aethere Jesus .

xii. De ordinatione urbis , & electione sociorum .

O rdinat hinc urbem , plebi statuendo levamen ,
 Componit , ditat , tuitur , benedicit & ornat ,
 Eligit & socios his nominibus vocitatos ,
 Presbyteros , Domitianum , Didimum quoque , binos
 Viribus insignes , omni bonitate clueutes .
 Levitas equidem numero sibi junxerat aequos ,
 Ambos florentes aetatibus , Arcades ambos ,
 Et cantare pares , & item proferre * volentes ,
 Orionem primum , Neonan dictumque secundum ;
 Lectorum vero cuneus supereminet , uno
 Indicens numero quod habebant cordis in alvo ,
 Sichas , Amon , & Honorius , Eronesque vocati ,
 Nam Nathaneum sibimet connexerat unum ,
 Cui spei fervor , fidei , caritatis & ardor ,
 Ingenianus erat nomen , dilectio duplex ,
 Simplicitas illi prudens , prudentia simplex ,
 Sobrius & castus , cuncta bonitate decorus .

xiii. De peregrinatione sancti Cassiani.

HIS etenim septem sociis , cursusque ministris
 Inclitus Antilles , Dominique exful luctulentus ,
 Coepit iter gaudens , & amore Dei profiscens ,
 Linquens Aegyptum , petiturus * Rus Eduorum ,
 Mox urbis legio digressu mota supremo
 Prosequitur lugens , actus patris reminiscens ,
 Plorabant una dicentes voce sonora :
 Cognatas urbes quondam , populosque fideles
 Fulcibas donis , & alebas vir pietatis .
 Proh dolor ! Ecce relinquis eos , pretiose Sacerdos ,
 Quo tua sancta fides nobis jam credita callet ?
 Externos properas , nobis praeesse refutas ,
 Cui nos commendas Aegypti * misea lampas ?
 Cui famulos tradis ? Cui urbis septa relinquis ?
 Cur abicis Clerum , fugiens , cur deseris istum ?
 Oramus , plebi miserans sucurre gementi ,
 Centuplicant gemitus , reboat Saronia tellus ,
 Increpitant montes , disfluntant undique colles ,
 Et stridor fratum coelo , fletusque querentum .
 Tum pater evictus lacrymis ita fatur obortis :
 Pellite jam fletus , removete a pectore questus ,
 Semper amor vestri , & nomen , laudesque * maneabant ,
 Nec unquam vestri prorsus meminiisse pigebit ,
 Dum coelum stellas , pecudes dum terra tenebit ,
 Vivite felices filii , peto , vivite Christo ;
 Maesta salus , bonitas , pax & concordia perpes ,
 Vobiscum maneant , vitae * atque palatia ducant ,
 His autem dictis demulcent corda dolentum .

xiv. Benedictio sancti Cassiani super populum :

INde manus coelis tendens , & labra patescens ,
 Illos * altithro commendat , taliter orans :
 Tu Deus aetherei perpes regnator Olympi ,
 Qui coelum , terras , pontum ditione gubernas ,

Qui

* hinc patet auctoritem hujus ritac Gallicum esse .
 Sicut enim Galli lingua sua vernacula urbem Villam dicunt , sic ipse latine reddidit Rus
 * mystica

* manebunt

* adque

* altithrono

Qui regis Israel cum nato & flamine sancto ,
 Qui reges & regna domas , sternisque superbos ,
 Sublimas humiles , deponis ab arce potentes ,
 Spes hominum cernens , & vota precantia complens ,
 Hos , exposco , tuos supplex clementer alumnos
 Conspice , clarifica , condi , compone , corona ,
 Mores illustra , vitam rumore secunda ,
 Actus custodi , sensus , Rex inclyte , nutri ,
 Donec te videant , ac vitae praemia prenant ,
 Te praestante , Deus , qui semper trinus & unus ,
 In triplici virtute tui benedictus haberis .
 Fantur amen cuncti , tudentes pectora pugnis ,
 Tunc Pastor pacis porrexerat oscula cunctis .

xv. De profectione ipsius.

HIS ita dimissis , statim vestigia torsit ,
 Sol Martis supremus eo rorabat Aprilis
 Exortum , madidos quatiens ex aere nimbos ,
 Cum vates Domini gaudens coepit proficisci ,
 Stipatus sociis supero sermone relatis .
 Ergo iter electum celebrantes calle secundo ,
 Idola cassabat , sculptilia comminuebat ,
 Narrabat plebi mysteria regis Olympi ,
 Qualiter omnipotens unum sine tempore Verbum ,
 Quae de se genuit , per quod sunt omnia , fecit ,
 Spiritus adnectat , procedat qualiter alimus
 Personis ex ambabus deitate coequus .
 Has tres personas unam dissertat usiam
 Nomine distinctam , sed maiestate jugatam ,
 Hoc etiam Verbum carnis ceu sumserit ortum
 Edocet in populis , referans arcana Tonantis ,
 Pegma crucis subjisse , hinc Infernum spoliaſſe ,
 Hoc ait in vicis , hoc urbibus , hocque plateis
 Israelita cluens , Saronis opaca pacifcens ,
 Haud metuit sicam , quam nitebatur acutam
 Nancisci , si conferret miseratio Christi .

xvi. *De adventu ejus ad Massiliam urbem.*

TAlibus a gestis exceptus miles herilis,
Post octogenis centum tribus atque diebus
Actis externis, ferme vi. mensibus hoc est,
Massiliam, ducente Deo, citus appulit urbem,
Erutus insidiis, Paganorumque sagittis.
Nam statio curvis illic bene fida carinis
Aequora verrentes recipit, ripaeque remittit,
Unde Africæ portus digno sermone cietur.
Inde Dei famulus per tot discrimina vectus,
Classem digrediens, urbisque ad moenia tendens,
Intonuit turmis alti magnalia patris,
Quae didicit cunis sollers vehementer ab ipsis.

xvii. *Ubi divinitus jubetur ire ulterius.*

SE D quoniam portum dimenso tramite mundum
Finit, ulterius mandatur abire beatus.
Nec nutat iussis, quae dirigit auctor ab astris.
Corripuit callem Gallorum rura meantem.
Callendo radiis flagrabat abunde coruscis,
Ceu jubar ignivomum croceo fulgore venustum,
Cum sedet in bigis extingueens fidera flammis.

xviii. *De adventu ipsius ad Eduae urbem.*

ULT vero sacris tetigit magalia plantis
Ardua Francigenum, quae dicitur urbs Eduorum;
Expetiit glebam multa legione refertam.
Testis ubi ingressus delubrum Symphoriani,
Poplitibus flexis Domini praesidia poscit.
Ilo Simplicius sub tempore pontificatus
Servabat sceptrum redimitus lampade morum.
Altius eloquerer, verum sententia longa
Sermonis: sed summa sequar fastigia tantum.

Quidam Riticius rerum probitate peritus,
 Conjuge decessa, civium cogente caterva
 Admisit regimen dominatus ac moderamen,
 Vixit, uti decuit, demumque in pace quievit:
 Qui latus feretro conjunx ubi functa jacebat.
 Eloquar, an fileam visum mirabile dictu!
 Os patuit, flatum sumsit, haec verba profudit:
 Excipe sancta foror, quem non petulantia foedum
 Effecit, sed virginitas aeterna beavit.
 Sic olim, meminisse decet, moriens petiisti.
 His dictis una glomerantur virginis ossa,
 Dantque locum fratri id mirabiliter rogitanti.
 Sic ambos unum pariter texit poliandrum.
 Hunc Egemonius post acceslit speculatorus
 Ad columen: post tertius hunc Simplicius urbis
 Extitit Antistes, epularum emblemate dives,
 Cui pietatis opus, nec non castissima conjunx,
 Unde simul recubant, jugiter divina frequentant.
 Hic litat, illa orat; hic praedicat, illa ministrat.
 Quo circa vulgo fertur frendente protervo.
 Adstrinxit primas byrro castissima virgo,
 Quasque sacerdoti locio dedit ordine ferri,
 Sinceros prunae urentes ambos * patuere
 Castus amor flamas nunquam trepidare probatur.
 En rogus in stipulis admittit jus deitatis.
 Vim perdit natura suam, conservat inusta.
 Sic fornax pueros dudum non torruit almos.
 Hic dictam cautis urbem moderabat habenis
 Nomine Simplicius de simplicitate probatus.
 Vir coelebs meritis adeo memorandus inquis,
 Unde suis urbem precibus quantisper eandem
 Sedabat, Cibele matris carpenta Deorum
 In terra elidens meritis, iterumque resolvens,
 Omnibus ad Christum conversis, hisque relicitis
 Idola castavit, populum baptisimate * lavit
 Haec quoque Gregorius Turonorum dux luculentus.

* patef-
cere

* secunda
manu san-
xit

xix. *Ubi S. Simplicius beato Cassiano occurrit.*

TAlia dum fierent, vastam volitando per urbem
 Nuncia fama ruit, hujusque allabitur aures,
 Niliacis venisse patrem de partibus almum,
 Qui speculatorias apte moderabat habenas,
 Atque Minervali vernabat famine comitus.
 Hoc supra gratulans Dominum benedicit adorans,
 Qui misit comitem tanto rumore micantem,
 Obviat hinc socio gavisus ab hospite sacro.
 Oscula libarunt mutuo, post tecta adierunt.
 Hinc hilares ambo regi solemnia Christo
 Proni thurificant, longisque precatibus instant.
 Tripudiant ambo sublimes pignere duplo
 Simplicius comitem passim venerando recentem,
 Exsiliens adstat, servit, famulando ministrat.
 At Cassianus mitis Domini peregrinus
 Christo tripudiat supplex, impensa receptat.
 Jocundum plane fratres unum habitare.
 Id citharista canens David Rex praecipit ingens,
 Orabant ambo, perfusi nectare bono:
 Sancibant pariter, Christum poscendo verentur.

xx. *De eo quod S. Cassianus Britanniam voluit ire.*

HA S inter deitatis opes pia viictima Christi
 Antistes Cassianus felix peregrinus,
 Optatum sitiens adeo certamen inire,
 Prodit Pontifici se Britanniam proficiisci
 Velle tenebatur, quae tunc errore profano.
 Quod postquam vates sic est affatus amico,
 Obslupuit dictis, gelidusque per ima cucurrit
 Ossa tremor, steteruntque comae & vox faucibus haesit.
 Dehinc vires revocans, auram mentisque receptans.
 Ah frater dulcis, quis haec tibi ferre suasit?
 Cur senio fessum moliris linquere solum?

Me ne fugis? per ego has lacrymas vitamque clientis,
 Per superos, & si qua fides tellure sub ista est,
 Neu, testor, vetulum linquas occumbere solum.
 Si bene quid merui de te, fuit, aut tibi quidquam
 Dulce meum, miseresce senis labentis, & istam
 Obscero, si quis adhuc precibus locus, exue mentem,
 Sensibus hoc imis, res est non parva, reponas.
 Hujus tu vates urbis vocitaberis olim,
 Atque sacerdotio post me fungeris in isto.
 Sic quoque Simplicius. contra sic vir generosus
 Infit. Te nunquam, frater dilecte, negabo,
 Promeritum necis meminisse pigebit in aevum,
 Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.
 Id tamen haut animo duxi, nec ad hoc quoque veni,
 Quo solium hoc subeam, proprium qui sponte reliqui. * hand
 Ad haec Simplicius tristis, speculator optimus,
 Humeat nitidas largo de flumine malas.
 Tum lacrymis motus heros sic infit adorsus.
 Ne, quaeſo, fleris, frater magnae pietatis.
 Actutum patior, quem vis perferre laborem.
 Taliter evicit, patris quem dextera sanxit.
 Rursum Pastorem post Simplicii requietem
 Vinciris precibus, vinciris maxime Praesul,
 Te caritas tenis * conexat strictius artis. * conne-
ctat

xxi. De obitu B. Simplicii episcopi, & confessoris.

DUM ternos una degunt mortalibus annos,
 Puniceis inventus equis metitur Apollo.
 Postea Simplicius moriens speculator honorus,
 Ultima mundanae clausit spiramina vitae
 Solibus Julii bis iv. ante Kalendas.
 Cujus stelligeris perlatum pneuma choreis,
 Donatum fert, nec non celebri emulento.
 Exsultat, vivit, splendet, laudat, hilarescit.
 Cumque forent artus frustrati munere flatus,
 Hospes mausoleo corpus condivit honesto,
 Thura precum Domino sacrans pro compare tanto.

**xxii. De electione sancti Cassiani
et abnegatione ejus.**

Confestim viduus decestu principis hujus
 Grex Augustudunensem , caepere beatum
 Quaerere Pontificem , scandat quo sedis honorem .
 Denegat omnimodis , nec se vult tradere curis ,
 * vires
 Haud tenui horrens , sed * vires abfore promens ,
 Adventus causam cunctis edicit apertam ,
 Qualiter omisit quod dudum haud ultro recepit .
 Compellunt illi , defenditur ipse viritim ,
 Hi precibus pugnant , ille excusatibus obstat .
 Quaeritur hinc alias , qui sit bonitate coaequus .
 Scrutatur Clerus , nec quis nanciscitur aptus ,
 Qui regimen capiat , vel oves ad pascua ducat .
 Verterat interea solitis discursibus annus
 Mensibus explicitis sua per vestigia voluens .
 Rursus ad egregium unanimes repedant peregrinum ,
 * Adhaerentque preces precibus , quo pontificatus
 Suggestum exciperet , qui tanta mole cluebat .
 Justicio allicitur , lacrymis adeoque gravatur .
 Sic quoque Simplicium memorant dixisse beatum .
 Sic vivens voluit , moriens illudque suasit .
 Evinctus * lacris coelebs , precibusque benignus
 Vocibus arrisit , speculandi frena recepit .
 Hoc Deus instituit ; populus hoc ipse coagit .
 Arbitrium Christi , non est ambitio facti ;
 Non votum sancti , verum violentia vulgi ;
 Post Petrus Ausonios , rexit prius Antiochenos ,
 Hic nutu Domini petiit caput orbis iniqui ,
 Non gazas dapium , sed quaerens lucrum animarum .
 Iste Deo plenus lictoris quaesit iactus ,
 Non opulenta sequens , sed Christi verba perimplens .
 Et prorsus libram praetendere condecet istam ,
 Omnia qui semper justo moderamine pensat .

* Adjnn-
guntque

* Evidens
lacrymis

xxiii. De eo quod Cassianus episcopatum recepit.

IN suggesta ergo Pastor suffectus enormis
 Sicut eques notas comiter moderabat habenas .
 Rethores archidici de promant syrmate dulci ,
 Quae virtus illi fuerit , quae copia fandi .
 Sic natos Domino stabilibat flamine sancto
 Cedere voientes , ejusque profunda stupentes
 Mulcebat di&tis referans mysteria miris .
 Alter erat Paulus typicans oracula rebus
 Imbeciles verbo vegetabat robore prisco .
 Cur morulas faciam . reptans per singula pennam ?
 Debile quicquid erat , solo sermone levabat ,
 Purgans vexatas omni de peste catervas .
 Plenus nempe Dei renitebat sosphorus orbi ,
 Pastor erat vigilans Domini commercia lucrans .

xxiv. De obitu ejus.

TANTUS adultus Christi memorabilis exful
 Erexit cathedram , Jesu opitulante , subactam ,
 Bis annis pariter lectis ex ordine denis
 Tum divos adiens & terras morte paciscens ,
 Exfilio sacram decurso tramite metam
 Sextiles nonas perhibent dum calculatores ,
 Imposuit rutila donatus in arce corona
 Concio , quem instans lacrymosa voce frequentans
 Occuluit tumulo speciosum corpus honesto .
 Ast callis comites magno ductore carentes
 Grammatibusque cati vitam scripsisse magistri
 Optime conspicui tenentes gesta patroni .

*xxv. De Cruce in ejus tumulo coelitus * facto.*

NUM saliam scriptis , quod finxit * doxa Tonantis
 Fistula raucificis eructuet , haec peto metris

* fācta

δόξα

Pro-

κόσμος

Prodere glorificum nimis est reticere pavendum .
 Felix coelitibus postquam fuerat comitatus ,
 Saxo candenti mandatis artibus ejus ,
 Insculpit labarum roseo fulgore decussum ,
 Per quod Christicolis referantur limina cunctis
 Coelestis regni post hujus tempora * cosmi .
 Quid duo nectuntur , res hic arcana probatur .
 Candor enim lapidis splendorem corporis albi
 Praeclue stema crucis roseo fulgore rubentis .

N O T A.

HO C poéma , cuius barbarus auctor Graece doctus & Virgilii studiosus videri affectat , edidimus una cum suis mendis , cum quibus diligenter exscriptum ad nos perlatum fuit . Quoniam vero ejus fundum fuisse putamus Acta , quae protulimus , aut saltem Actis ipsis & poemati unum eundemque fundum fuisse ; non est necesse , ut quicquam aliud hic adnotemus praeter ea , quae supra adnotavimus , nisi quod nunciavit nobis Janningus ; nempe in codice decimi saeculi , qui fuit monasterii sancti Quintini , idem poema dividi in duas partes , & priorem , dempto prologo , quadringentis circiter versibus constantem , hoc habere principium in apographo a sociis suis Bollandianis descripto .

Astrigeros postquam Christus transcenderat orbes ,
 Ad solium patris devicta morte revertens ,
 Coetus Apostolicus toto se sparserat orbe .

Secundam vero partem totidem & amplius versibus conflatam sic incipere significavit .

Ecclesiam cum nanque suam rex Christus ab astris .
 Cerneret afflictam .

IV.

ACTA TRANSLATIONIS
ET MIRACULORUM
SANCTI CASSIANI

Auctore Anonymo Sanquintinensi.

Ex veteri codice MS. Claudii folii Canonici Parisiensis.

I.

PROLOGUS.

Divinorum miraculorum insignia & gloriosarum virtutum propagamenta, quae nostri Salvatoris benigna miseration ad manifestanda Confessoris sui merita pretiosa, manifesta voluit, digne literis committuntur, quatenus eorum memoria posteris reservetur, ad laudem praesertim & gloriam Christi, qui sicut in aeternitatis suae regno sanctum Pontificem suum in aestimabilibus suis voluit remunerari....., ita temporalibus virtutum miraculis dispositi glorificari, ut ex talibus indiciis manifestetur, qualis in regno Christi & Dei habeatur. Illa ergo scribimus, quae postquam Dei dispositione factum est, ut de Aeduorum finibus ad nostros transiret, clara luce manifestata noscuntur, ¹ partim nostris conspecta visibus, partim eorum relatione comperta, qui saepius adesse potuerunt. Nam ex eo tempore, quo gloriosam animam coelis restituit (quod creditur Theodosii senioris fuisse temporibus) usque ad tempus Ludovici Imperatoris Augusti, ² ab eodem scilicet anno, quo temporis sui horam clausit, per annos CCCI. id circa nihil scribimus, quia manifeste non comperimus, quamvis multa de ejus virtutum meritis audissemus; secundum quod venerabilis Gregorius Turonensis episcopus in libro ³ Miraculum scripsit in haec verba: *in coemeterio, inquiens, Augustodunensis urbis vidi B. Cassiani sacerdotis magni sepulcrum a mul-*

tis infirmis erasum, quod pene transforatum eo tempore putabatur: abluuntur enim ex hoc pulvere aegroti, & protinus virtutis magnitudinem sentiunt.

II.

- Anno igitur Dominicæ Incarnationis Dcccxl. praesidente
 4 Augustodunensium Cathedrae & Moduino venerabili episcopo, Hugo Abbas monasterii S. Quintini mittens ad eum Legatos suos corpus beatissimi Cassiani, quod per semetipsum prius postulaverat, expostulavit: cuius petitioni supra nominatus episcopus propter multum amicitiae respectum, reverentiaeque modum, concessit effectum, contuens observantiam excellentissimorum Imperatorum, quorum ipsius Abbatis Carolus Augustus genitor erat: alter vero frater beatissimus Imperator Ludovicus. Collectum denique reverenter sancti Cassiani corpus per sacerdotes suos, quos pro hoc supradictus Abbas direxerat, cum epistola sua misit: in quo itinere quia necesse erat secretius propter tumultum populi Augustodunensium civitatis fieri, nihil signorum apparuit, praeterquam quod unus ex coitinerantibus, cuius vulnus in mammilla intumuerat cum gravi ob hoc molestia, ut remaneret, urgeretur, Cassiani beatissimi merita invocavit, sanitatemque pristinam promeruit, fide in eo operante, tantoque Pontifice pro eo meritis interveniente.

III.

Postquam ergo intra Laudunensium Comitatum venit supradictus Abbas cum sacerdotibus, ecclesiasticoque ordine, cum magno gudio reverenter occurrit, suscepsumque corpus pretiosis aromatibus die altera condivit, & rore balsami perfudit, involutumque findone munda & pretiosa purpura, in loculo posuit, ac elevatum sequenti die ad monasterium S. Quintini ferrari curavit. At cum ipsius diei hora tertia venisset, quia nulli tam sacrum onus verabatur portare, duo, ut postea comperimus, homicidae accesserant, qui, cum ferre loculum vellent, statim miro modo contractum est, & velut longius ire nolens, nisi comprimente turba teneretur, sanctum onus casui * probatur: quod cognoscentes qui circumquaque fuerant, eosdem reos effugere compulerunt, scientes absque dubio, eorum factum ac-
* forte propin-
quabat

cessu , quod siebat . Noluit enim sancta sinceritas manibus sanguinem distillantibus ferri , ne quoquo modo videretur maculari , & ut vivida ejus manifestarentur merita : multis celata ex hoc fierent manifesta , ac non solum hoc tunc illo miraculo , verum etiam post paululum illi caeco illuminato . Beneficium enim accepit qui fideliter accessit : suorum autem criminum patefactionem , qui prius dignam non subjerant poenitudinem .

I V.

Deinde mulier sollicitudine anxia & spe firma festinando occurrit , & in media via se provolvens , Abbatem , qui longius feretrum sequebatur , magna supplicatione petiit , ut feretrum stare juberet , afferens se filium contractum & debilem habere , quatenus occurrere potuisset : cuius Abbas fidem contuens , annuit precibus mulieris , jussitque subsistere loculum : cumque diutius , qui reptabundus venerat , moram in veniendo faceret , hi , qui sanctum corpus portaverant , jussi sunt proficisci . Tunc iterum mulier , ut supra , de subsistendo petiit : cum hoc eodem modo usque tertio ageret : hi , quos pro filii festinantia direxerat , venientes renuntiaverunt , filium ejus loco , in quo fuerat , virtute Dei mirifica & signo mirabili omnibus membris sanum effectum . Reversa igitur est cum convicinis mulier , & licet tanto dono delectarentur , ut cum sancto Dei proficiscerentur , novo tamen spectaculo trahebantur , ut ad eum , qui sanatus fuerat , redirent .

V.

Postquam vero haec per multitudinis conventum resonuerant , coepit fieri auctior debilium concursus ; inter quos quae-dam femina , nomine & loco nota , accurrit , utrisque luminibus orbata , ac utrisque brachiis contracta , reniumque vigore penitus destituta : quae dum traheretur magna violentia nunc ante , nunc retro feretrum sancti ; visum est Abbatii longius sequenti causa eleemosynae taliter eam vexari . Jussit ergo ei aliquid de necessariis erogari , & ne ulterius debilitatem suam fatigaret , moneri . Sed quae ea occasione non venerat , in se-
quendo , constantiam non liquerat . Nec multum , sub umbra arboris deponitur feretrum pro recreatione portantium : illie

Z z ij mulier

mulier accessit , & mox sana fit : aperti namque sunt oculi, olim caecitate damnati: extenduntur brachia, in debilem curvitatem contracta, solidanturque renes, dissipatione soluti. Fit ergo mulier liberrime cursitans , quae prius non minus lumen, quam liberorum gressuum fuerat ignara; satagitque alios ad feretrum trahere , quae paullo ante , nisi traheretur , non poterat pervenire . Eodem etiam loco caecus quidam venit , & lumen, quod diu desideraverat , meritis sancti Confessoris suscipere meruit ; ut aperte daretur intelligi , apud Dominum spiritualibus bonis posse prodesse, qui taliter meritis suis damnatis corporibus potuit subvenire .

V I.

Progradientibus vero inde cum pauculis morularum spatiis, tribus miraculis Confessor sanctissimus enituit, qui ob salutem multorum ad nostros fines venire elegit. Nam inter sequentem vulgum tribus feminis , nominibus & locis notissimis , aperta lux enituit , quas saeva caecitas dudum damnavit . Decepit enim tam astrici luminis fulgore veniente tenebras & cordium & oculorum recedere, ut vigorem suum tanta dignitas ostenderetur servare , talibusque corporeis bonis conspectis, de spiritualibus non dubitaretur, quae conspicere humanitas vatabat .

V I I.

Inter haec autem virtutum insignia & donorum Christi miracula , factum est , transeunte populo cum sancto Domini Confessore , ut circumquaque tot signorum pauco sub tempore divulgarentur famae : unde accidit , ut mulier quaedam domi exitialiter languens , dum nequaquam occurrere potuit , quae per se surgere nequivit , secus ostiolum suum a suis posita, eminus feretrum conspiciens , duni merita Confessoris invocavit , diutini languoris sui perfectam medicinam accepit.nam illico sanata tantarum virium vigorem accepit , ut non solum ipsa occurrere sancto Pontifici Cassiano potuisset , verum etiam filium suum jam majusculum propriis ulnis secum afferret . Occurrit ergo cum puero laudans & benedicens Dominum super omnibus his, quae facta fuerant de illa. nihil enim de omni languore illi remanserat praeter cum multo pallore macies pro longae aegri-

aegritudinis signo & subitae sanitatis dono ; ubi enim propter fidei sinceritatem virtus diuina adesse voluit , languor effugit , nec diutius resistere potuit , quando vera medicina accessit . O vere laudabilem medicinam ubi & fide creditur , & solo visu universi languoris remedium adipiscitur !

VIII.-

Crebrescentibus siquidem turbarum occursibus crebrescunt & miracula : nam inter sequentes turbas non multo moerae spatio interposito , duabus caecis feminis , locis & nominibus notis , lumina negata redduntur , ut fugientibus tenebris divino lumine lux illustrata praesens adesse doceretur.hoc enim veritas de discipulis suis olim protestata est , quod essent sal terae ; quod essent lux mundi ; sal eis , quibus interna tetigerunt ; lux eis , qui digna eos reverentia conspexerunt .

IX.

Cum autem jam portis atrii basilicae S. Quintini propinquaret , languidus quidam puerulus , carrucae impositus trahebatur: non enim quicquam virium illi remanserat , ut aliter adduci posset , cadaveri jam simillimus: qui cum feretrum antecedenter , prohibita est carruca basilicae januas intrare : quod mater pueri cognoscens , filium scapulæ imposuit , non hominis , sed pellis modo pendente; & secus loculum arculæ pavimento omnibus membris adhaerens , aliquandiu jacuit , videlicet quoisque tanti adventus missarum præconiis extitit celebratus . Ex qua hora coepit convalescere puer , cibum petere . etenim tantum se virium accepisse , ut domum posset reverti , non jam in carruca trahendus , sed equo cum patre sedens . Ita misericordissima pietate Dei factum est , ut qui pene cadaver venerat , Cassiani beatissimi meritis adiutus puer ^{* forte} laetabundus rediret . ^{senfit}

X.

Postquam vero in ecclesia B. Quintini susceptus est cum honore reverentissimo & mox in ejus adventu missæ solemnitas ageretur , notae mulieris brachium , quod dudum contractione marcuerat nervorum , extenditur ; & cum mulier in divina

nas laudes erumpere vellet , nec penitus muta valeret , linguae mox solvitur vinculum , ac desiderabile dudum oris redditur officium . Miraculo igitur gaudium , gaudio laus jungitur: quia , quae damnata venerat , soluta regreditur .

X I.

Superveniente autem beatissimi Pontificis Cassiani solemnitatis die , multis circumquaque accidentibus turbis , accurrit & mulier cum ceteris quidem solemnem diem celebrare ; sed non cum ceteris officiorum solemnitates videre : audire enim cum ceteris poterat , aidere non poterat , quam saeva caecitas olim damnaverat . Venit ergo par devotione , impar possibilitate , voluntate simili , miseria dissimili : videbatur tamen illi sat esse , si ei contingenteret interesse . Quo judicio divinitatis misericorditer recensito , Confessoris sui meritis efficitur aequalis ceteris quae ex propria miseria venerat dissimilis . Solvuntur enim palpebrae ad instar evigilantium oculorum , & pro noctis caligine obscura lux redditur diei serena . Adepta igitur est mulier non quod diffiderat Deum posse , sed quod non speraverat , se promereri valere ; regrediturque jucunditate ceteris laetior quae tot comproperantibus venerat miserior .

X II.

Eadem etiam solemnitatis die , quae pro honore tanti Confessoris divina claruerat virtus , adnotanda creditur , ut , sicut ostensum est , quanta beneficia devotis praestentur , adscribatur quantum etiam pro contumacia mereatur . Mulier enim quae-dam , quae pro solemnitate tantae diei accurrere cum convic-nis debuit , segniter torpens domi remansit , & cum diem feria-tum servare deberet , panibus coquendis clibanum succedit . Quam ob rem cum a cohabitibus argueretur , parvipendere se diem ostendit , meritisque S. Confessoris arroganti prosecu-tione renitens , illico quod meruerat experta est : nam flamma , quam in clibano accenderat , velut tanti reatus ultrix exiens , eam subito invasit , concremarique acriter coepit : quam illa effugere se posse autumans , cursum arripit , fugamque capescit . Sed ultrix flamma , quae semel adhaeserat , effugi non poterat . Consumptis ergo indumentis , crematur & caro ; & ne vita defi-ceret ,

ceret , divino miseratur respectu . Ustulata denique cognovit quod meruit : sed ut castigata non deficeret , ignis extinguitur , quem sibi ipsa succedit , manibus adeo jam concrematis , ut de dexteræ quidem desperaretur sanitate . Patet igitur hoc in facto & superioribus adscriptis , quid devotio & praesumptio apud Sanctorum merita promeruerint , cum alteri praemium , alteri irrogetur supplicium . Non multo autem postea caecus quidam , loco & familia cognitus , auditis sancti Confessoris Dei miraculis , venit luminis beneficia petiturus , credens sibi Sancti meritis posse fieri , quod multis hujuscemodi miseria damnatis , audierat praestari . Cujus fidei devotionem divina miseratio contuens , trium dierum spatio constantiam probare voluit . Per id enim triduum apud sancti Confessoris loculum precibus persistens , caecitatis suae nulla ex parte solamen est adeptus . At ubi sua obesse sibi peccata credidit , semet dijudicans , adminiculum luminis post biduum suae reversionis promeruit . Quo in facto divinae virtutis effectus & patientiam hominis probavit & Confessoris sui merita , non eo tantum loco , ubi jacuerat , esse ostendit ; sed ubique vigore clarae virtutis opere manifestavit : quod & in sequentibus capitulis aperte monstrabimus , miracula ejus adnotando , quae coepimus .

X I I I .

Quadam namque vice cum quadraginta quinque millibus a loco , ubi sanctus Dominus Confessor erat , supranominatus Abbas abesset , quibusdam propriis necessitatibus occupatus , illic quidam adolescentulus cujusdam ex eis , qui cum eo venerant , gravi oculorum est captus dolore . Cui cum saepius cum sociorum allusione diceretur , ut ad sanctum Cassianum festinaret , tanquam ad singularem medicum oculorum , licet indoctor , prudenter , cavillantibus respondit , non esse , ajens , opus longius progredi , cum illic talibus meritis posset adiuvari . Quod qua diceret fide , sequens prodidit effectus : nam sancti Confessoris merita implorans , meridianæ se quieti contradidit , ubi tunc per visum illi sanctus Pontifex apparens , ei quem devotum cognovit , oculorum subitam sanitatem concessit , manifestans , Dei virtutem velle , eum , quod fide credebatur , meritis posse . Quo facto serenati sunt oculi & approbata est assertio pueri : cavillatio etiam sociorum sedata & deificae virtutis per tanti viri meriti

merita comprobata praesentia: ut corporali miraculo manifeste pateat quid mentibus devotis ubicunque imploratus impendat.

X I V.

Multa quidem praecipue praedicantur de Cassiani beatissimi meritis, sed inter cetera hoc digne effertur, quod noviter Dominum per eum fecisse manifeste cognoscitur. Nuper enim, cum infelix congressio principum nostrorum & pugna indecentissima pararetur, nec aliud, quantum ex utraque parte statuebatur, nisi bellum instaret; cuidam ex nostris per visum apparuit B. Pontifex Cassianus, concite properans ad partem, ubi durior resistendi bellicus parabatur effectus, & cum aliquam diu morani fecisse videretur, postmodum visus est annuntiasse, a Domino impetratam habere populo pacem, &, ne praesens pugna fieret, propitiationem. Quo dicto, multitudo, quae videbatur adesse circumquaque diffusa, crebris consonisque vocibus coepit praedicare, B. Cassiani meritis pacem impetratam fuisse: quod quia constat, opere majestatis divinae sine ullius spe actum, magnis Sanctorum meritis indubitanter adeptum: inter quae Cassiani praecipue credunt, qui tali commercio interfuisse, manifestante Deo, ostenditur. Haec namque ostensa credimus, ut quantum apud Deum valeret, pateat singulis, qui tantum prodeſſe potuit multis.

X V.

His ita praefatis, taliter peroratis, finiendo librum descriptionis vitae & miraculorum B. Cassiani, definienda videtur tumulatio corporis ipsius Confessoris Christi, qualiter acta est in Basilica B. Martyris Christi Quintini. Etenim cum quinquennio a susceptione ejusdem Antistititis corporis intra ipsam basilicam ageretur, & propter incommoditatem temporum & rerum diversarum, ac tempestatum accidentia, diversis in locis reconderetur, modo in aperto, modo in occulto, frequentius tandem incongruo ⁵ Karolus Rex, utpote nutu divino inspiratus, praefatam adiens basilicam, de ejusdem Christi Confessoris corpore coepit tractare officiose, in eo haud diutius immorans: anno siquidem octingentesimo quadragesimo quinto Christi incarnationis, & sui equidem regni quinto, inductione octava, die Non.

Non. Martii ad praescriptum Pontificis Christi Cassiani reverenter accedens tumulum cum duobus episcopis, Wenilone scilicet Senonense Archiepiscopo, & Immone praefule ecclesiae Noviomagensis⁶ aliisque compluribus Dei amatoribus, cum cereis & choris psallentium clericorum, cum thymiamatibus & odoris aromatibus, ardentissimo amore summaque devotione ipsum, in quo jacebat, Sancti efferens corpus, perfusum balsameis odoribus, & thymiamatibus odoriferis insertum: palliis quoque & vestibus fericis decentissime involutum, intra cryptam basilicae praefati martyris Christi Quintini, ad dexteram lateris ipsius testis Christi, optime ac pulcherrime tumulavit, tradens ad amborum sanctorum luminaria & ornamenta condenda, maximeque ad tumbam B. Cassiani fabricandam fiscum unum nomine Tuniacum, cum omnibus appendiciis & adjacentiis suis in perpetuum habendum, cuius authenticum ad caput tumuli cum desuper posuisset sanctissimi Cassiani, haec verba ait: si quis autem hoc donum his duobus praeponentibus Sanctis nunc a me traditum & confirmatum partibus eorum, auferre tentaverit, habeat sibi judicem Deum & hos praefulgidos nostros perpetuos Quæstores.

N O T A E.

¹ **C**laudius Hemeraeus in regesto veterum chartarum ad cäl-
cena suaë Augustae Viromanduorum vindicatae & illustra-
tae pag. 27. edidit tantum caput II. III. & XV. hujus historiae
translationis S. Cassiani, cuius auctor hinc videtur coaevus aut sal-
tem suppar.

² Is est Ludovicus Pius, qui hoc eodem anno, quo facta est
translatio, obiit die 20. Junii.

³ Nempe capite LXXIV. de Gloria Confessorum.

⁴ De Moduino sive Modoino vel Motuino Aeduensi episcopo agunt Fratres Sammarthani in Gallia Christiana tom. 2. pag. 36. & Carolus Cointius in tom. 8. Annalium Francorum, qui ex Actis nostris illustrari possunt.

⁵ Karolus Calvus.

⁶ Sive Noviomensis, apud Sammarthanos tom. 3. pag. 813.

V.

SERMO

De tumulatione sanctorum Christi martyrum Quintini,
Victorici & Confessoris Cassiani.

Exscripsit & rubricis distinxit Raimbertus.

Ex codice MS. ecclesiae S. Quintini.

SEmper in Christo amantissima patrum & fratrum viscera, societas Deo gratissima, praesentis diei solemnitas celeberrima nobis admodum extat & veneranda. Est namque consecrata Sanctorum tumulatione honorifica, Quintini videlicet Martyris gloriosi ac piissimi protectoris nostri, nec non Victorici ejusdem comparis inclyti, atque Cassiani Pontificis egregii: quorum quia gratulamur praesentia & adjuvamur clementia, pro eorum amplectibili memoria, hujus festivitatis nitimur attollere paeonia. Verumtamen ad omnipotentem Deum & Dominum reflectenda est laus ipsorum, ac omnis relatio gratiarum, qui illos tantis adornavit meritis, ut in praesenti saeculo innumerabilibus rutilent miraculis, & in coelesti dignitate praevia glorientur felicitatis aeternae. Ita quidem superum majestas suorum fidelium ordinavit coronas, quatenus ipsi sicut Deo & regi perpes maneat laus & jubilatio, & sanctis adsit gloria & exaltatio. Quod sibi Deus Christus & homo tunc exhibuit liquido, cum mortis ac resurrectionis celebrato mirabili divinitus Sacramento, facrofanciam majestati suae conjunxit Ecclesiam repraesentans Deo patri in coelis ovem perditam, quam diabolica seductio tenebat in terris suae perditioni addictam. Unde laetatur coelestis Paradisi curia, quia refulget patriarcharum fide, decoratur prophetarum laudabili societate. Ibi plane residet gloriosus Apostolorum chorus, sui regis fruens obtutibus, judicaturus omne hominum genus, ac in aeternum cum Deo ineffabiliter regnaturus. ibi innumerabilis martyr um caterva sui certaminis recipit emolumenta, possidens immarcescibilem gloriam & jocundissimae suavitatis palman.

mam . Illic felix confessorum sanctimonia & innumerabilis sacerdotum turba suo Redemptori salutaria veraciter immolat holocausta & foecundissimae quietis perfruitur gloria . Ibi virginum felix exercitus sequitur agnum , exultat in aevum , vi-dens regem regum , ac Deum Deorum in specula suorum fide-lium . Quod si adhuc in aerumnis ejus saeculi partim videtur sancta Mater ecclesia peregrinari , nunquam tamen supernis peni-tus destituitur auxiliis: quia, ut legimus in psalmorum canticis, Redimet Dominus animas servorum suorum , & non derelin-quet omnes, qui sperant in eo. Et in evangelio ipse salvator suis promisit discipulis,imo credentibus in se universis: ecce ego vo-biscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Quapropter credentes tanto promissori nos peccatores & in-digni, qui adhuc illidimur fluctibus mundanae tempestatis, tibi, incommutabilis veritas , laudes referimus & gratias , qui infestantium tela hostium , probationes praeftas tuorum esse fide-lium . Quin insuper Domino tales eis rependit pro labore mer-cedes , ut invicti permaneant , & gloriam sine fine percipient . Unde dolet gemens ille antiquus serpens , quia videt Christi praeliatores invictos perennes possidere triumphos : atque compendio immortalitatis ditatos supernae beatitudinis he-redes esse aeternae . Quorum candidissimo exercitu admixti sunt isti seniores nostri hic corpore quiescentes, illic cum Chri-sto feliciter regnantes , gloriosus videlicet martyr Quintinus athleta superni regis invictissimus , praedicator hujus patriae constantissimus noster, quia consolator clementissimus . Secun-dus vero est Victoricus in laeva ejus decenter tumulatus . Ter-tius dextera praefati martyris venerabiliter collocatus , hono-rabili nomine dicitur Casianus . Quorum quia in parte dissimi-lis est ratio, hujus sermunculi enarratio separatim distinguenda est necessario . Etenim quae diverso modo aguntur, divergia nar-ratione merito discernuntur . Horum igitur memoranda passio, & nimium amplectenda denotatio, quanquam pene omnibus sit cognita , praesenti tamen opusculo non sit omissa: quin potius pro quorumlibet memoria plenius exhilaranda, paucis re-plicanda est historia . Nam decem persecutions a Nerone usque ad Maximianum, Christi perpessa est ecclesia . Illo igitur tempo-re persecutionis decimae , cum Diocletianus & Maximianus , crudeles belluae , Imperatoriam dignitatem viderentur regere, daemonicaco spiritu repleti ac omni ferocitate debacchati fa-

mulos Christi toto orbe graviter jusserunt persequi & ad mortem usque torqueri : qua de re missis exactoribus suae crudelitati atrociter parentibus , plebs christianorum tanta impiate trucidatur , torque martyres hac persecutione perimuntur , ut infra unius mensis spatium occisi legantur decem & septem millia martyrum . Quorum corpora martyrii munere in terris sunt glorificata , animas vero Christus accepit in astris , ubi jo- cundissimis Paradisi perfruuntur gaudiis . Ipsi etiam Caesares nefandissimi in partibus Galliarum quendam lictorem Rictiovarum suae crudelitatis constituerant ministrum . Hoc etenim tempore Roma duodecimi fideles venere , typico indicantes numero , quod in sanctam Trinitatem crederent , & Galliarum populis evangelium Christi praedicare deliberarunt : quorum vocabula singulorum narrat historia , quae gloriose indolis viros : Quintinum , Lucianum , Crispinum , Crispinianum , Fuscianum , Victoricum , Rufinum , Valerium , Marcellum , Eugenium , Piatonem , Regulum , pariter advenisse declarat . Fertur etiam a plerisque S. Dionysius Areopagita cum eisdem advenisse : sed temporum series refellit , nec ratio veritatis credi sinit . Hic denique Confessor Domini pretiosus Domitiani temporibus martyrii palmam est adeptus : isti vero temporibus Diocletiani & Maximiani Gallias sunt ingredi , & Christi magnalia praedicare exorsi . Quorum tempora juxta chronicarum fidem supputata ducentis decem annis distare probantur . Praefati itaque duodecim viri , utriusque legis voluminibus instructi & armis fidei roborati cum intra Gallias pervenissent , loca & civitates sibi delegerunt , in quibus Evangelium Christi praedicarent , ut credentes in Christum , mortem evaderent & vitam coelestem percipere possent . Sanctus denique Quintinus Ambianis civitatem obtinuit . Beatus vero Lucianus Belvacum adiit . Fuscianus quippe & Victoricus martyres gemino caritatis flore vernantes Tartonniam penetrarunt , ac verbum vitae inibi annunciarerunt . Magnis plane praedicationibus sancti testes Domini effloruerunt & multis miraculorum coruscationibus enituerunt ; dum caecis lumen negatum reddiderunt , surdis auditum attribuerunt , cunctisque debilibus sanitatem restituerunt . Talibus igitur rebus , tanque praeponitissimis actibus jugiter instantes , plurimos a cultura Idolorum subtraxerunt , & baptismo candidatos , velut agnos sanctae Matri praesentandos , Deo patri fideliter sociaverunt . Quod audiens Rictiovarus praeses scelestissimus ,

mus , quo non alias crudelior ullus Ambianis urbem advenit ; ibique sanctum Quintinum turbis, Christi magnalia praedicantem, invehit. Quem corripiens variis tormentorum suppliciis afflixit : sed Christi miles patientissimus, inter omnia suppliciorum genera fide mansit invictissimus . Jubente tandem impio praefide, & ut fidenter audeam dicere, Dei omnipotentis misericordia disponente , ab eadem Ambianensium civitate a ministris educatus , ubi primum blanditiis pluribus ab ipso licetore frustra persuasus, deinde minis asperrimis est pulsatus. Tandem ferreis duodecim taringis crudeliter perfoissus , ad ultimum mucronis acumine percussus, vertice est plexus : cujus anima ad Coelos eveneta , & ineffabiliter coronata est . Corpus quoque sanctum per annos quinquaginta quinque in fluctibus Somenae supplumbatum, Deo custodiente, mansit incorruptum . Post tamen a quadam nobili matrona , nomine Eusebia, inventum, sepulturæ decenter traditur , ibique per trecentos & viginti quinque circiter annos mirabiliter occultur . Deinde ab Eligio magno cum studio quaesitum , insigniter invenitur ac evidenter populo declaratur, atque ab ipso praesule alibi tumulatus. Hinc anno Dominicae Incarnationis octingentesimo vigesimo quinto ab Hungone monastico Abbatे , & a Drogone , Metensium videlicet Pontifice , ab illo loco iterum elevatur , aromatumque liquoribus gratarter perfunditur . Dedicata quidem episcopali benedictione basilica , a Fulrado memorabili Abbatē honorabiliter constructa , Christi martyris Quintini membra in honorabili crypta tertio tumulantur . ibique multis diebus per miraculorum insignia coelitus glorificantur . Praelibatus etiam Domini Confessor Cassianus, Pontifex Aegypti, extitit venerandus, multis virtutum generibus clarus, omnique bonitate resertus. Qui adeptus summa evangelii praecepta , Christi annuente gratia , relictis opibus & patria , post plura terrarum , marisque discrimina , ut felix Domini peregrinus , cum paucis comitibus urbem Augustodunensem est aggressus : in qua honorabiliter a Simplicio, tunc temporis episcopo , est suscepitus, & unius anni spatio cum ipso variis praedicationibus digne occupatus , ac divinis laudibus die noctuque mancipatus . Simplicio autenī in coelesti regno feliciter coronato , uno quidem anno transacto , supplicantis populi vocibus adiuvium coactus & evictus beatus iterum Cassianus ad pontificale solium Dei ordinatione subrogatus est : non quippe ambitionis causa , quasi id quae siisset
prae-

praedigni sacerdotis anima: sed quod praedestinatio semper inconvulta taliter de eo fieri ante tempora ordinasset saecularia . Quem prorsus & in gestis illius aperte legimus , & sine dubio credimus , ita dilexit Christus Dominus , ut per eum signa fieren non minus, quam per Apostolos . Reddebat enim, auctore Deo, suis venerabilibus meritis, caecis lumen, surdis auditum, debilibus optabilem sanitatem. Talibus itaque ditatus meritis, fungens sacerdotali officio viginti annos , allectus est in aeternitatis palatio, locupletandus jocundissimae immortalitatis bravio . Glorificatur deinde & mirabili dono virtutum & signato coelitus ejus mausoleo Dominicae Crucis adorabili signo . Cujus sacrosanctum corpus pro miraculorum laudibus & famosissimae opinionis virtutificationibus, a quadam monastico Abbatte , scilicet praescripto Hugone , suppliciter exposcitur ac prudenter impetratur . Allatum est ergo corpus tanti Confessoris in basilicam beati martyris Quintini publicatam praefulgidis virtutum prodigiis anno Dominicae Incarnationis octingentesimo quadragesimo secundo, regni quidem Ludovici Imperatoris Augusti vigesimo octavo. Haec libuit breviter paucissima dicere, fratres, nubibus ut sparsis ad caussam festivitatis succincti istius, dicturi quid veniamus. Cum igitur superni Regis justitia pro nostrorum peccaminum negligentia nos castigari vellet , feroci paganorum saevitia , incliti testis Quintini monumenta & pretiosi confessoris Cassiani membra a propriis sunt tumulis elevata , & ad Lauduni Clavati moenia , prout timor cogebat, noctu delata. Proh scelus . Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem & lugeam, non tantum ruinas , civitatis excidium , sed totius terrae flagellum !

Heu cogor scriptis depromere rem veritatis christiano- rum , invalescente noxa paganorum , nequiter frendente audacia , multa sanctorum corpora a sepulcris ejiciuntur , ecclesiae innumerabiles inconduntur, utriusque sexus homines passim jugulantur, omnis justitia graviter conculcatur , lex & veritas nimium advigilantur , bestiarum incursu multi lacerantur , famis inopia plurimi moriuntur . re etenim vera , ut sanctus loquitur Psalmista , venerunt gentes in hereditatem Dei , polluerunt templa sanctorum , posuerunt omne regnum in desolationis opprobrium . Deus repulisti nos & destruxisti nos, iratus es, quia commovisti terram & conturbasti eam . Sed cujus miserationes opera superexcellunt omnia , nolens mortem peccatorum , ali- quan-

quantisper tantae severitatis temperavit flagellum . Hic autem, ut lucidior sit sermonis sensus & intelligatur manifestius , de annali chronica inferenda sunt pauca . Et quoniam bis eorumdem sanctorum corpora cum moerore ad Laudunum sunt devicta , & bis ad nos cum honore relata , libet apertius prodere & fugae caussam , & reversionis eventum . Anno siquidem octingentesimo primo a Dominica Incarnatione Kal. Ianuarii , Normannorum metu cogente , a bustis prius emota suis , ad praefatum montem primum delata sunt . Nam priori anno , in Carlopoli Compendio Karolides Ludovicus nimia infirmitate gravatus , in Parasceve die spiritum exhalavit vitae . Quapropter ejus filii , alter Ludovicus , alter Karlomannus dicti , reges sunt constituti . Eodem quoque anno multa paganorum multitudo a transmarinis veniens partibus , Gandum monasterium occupaverat , & cuncta in circuitu crudeliter vastaverat . Ipso etiam anno rex Transrhenanus Ludovicus Franciam venit , partemque regni Lotharici a suis nepotibus extorsit , & bellum contra Normanos in Fisco Fumon exercuit , magnam quippe caedem eis intulit : Deo favente , victor extitit , perditoque filio tristis ad propria remeavit . Tandem ero vnostrri Ludovicus , & Karlomannus Ambianis adierunt , ibique principum consilio regnum certis limitibus inter se diviserunt . Hinc Burgundiam una petierunt , ac Bosonem a regia dignitate deppresserunt , & uno ibi pene anno manserunt . Interim pagani Curtrajum invadentes , & Franciam sine rege & principibus vacuam reperientes , usque Peronam Scotorum venerunt , eamque igni succenderunt . Quod audiens juvenis rex Ludovicus , animi dolore permotus , fratrem in Burgundia reliquit , & in Franciam remeavit . At pagani successibus sibi prosperis aciores effetti , nullum sibi resistere posse confisi , cum exercitu impio & horribili de Curtrajo sunt egressi , & per quadraginta seu amplius millia diffusi , usque ad internectionem universa sunt depopulati . Quod cum praefatus rex pro certo comperisset , vallatus Francorum multitudine , suffultus Dei solamine , super eos venit insperate . Tantam denique eorum multitudinem dicitur peremisse in villa Saulcurta , quantam in Francia alias nunquam credimus cecidisse . Qua de causa & illi , qui evaserunt , & aliqui , qui Curtrajo remanerunt , terrore nimio perculsi fugerunt , & Batuam petentes cuncta circa Mosam loca atrociter vastaverunt . Anno autem sequenti corpora sanctorum Quintini & Cassiani Kal. Februarii , a Lauduno descendentia ,

cum

cum ingenti populorum caterva , & laudum hymnorūmque, melodia , in die Purificationis S. Mariæ in propriam relata sunt basilicam . Ipso siquidem tempore cum praefatus rex Andegavis disposeret ire , pæctumque cum Alstenio facere, in infirmitatem decidit , indeque ad sanctum Dionysium rediit , ibique, proh dolor! spiritum vitae exhalavit. Post cujus obitum Franci regem constituerunt Karlomannum: quod ut pagani audierunt, Scaldim navibus introjerunt. Quapropter praedictorum corpora sanctorum secundo ad montem Laudunum delata sunt . Postea Normanni adhunc locum pervenientes , plures gladio interfecerunt, multos etiam captivos duxerunt, siccque est ecclesia B. Martyris Quintini crudeliter incensa , quae habebat a perfectione sui annos quinquaginta novem . Ita pene omni loco devorato , pagani huc & illuc progredientes , ad alia sunt profecti. Exinde variis casibus afflictis undique omnibus, Christo favente , anno quinto Dominus Comes , & Abbas Teutricus prudenti consilio usi , muros istius loci coeperunt aedicare duodecimo Kal. Maii: quos acutissimo freti ingenio , prout necessitas cogebat, fecerunt accrescere cito , unde pretiosa sanctorum corpora , Quintini videlicet & Castiani , innumerā stipata caterva , tertio Kal. Novembri ad propria sunt iterum relata & intra muros succensae domus locata . Nunc vero ad beati Victorici martyris jura veniamus , ut juxta rationes temporum procedat sententia verborum . Praefatus igitur martyr Christi Victoricus, comes Senioris nostri dilectissimus , Taroanensi populo una cum beatissimo praedicavit Fusciano , qui præconiis plures Christo sanxere vacantes , optatum infirmis robur cedendo catervis . Cumque a Mureginensium partibus rediissent, atque Dei cuperent Quintino munia fari , vinclis praefecti neantuntur Rictiovari . Denique multis addicti poenis , oculorum luce privati: verticibus sectis palmam meruere triumphi . Quorum corpora cum B. Gentiani carpento sepulta per multorum curricula temporum Ambianensis servavit patria , ² donec, disponente Deo , a quodam memorabilis vitae , pridem ejusdem loci canonico , tunc autem Ambianensis ecclesiae episcopo, nomine Itgero , sollicite quaesita & sagaciter sunt inventa . Is ergo episcopus pro amore divino ac suae benignæ devotionis studio membra praedicti martyris Victorici huc cum magno honore devexit , & juxta gloriofi testis Christi Quintini pignora collocavit , anno quippe a Dominica Incarnatione octingen-

tesi-

tesimo nonagesimo tertio, 111. Kal. Noveimb. & transacto decem annorum spatio, postquam est a paganis succensa B. Quintini ecclesia, regni quidem Odonis regis quinto, & a murorum constructione anno septimo. Cum vero Dei clementia nostri voluisse misereri, ac sui solaminis suffragia largiri, incendiorum sedavit discrimina, paganiorum depremisit saevitiam, pacem & concordiam tribuit, fructum etiam terrae abundantiter contulit: quo circa a fidelibus ejus loci tractatum est salubriter quatenus eorundem corpora sanctorum suis in Mausoleis reponerentur decenter. Adveniens namque venerabilis Antistes Noviomensis ecclesiae, Raubertus nomine, prudenti fretus simplicitate, ac simplici decoratus mansuetudine, cum ceteris fratribus inibi Deo famulantibus, saepedictorum corpora trium sanctorum suis in cryptis hodierua die tumulaverunt. Cum haec autem agerentur & litaniae a choro canerentur, & Dei suffragia omnime poscerentur, in praecipui tumulo Quintini martyris globis lucis coelitus affuit mirabilis, instar videlicet radii solaris, eundem lumine fulgido perlustrans loculum tertio. Quin plane nec lucidus aer erat die, nec sol in aethere luxit aperte, quia tegebatur nubium velamine, ut signo venit; sic signo nempe recessit. His ita explosis praescriptus Antistes & devotus & hilaris pro ipsorum commemoratione sanctorum, missae decenter solemnia celebravit, & cunctorum Creatori supplex obtulit holocausta: inter quae omnium consultu statuit ac pontificali auctoritate firmavit, ut dies ista pro sanctae Trinitatis laude, & ipsorum venerabili amore sanctorum quotannis festiva habeatur & solemnis ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

N O T A E.

¹ **H**unc sermonem ex Actis passionis B. Quintini edidit Hemeræus in regesto pag. 18.

² In Passionario ecclesiae sancti Quintini sic legitur: donec Otgerus beatae memoriae Pontifex Ambianensium feliciter clareret in infulis, qui ab ecclesia Viromundensi assumptus, & pro sui merito Ambianensi despousatus, cuius primo lacte dulciter fuerat lactatus, ut talem decuit filium, semper permanxit memorosus, sollicite &c.

VI.

O F F I C I U M
S A N C T I C A S S I A N I
E P I S C O P I E T C O N F E S S O R I S

vii. Idus Augusti.

Ex veteri Breviario ecclesiae sancti Quintini.

A D V E S P E R A S E T L A V D E S

Antiphonae.

Summo parenti Cassianus inclytus primos dicavit flosculos
pueritiae.

Zenon honestis expolivit artibus , quem fecit atrox Julianus
martyrem .

Aeterna movit hunc magistri gloria , fudisse causa sanguini-
nem ut vellet pati .

Tales arenas dum focis quaerit procul , ad praesulatus evo-
catur infulas .

Labra explicare coelicam scientiam , stillare myrrham prae-
fulis sacra manus .

Ad Magnificat, Antiphona. Reliquias venerata tuas Augusta ju-
vetur , auspice te , placitaque Deo sic pace quiescat .

Oratio.

Deus , qui beatum Cassianum Pontificem sanctorum tuorum
meritis coaequasti , concede propitius , ut qui depositio-
nis festa recolimus , vitae quoque imitemur exempla . Per Do-
minum &c.

I N I. NO C T U R N O.

Antiphona. Sede ordinata , Cassianus , spiritu afflante Coelis ,
Gallicas oras petit .

Hunc Eduensis advenam domo excipit , amplaeque praestes
messi in partem vocat .

Aestumi diei torridae & pondus ferens , sudavit illis impi-
ger messor plagis .

B. i. Cassianus profapia apud Alexandriam nobilis , ab infantia quaerit gratiam * sanctorum mores , studia discens & scientiam . *¶*. Sed dum summa prudentia Mundi fugit gloriam , ORTENSEM a plebe pia rapitur ad ecclesiam * sanctorum mores &c.

B. ii. Sic Pastore carentibus creatus custos populis * gregem doctrina , moribus informat & miraculis . *¶*. Divinis vacans laudibus , pauperum sua pabulis donans bona , fidelibus succurrens & incredulis * gregem &c.

B. iii. Zenonis colens saepius magistri memoriam , optat sibi ferventius martyrii gloriam , quam quaerit celerius * prefectus in Galliam . *¶*. Suam ergo Pastor dum formavit ecclesiam , Christo , quod credit gratius , corpus afferit in hostiam . Prefectus &c. Gloria Patri &c. Prefectus &c.

IN II. NOCTURNO.

Antiphona. Illati Olympo simplici throno sedens auget labores , jam suas glebas colent .

Antiphona ii. Si culmus aret , stravit , aut adversitas , irrorat undis , sustinetque languidum .

Agrumque lappis farriens tenacibus , ador recondit optimi horreo patris .

Lectione iv.

Beatus Cassianus Alexandria in Aegypto , nobili profapia oriundus , adhuc puer se totum Christo consecravit : qui a sancto Zenone episcopo coelestibus instructus disciplinis , licet persecutionem Julianus Augustus vehementem commovisset , didicit nihilominus Deum toto corde diligere , sanctorum martyrum loca , memoriasque venerari , & parato etiam ad martirium animo , omnibus christiana pietatis officiis constanter insisteret . Haec inter trucidatus est pro Christi nomine Cassiani magister Zenon . Cum autem Dei providentia militum acclamacione Jovianus electus successor Juliani , vir christianissimus , liberum religionis exercitium tandem ecclesiae reddidisset , populus urbis ORTENSIS , episcopo carens , praesente etiam Imperatore , Cassianum sibi episcopum praesesse postulavit . Quod cum sanctus vir humiliter abnueret , accidente tandem Imperatoris affensa , strepitique populari urgente , ab alio Cassiano episcopo Pontifex consecratur civitatis ORTENSIS .

*B. Lustrans terras Ethnicorum , ubique Christum praedicat **

Dum ad urbem Aeduorum, Deo ducente applicat. ¶. Peregrinus hic piorum cor adventu laetificat, praesul consors beatorum praesulem sic magnificat. Dum ad urbem &c.

Lectio v.

Asumptus est ad episcopale munus, ea in ciuitate construxit ecclesiam, quam clericoruin officiis distinctam, rebusque necessariis ditatam sub B. Laurentii nomine dedicavit. Coluitque eo in munere pietatis opera studiosius & praedicationibus assiduis populum ad fidem, & religionis observantiam instituit. Cum vero beatus Pontifex magistri sui Zenonis exemplum imitari impulsu divino desiderans, martyrii causam locis illis nullam sibi futuram cognosceret, alibi quaerendam existimavit. Itaque cum praesertim esset illi divinitus revelatum, ut in Gallias proficeretur, ordinata cum coepiscopis suis civitate, asumptis etiam secum aliquot discipulis, collacrymanti ad discessum ejus clero & populo impertitus benedictionem, & viam ingressus, Christumque quacunque incederet annuntians, tandem praeante Domino, Augustodunum pervenit.

B. Gaudet sibi Simplicius datum coelitus hospitem, quem assumit alacrius * facri laboris comitem. ¶. Gaudet praesul ORTENSIUS, se nactum Christi militem, gaudet se factum citius * facri laboris &c.

Lectio vi.

Quod ubi respicit Simplicius, sanctissimus illius urbis tunc Pontifex, eum laetus & amplexibus christianis, & humanissimo hospitio excepit: quo usus aliquandiu Cassianus, cum Simplicio in confutandis Gentilium erroribus, christianique nominis propagatione, cum amplissimo fructu collaboravit. Cum autem eodem martyrii desiderio in Britanniam, Gentili errore adhuc excaecatam, vellet proficisci, neque tamen id permitteret Simplicius episcopus, apud eundem triennium egit: quo expleto, ubi sanctus Aeduorum Pontifex octavo Kalendas Julias diem clausisset, successor eidem Cassianus ab omni populo, uno ore & consensu constituitur. Itaque ad episcopale solium Augustodunensem electus, istud annis viginti sanctissime gubernavit, cum peregrinationis suae tempus emensus, in Coelum feliciter migravit. Cujus corpus miraculorum multitudine celebratum, post plures annos Augustoduno translatum

latum Augustam Viromanduorum, in beati Quintini martyris basilica sepultum requiescit.

R. Praesul hospes honoratus praesulis hospitio * praesulem, episcopatus juvat in officio. **V.** Tribus annis hic moratus, coelesti consilio, ibi vacans, vir beatus, verbi ministerio * praesulem episcopatus &c. Gloria Patri &c. Praesulem &c.

IN III. NOCTURNO.

Antiphona. Vitae stupendis sanctitas miraculis orbi probata christiano inclaruit.

His Hugo motus Abbas magnificus, suam ditavit aedem Cassiani lipsanis.

Sacraeque cryptae fornice obtexit; dein clausere thensa di-
tiore posteri.

R. vii. Dum designat Britannorum inferre sese finibus, quos sciebat Idolorum vanis addictos ritibus, Simplicius in coelorum * collocatur sedibus. **V.** Coadiutor populorum postulatus vocibus Pontifex, in Aeduorum collocatur sedibus.

R. viii. Sic ad honorem praesulis rursum evectus promicat, duabus facer insulis labores tunc multiplicat * pluribusque miraculis novum gregem aedificat. **V.** Christianorum singulis verbo & factis indicat, mentes errorum maculis sanctitate purificat * pluribusque &c.

A D V E S P E R A S.

Antiphona de Laudibus.

Ad Magnificat, Antiphona. Aedua quem peregre exceptit, Viromandua nunc urbs, suscipienda sibi continet ossa patris, hospitis illa sui saepe est experta juvamen, haec ita patroni sentiat auxilium.

Oratio. Deus, qui beatum &c. *ut supra.*

VII.

MISSA

SANCTI CASSIANI

Ex veteri Missali ecclesiae Heduensis.

Die v. Augusti . Missa , Statuit &c.

PROSA.

PSalle symphonizando Christo regi sidereo , qui sanctis ru-

tilas tribuit per saecula coronas .

Inter quos Cassianum Confessorem praecipuum dita-

vit super astra poli splendore perenni .

Hic tenebrosi culmina regni lumine Christi tempfit herilis.

Nam redimitus stigmate sacro , virtutibus almis floruit

iisdem .

HORTENSEM populum , praesule cassum , poscentem variis

vocibus ipsum , sumimum quod regeret pontificatum , rexit celsi

throni jura secundum .

Postquam Sedi pontificali inhaereret , astitit illi per visum

martyr Laurentius orbe colendus , hortans illum , ut sibi tem-

plum consecraret : quem praeparata jam coeli certo cognoverat

arce locandum .

Confestim paruit monitis per cuncta serenis .

Ex torris fieri demum coepit meditari , hic populari voce

gemente laetus Aegypti rura reliquit .

Ad Eduorum post iter arctum , postque laborem , venit ad

urbem : in qua Simplicio praesule functo , bisdenis viguit incly-

tus annis , cuius albicolor petra sepulcri ostendit libari chroma

rubentis .

Idemque sanctus caespite tectus cum Germano viro beato

est verbis usus mirabilis vir memoratus .

Per quem nobis Christi benignum semper cunctis subsi-

dium fer . Qui solus regnas per saecula cuncta gubernas . Amen .

VIII.

VITA

SANCTI CASSIANI

Ex Breviario Augustodunensi anni MDL.

Sanctus ac beatissimus Cassianus episcopus, vir genere Aegyptius fuit, ac apud Alexandriae urbem laudabili familia ortus. quod & locupletio rerum exuberans, & generis dignitas fecit. Hic denique pueriles annos apud parentes gerens & bonae indolis esse incipiens, aetatulam suam Christo consecravit, seque voluntatibus divinis, licet aetate adhuc tenera, totum subjicit. Divina igitur provisione factum est, ut tam devotum puerulum nonnisi ecclesiastica sacerdotalisque erudiret disciplina. Sanctus enim eum Zenon episcopus & martyr ad se suscipiens, venerabiliter enutritivit coelestibusque disciplinis instruxit. Temporibus ergo Juliani impiissimi Imperatoris persecutionibus acerrimis agitabatur ecclesia in tantum, ut multo sanctorum martyrum languine fuso, etiam ecclesiae Aegypti claudi obstruique fuerint iussae. Interea Zenon episcopus praceptor beatissimi Cassiani ob fidem D. N. Jesu Christi martyrio est coronatus. Mortuo dehinc Juliano impiissimo Augusto, divinaque tanto blasphemо interempto virtute, Jovianus vir christianissimus electione Dei, Romanorumque militum acclamazione in Imperium exstitit subrogatus. Hujus ergo temporibus ecclesiae olim clausae, apertae sunt. Praesente itaque Imperatore, populus urbis HORTENSIS, qui Pastore indigebat, Cassianum Pontificem acclamavit. Quo ordinato & consecrato, sicut ei gratia sacerdotalis accesserat, accesserunt pariter & virtutum augmenta. Tandem B. Zenonis episcopi & martyris, cuius alumnus & discipulus fuerat, recordatus est & ejus vestigia sequi desiderans, dolebat sibi deesse martyrium. Dum itaque huic meditationi frequenter insisteret & in longinquis partes amore martyrii peregrinari disponeret, revelatum est ei, auctore Deo, oportere eum in Gallias pergere, ibique praedicationibus Domini insistere. Beatissimus vero Christi Confessor Cassianus ordinatione divina iussus inde transire, Eduorum urbem adivit, ubi cum ad oratorium sancti Symphoriani

riani divertisset, audiens de eo sanctus Simplicius, tunc illius urbis episcopus, venerabiliter eum accepit, & in Britanniam proficisci disponentem, assiduis precibus retinere curavit. Post triennium autem ab hac luce dececente B. Simplicio, a populo Eduorum Cassianus, licet humiliter contradicens, in episcopum subrogatur. Ibique multis virtutum generibus praeclarus, annis viginti Eduensem rexit ecclesiam, & tunc de praesenti vita ad coelum gloriose migravit. Postquam igitur ad coelestis praemia regni beatus Cassianus vocatus fuisset, contigit Germanum Autissiodorensem episcopum, dum Romam pergeret, per Augustodunensem civitatem iter habuisse. Qui, cum ad sepulcrum beati Cassiani oraret, beatum Cassianum alloquitus est, dicens. Quid gloriose frater Cassiane agis? Respondit beatus Cassianus vivens in Christo, loquens de tumulo: dulci pace & quiete potior & adventum Redemptoris exspecto. Qui Germanus mutua sermonis vice dixisse perhibetur: quiesce ergo in pace, frater, & ut divinae tubae cantus exoptati clangoris somnum ad sacra Resurrectionis gaudia obtinere mereamur, & pro nobis & pro hac plebe attentius intercede apud communem Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Deo patre & Spiritu sancto vivit & regnat.

IX.

VITA

SANCTI CASSIANI

Ex Breviario Augustodunensi anni MDCC. die v. Augusti.

Cassianus, patria Aegyptius, post obitum sancti Rethicii Eduensis episcopi in ejus locum subrogatus est. Huius sepulcrum in coemeterio Augustodunensi a multis infirmis erasum & pene transforatum vidisse se testatur sanctus Gregorius Turonensis, & aegrotos, qui hoc abluebantur pulvere, virtutis magnitudinem protinus experiri. Ad idem sepulcrum sanctus Germanus Autissiodorensis dum in Italiam pergeret, supplex accessisse refertur, & post fusas Christo preces, cum sancto Cassiano, tanquam, si vivus adhuc fuisset, colloquitus: Ejus in martyroloio Romano ac apud Bedam, Usuardum & Adonem honorifica fit mentio, ejusque nomini ecclesia parochialis in vico Saviniaco prope Beluam dicata est.

EPI-

X.

EPISTOLA
GREGORII. III
AD. EPISCOPOS. TUSCIAE. LANGOBARDORUM

Ex codice Vaticano 3833.

Gregorius omnibus episcopis in Tuscia
Langobardorum.

Meminit fraterna sanctitas vestra, tempore ordinationis *Pag. 278.
An. 740.*
suae per chirographum & Sacramenti vinculum bea-
to Petro Principi Apostolorum spopondisse, ut in
emergentibus sanctae ejus ecclesiae totis viribus elaboretis.
Igitur quia praesentes viros Anastasium dilectum filium no-
strum presbyterum, & Adeodatum Regionarium subdiaconum
nostros fidèles ad obsecrandum & Deo favente obtinendum,
pro quatuor castris, quae anno praeterito beato Petro ablata
sunt, ut restituantur a filiis nostris Luitprando & Hilprando
supplicare destinavimus; ecce, dilectissimi fratres, tempus ac-
ceptabile, ut juxta chirographum vestrum, boni operis fructum
beato Petro feratis: cuius auctoritate vos hortamur in Domi-
no, ut ad eosdem cum praedictis filiis nostris properetis, ut a
Deo inspirati protectoribus eorum beatis Principibus Aposto-
lorum Petro & Paulo eadem castra restituantur. Nam si, quod
non credimus, distuleritis iter arripere propter Deum, ego
quanquam imbecillis sim prae infirmitate corporis, iter arri-
piam laboriosum, & videbo ne vestra negligentia vobis ad obli-
gationem ex nodo pacti pertineat. Data Idus Octobris Indi-
catione ix.

X I.

D I P L O M A

CONRADI II. IMPERATORIS


Ex Regesto MS. Coenobii Farfensis num. 707.

Pag. 289.
 Anno 1027. **I**N nomine sanctissimae & individuae Trinitatis. Chuonra-
 dus divina favente clementia Romanorum Imperator Au-
 gustus. Cum petitionibus servorum Dei justis ac rationa-
 bilibus divini cultus amore faverimus, ut his opportuna benefi-
 cia largiamur, praemium nobis aeternae remunerationis re-
 pendi non dissidimus. Quocirca omnium sanctae Dei ecclesiae,
 nostrorumque fidelium, praesentium videlicet ac futurorum
 comperiat follertia, qualiter Guido venerabilis Abbas mona-
 sterii sanctae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae in
 Comitatu Sabinensi, constituti in loco, qui dicitur Acutianus,
 nostram adiens praesentiam ostendit nobis nostrorum anteces-
 torum Regum vel Imperatorum praecepta eidem monasterio
 facta, atque supplicavit postulans, quatenus pro Dei amore,
 sanctaeque Genitricis Dei Mariae eadem praecepta nostra
 Imperiali ac praeceptali autoritate confirmaremus. Nos vero
 ejus justis postulationibus assentientes confirmamus omnia di-
 cto monasterio, quidquid in superioribus continetur praecep-
 tis, prout juste & legaliter possumus: videlicet quidquid habere
 videtur in eodem territorio Sabinensi. Item ecclesiam sancti
 Benedicti cum omnibus pertinentiis suis & curtem sancti Ge-
 thulii cum tota sua integritate & cum ipso castello de Tributo
 in integrum. Ecclesiam sancti Angeli in Tancia cum gualdo, &
 omnibus suis pertinentiis: castellum de Bucciniano in integrum
 cum ipsa mastia, quam piae memoriae Benedictus Papa in ipso
 monasterio contulit: & in praedicto comitatu terram de Or-
 telle, quam Joannes cum suis consortibus in jam dicto mona-
 sterio per cartulam deligavit. In Comitatu ORTANO in capite
 ipsius civitatis ecclesiam sancti Theodori cum omnibus suis
 pertinentiis. In comitatu Viterbiensi infra civitatem ecclesiam
 sanctae Mariae cum omnibus suis pertinentiis. Cellam san-
 ctac

Etiae Mariae juxta fluvium Minionem cum gualdo suo & omnibus ad eam pertinentibus . In comitatu Spoletano ecclesiastis sancti Marci & sancti Salvatoris , & sancti Viti cum omnibus earum pertinentiis . Ecclesiam sanctae Mariae in Medianno cum omnibus pertinentiis & integratibus suis . Ecclesiam sancti Pauli in ipso comitatu . In comitatu Assisio ecclesiam sancti Bartholomaei & sancti Joannis . In comitatu Auximano curtem de monte Polisco cum omnibus ad eam pertinentibus . In comitatu Senogallensi curtem de Luxano . In comitatu Kamerrino curtem de Sallambona & de Trevenano , & sancti Abundii & sancti Viti . Et in castello Petroso curtem sanctae Antiae . Et de castello Caballo albo duas partes sicuti Octavianus per cartulam in ipso monasterio dedit . In comitatu Firmano monasterium sanctae Mariae & sanctae Victoriae , quod situm est in Matenaro monte . Et sancti Benedicti atque sanctae Mariae juxta fluvium Clentis cum rebus & castello , quod Adam filius Harderadi inibi contulit , & cum aliis rebus , quae ab aliis fidelibus moderno tempore ibi concessae sunt . Et cum ministerio de Sparzano & de Valli in integrum , nec non & curtem sanctae Mariae in Cupresseto cum omnibus ad praedicta loca generaliter & in integro in jam dicto comitatu pertinentibus . In comitatu Asculano curtem de Solestano & alias . In comitatu Aprutensi curtem de Sardinaria & alias . In comitatu Pinnensi curtem sanctae Luciae & de monte Pedito cum rebus & pertinentiis suis . In comitatu Teatino monasterium sancti Stephani , quod ponitur in Lucana cum pertinentiis omnibus & adjacentiis suis . Et cum ipso concambio , quod factum est cum Attone comite de ipsa Phara filiorum Guarnerii cum suis pertinentiis , & Podio Hortonella cum suis adjcentiis . Et ecclesiam sancti Clementis cum rebus suis in comitatu Pinnensi , sicuti in cartulla , quam praedictus comes fecit , continetur , pro portione iam dicti monasterii de castello Atissa , unde ipsa commutatio facta est cum cunctis appendiciis suis . In comitatu Balbensi ecclesiam sanctae Mariae in Grajano & sanctae Mariae in Sarzano cum suis pertinentiis . In comitatu Marsicano curtem sancti Leucii & curtem de Transaquas cum suis adjcentiis . Infra urbem Romam ecclesiam sanctae Mariae & sancti Benedicti cum cryptis & muris , & cum introitu & exitu illarum , & campo de Agonis . In civitate Tyburtina extra muros ipsius monasterium sancti Adriani cum omnibus suis pertinentiis . In finibus

Campaniae monasterium sancti Laurentii in Macri . In collina ecclesiam sancti Sebastiani . In comitatu Reatino monasterium sancti Angeli & ecclesiam sancti Jacobi & sancti Georgii cum diversis aliis , & in Puzalia terram , quae noviter acquisita est . In Amiterno ecclesiam sanctae Mariae in Loriano cum suis adjacentiis . In comitatu Furconino ecclesiam sanctae Mariae de Furfone cum omnibus earum pertinentiis . Curtem de Torrita & de Narnate cum omnibus earum adjacentiis atque pertinentiis . Et insuper dicto comitatu Balvensi ecclesiam sancti Peregrini , in qua comes Oderisius monasterium construxit . Omniaque in integrum , quae ad praedictum monasterium pertinere videntur juxta & legaliter , aut ab aliis hominibus Dominum timentibus acquisierit , aut ab his , qui modo de rebus ecclesiis injuste tenent . Et quae in civitate Romana , aut in aliqua parte nostri regni Italici habere videtur aut acquisierit , per hoc nostrum praeceptum eidem sancto loco confirmamus una cum terris , vineis , monasteriis ei subjectis , ecclesiis , castellis , curtibus , domibus , villis , capellis , aquis , aquarumque decursibus , piscationibus , molendinis , mercatis , cultis , & in cultis , colonis , aldiis , aldiabus , manentibus , omnibusque residentibus , super terram ipsius monasterii , servis , ancillis , omnique familia utriusque sexus , cunctisque animalibus , atque pro Dei amore , nostraequae animae salute , eidem monasterio ministrantibus . Per hoc nostrum praeceptum perdonamus , ut nullus eorum , aut suorum hominum deinceps freda aut tributum donet , vel mansiones faciat invite , aut fidejussor sine suo velle existat : aut in aliquo donet portonaticum , aut ripaticum , vel herbaticum , aut glandaticum , vel portonaticum tam de monachis , quam de clericis , quamque de hominibus super terras eorum residentibus tam ingenuis , quam libellariis , quam & servis , ac eos sub nostra tuitione recepimus . Praecipientes ergo jubemus , ut nullus dux , marchio , episcopus , comes , vicecomes , vel aliquis noster missus discurrens , Sculdassius , Gastaldius , nullaque nostri Imperii magna , parvaque persona praedicti monasterii Abbatem vel monachos , aut eorum aliquem fidelem inquietare , molestare , aut de his , quae supra scripta sunt , sine legali judicio disvestire praesumat : aut aliquam minorationem facere repeatat . Et quidquid de praedicti monasterii possessionibus fiscus noster sperare potuerit , totum nos pro aeternae remunerationis praemio praedicto monasterio concedimus , ut in alimoniam pau-

pauperum & stipendio monachorum ibidem Domino famulantium nostris futurisque temporibus semper proficiat in augmentis. Insuper concedimus, ut nullus homo audeat respondere mallaturam advocato ejus. Et si aliquo tempore aliqua intentio contra ipsum monasterium exorta fuerit, non per viliiores, sed per nobiliores & veraciores homines definiatur ex utraque parte. Si quis igitur hujus nostri confirmationis praecepti quandoque violator extiterit, procul dubio sciat, se compositurum auri purissimi libras mille, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem pro monasterio, ipsumque regentibus. Et ut haec nostra Imperialis authoritas firmior habeatur ac diligentius observetur, manu propria signavimus & praesentem paginam sigilli nostri impressione inferius jussimus insigniri.



Signum Domini Chuonradi serenissimi Imperatoris Augusti.

Hugo Cancellarius vice Domini Haribonis Archicancellarii recognovit. Data v. Kal. Martii anno Dominicae Incarnationis mill. xxvii. anno vero Domini Chuonradi regnantis III. Imperii primo. Actum Romae feliciter.

XII.

DIPLOMA

HENRICI. III. IMPERATORIS

Ex Regesto Farfensi num. 909.

Pag. 189.
Anno 1040.

IN nomine sanctissimae & individuae Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis ac rationabilibus divini cultus amore faverimus, ut his opportuna beneficia largiamur, praemium aeternae remunerationis nobis reperi non diffidiimus. Quocirca omnium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque fidelium, praesentium videlicet ac futurorum competat solertia, qualiter Berardus venerabilis Abbas monasterii sanctae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae in comitatu Sabinensi, constructi in loco, qui dicitur Acutianus, nostram adiens praesentiam ostendit nobis nostrorum antecessorum Regum vel Imperatorum paecepta eidem monasterio facta, atque supplicavit postulans, quatenus pro Dei amore sanctaeque Genitricis Dei Mariae eadem paecepta nostra Imperiali ac paeceptali autoritate confirmaremus. Nos vero ejus justis postulationibus assentientes confirmamus jam dicto monasterio quidquid in superioribus continetur paeceptis, prout iuste & legaliter possumus, videlicet quidquid habere videtur in eorum territorio Sabinensi, idest ecclesiam sancti Benedicti cum omnibus pertinentiis suis, & curte sancti Getulii in tota sua integritate, & cum ipso castello de Tributo in integrum, & Alveum Farfae totum in integrum. Ecclesiam sancti Angeli in Tancia cum gualdo & omnibus suis pertinentiis. Castellum de Bucciniano & Roccam in integrum cum ipsa massa, quam piae memoriae Benedictus Papa in ipso monasterio consultit. Castrum Pharae cum totis suis subjacentiis & pertinentiis: terram vero de Ortelle sicuti Joannes presbyter cum suis confortibus in praedicto monasterio per cartulam dedit. In civitate ORTANA ecclesiam sancti Theodori cum omnibus suis pertinentiis. Infra castrum Viterbiense ecclesiam sanctae Mariae

riae cum omnibus suis pertinentiis . In territorio Tuscano cellam sanctae Mariae juxta fluvium Minioneum cum gualdo , & cum ipso monte Gosberti seu & ripa Alvella , & marino portu . In comitatu Narniensi monasterium sancti Angeli in Massa cum tota sua integritate . Cellam sancti Antimi , & sanctae Mariae , & sancti Joannis cum eorum pertinentiis . In comitatu Perusino cellam sanctae Mariae in Diruta cum omni sua pertinen-
tia . In eodem comitatu cellam sancti Apollinaris cum eccl-
esiis , castellis , villis , & omnia in omnibus , sicuti Hugo filius quondam Alberici in praefato monasterio pro redemptione animae suae dedit . In comitatu Assisio ecclesiam sancti Bartholomaei , & sancti Joannis in Sarzano cum earum pertinentiis . In comitatu Spoletano ecclesiam sancti Marci & sancti Salvatoris & sancti Pauli , & sancti Martini cum earum pertinentiis . Cellam sanctae Mariae in Mediano & ecclesiam sancti Antonini & sancti Fortunati cum earum integritatibus , & terram & vineam & omnia sicut Adam filius Rodulphi pro redemptio-
ne animae suae in praenotato monasterio per cartulam dedit . In comitatu Ausimano curtem de monte Polifco cum omnibus ad eam pertinentibus . In comitatu Senogallensi curtem de Luzano . In comitatu Camerino curtem de Sallambona , & de Trevenano , & sancti Abundii & sancti Viti . Et in castello Pe-
troso curtem sanctae Antiae : & de castello albo Caballo duas partes , sicuti Octavianus per cartam ipso monasterio dedit . In comitatu Firmano monasterium sanctae Mariae & sanctae Vi-
ctoriae , quod positum est in Matenano monte cum castello , cellis , & villis , & curtem de Plotenano cum castello . Curtem de Can-
nutelo cum castello & ripula . Curtem de Ceresano sanctae Ma-
riae in Casule cum castello de Ara antiqua , & castello de Tar-
riano , & portionem de Mosta . Castellum de Agnanello cum suis pertinentiis & Molina . Sanctam Mariam in Strata . San-
ctam Mariam in Pantana . Sanctam Mariam in Clenti cum ca-
stello , ecclesiis , molendinis , & aquam deducere ubi necef-
se est , cum portione de Lunmerano , & portione de Sala . Cur-
tem sancti Martini cum medietate de colle Bonelli , & medie-
tate de monte , & quartam partem ex alia , & portionem de Bu-
ta , & portionem de Rote , & portionem de Insula de Verano cum ecclesiis & aedificiis suis , ceterisque pertinentiis . In Tro-
liano , terram & vineas cum littore maris & cum portu . Cur-
tem de filiis Rolandi cum castello & ecclesiis . Curtem de Sa-
lusfa-


Iusano . Monasterium sancti Salvatoris in Cantalupo , & monasterium sancti Benedicti de Ripa cum omnibus eorum pertinentiis & subjacentiis . In comitatu Asculano juxta fluvium Asum monasterium sancti Salvatoris cum castello Farae , Cymbrianum , Gallianum , & cum omnibus suis subjacentiis & pertinentiis . Castrum Ophida , Isclam , Beneventulum , sanctum Valentimum , montem Augusianum , Insulam Elisei , medietatem de Porcke , quintam partem de Ripa . Cosenanum , Asignanam , montem Cosi , Spinetulum , Ajulanum , Dullianum , Octavum . Post montem Colmari Podium , montem Prideni , montem Cretaceum , Sculculam , medietatem de foce de Tronto , Sexum-pesilem . In comitatu Aprutensi curtem de Sardinaria , & alias . In comitatu Pinnensi curtem sanctae Luciae , & de monte Pedrito cum rebus & pertinentiis suis . Ecclesiam sancti Clementis cum cunctis appendiciis suis . In comitatu Teatino monasterium sancti Stephani , quod ponitur in Lucana cum pertinentiis omnibus & adjacenteis suis , & Pharam filiorum Guarnerii , & podium Ortonelle , & sanctum Clementem , sicuti Atto Comes per concambium pro portione de Atissa per cartulam in praedicto monasterio dedit . In comitatu Balbensi ecclesiam sanctae Mariae in Crajano , & sanctae Mariae in Sarzano , & sanctae Mariae in Furfone cum omnibus earum pertinentiis , & adjacenteis suis . In comitatu Marsicano curtem sancti Leucii & curtem de Transaquas cum suis adjacenteis . Infra urbem Romam ecclesiam sanctae Mariae , sancti Salvatoris cum cryptis & muris , & cum introitu & exitu illarum , & campo de Agonis . In civitate Tiburtina monasterium sancti Adriani cum omnibus suis adjacenteis . In finibus Campaniae monasterium sancti Laurentii in Macri . In collina ecclesiam sancti Sebاستiani & sancti Andreae cum earum pertinentiis . In comitatu Reatino monasterium sancti Angeli , ecclesiam sancti Jacobi & sancti Georgii cum diversis aliis , & in Puzalia terram , quae noviter acquisita est . In Amiterno ecclesiam sanctae Mariae in Loriano cum suis adjacenteis , curtem de Torrita , & de Narnate cum omnibus earum adjacenteis atque pertinentiis . Et in supradicto comitatu Balbensi ecclesiam sancti Peregrini , in qua comes Oderisius monasterium construxit : omniaque in integrum , quae ad praedictum monasterium pertinere videntur iuste & legaliter , aut ab aliis hominibus Dominum timentibus acquisierit , aut ab his , qui modo de rebus ecclesiae injuste tenent , & quae in civitate

tate Romana , aut in aliqua parte nostri regni Italici habere vi-
detur aut acquisiverit , per hoc nostrum praeceptum eidem
sancto loco confirmamus una cum terris , vineis , monasteriis ei-
subjectis , ecclesiis , castellis , curtibus , domibus , villis , capel-
lis , aquis , aquarumque decursibus , piscationibus , molendinis ,
mercatis , cultis vel incultis , colonis , aldiis , aldiabus manen-
tibus , omnibusque residentibus super terram ipsius monasterii ,
servis , ancillis , omniue familia utriusque sexus , cunctisque
animalibus . Atque pro Dei amore , nostraequae animae salute
eidem monasterio ministrantibus per hoc nostrum praeceptum
perdonamus , ut nullus eorum aut suorum hominum deinceps
freda aut tributum donet , aut mansiones faciat invitus , aut
fidejussor sine suo velle existat , aut in aliquo donet portonati-
cum aut ripaticum , aut glandiaticum , vel herbaricum , vel
portonaticum tam de monachis , quam de clericis , quamque de
hominibus super terras eorum residentibus tam ingenuis , quam
libellariis , quam & servis , ac eos sub nostra tuitione recipimus .
Confirmamus etiam eidem monasterio privilegia Pontificum
cum omnibus rebus sibi collatis . De teloneis vero mercato-
rum & portuum & decimas ad portam monasterii dare jube-
mus . Praecipientes ergo jubemus , ut nullus archiepiscopus , epi-
scopus , dux , marchio , comes , vicecomes , vel aliquis noster
missus discurrens , Sculdasius , Gastaldius , nullaque nostri Impe-
rii magna parvaque persona praedicti monasterii Abbatem
vel monachos , aut eorum aliquem fidelem inquietare , molesta-
re , aut de his , quae supra scripta sunt sine legali judicio disve-
stire praesumat , aut aliquam minorationem facere temptet .
Et quidquid de praedicti monasterii possessionibus fiscus noster
sperare potuerit , totum nos pro aeternae remunerationis prae-
mio praedicto monasterio concedimus , ut in alimoniam pau-
perum & stipendia monachorum ibidem Domino famulantium
nostris futurisque temporibus semper proficiat in augmentis .
Insuper concedimus , ut nullus honio audeat respondere malla-
turam advocato ejus : & si aliquo tempore aliqua intentio con-
tra id ipsum monasterium exorta fuerit , non per viliores , sed
per nobiliores & veraciores homines definiatur ex utraque
parte . Et quando quidem Abbas de hoc monasterio de hac luce
migraverit , inter se ipsi monachi , quem dignorem invenerint ,
secundum regulam sancti Benedicti , sicut eorum ordo edocet ,
& rectum est , vel eis in unum consentientibus , quem unanimi-

ter elegerint, licentiam habeant eligendi Abbatem. Si quis igitur hujus nostrae confirmationis praecepti quandoque violator extiterit, procul dubio sciat se compositum auri purissimi libras mille, medietatem Camerae nostrae, & medietatem pro monasterio, ipsumque regentibus. Et ut haec nostra Imperialis authoritas firmior habeatur & diligentius observeatur, manu propria roborantes praesente paginam sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domini Heinrichi III. Regis invictissimi secundi Romanorum Imperatoris Augusti.

Obizo Cancellarius vice Herrimani Archicancellarii recognovi. Datum xvi. Kal. Octobris anno Dominicae Incarnationis M. L. indictione 111. Anno autem Dñi Heinrici III. ordinationis ejus xviii. regnantis quidem viii. secundi Imperantis quartto. Actum Closlaria in Dei nomine feliciter. Amen.



XIII.

NOTITIA PUBLICA
BERARDI ABBATIS FARFENSIS*Ex Regesto Farfensi num. 516.*

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Tem- Pag. 289.
An. 1005.
poribus Domini venerabilis viri Johannis summi Pontifi-
cis & universalis XVIII. Papae in sacratissima Sede B. Pe-
tri Apostoli anno XI. mensis Junii, indictione IIII. Dum resi-
deret Dominus Guinizo inclitus comes in loco, qui dicitur
collis HORTANUS ad legem & justitiam faciendam, tunc venit
dominus Hugo venerabilis Abbas de monasterio sanctae Dei
Genitricis Mariae, quod dicitur in Pharpha, & reclamavit &
dixit: Domine Comes, & judices, & boni homines facite mihi
legem & justitiam de Farolfo, qui dicitur de Castellione, de
terrīs & vineis, quae fuere de Goccio, qui dedit propter ani-
mam suam in praedicto monasterio de fundo Plataniano, & de
fundo sub ripula, vel si aliis vocabulis videntur nuncupari, qui
sunt in territorio HORTANO, quomodo suprascriptus Goccio
ad manus suas detinuit, & de tertis in fundo Lumbricata, ex
quibus me injuste quaerit, & partem ex ipsis rebus per auda-
ciam invadit. Et in eorum præsentiam venit suprascriptus Fa-
rolfus de prædicto loco, & cum eis residebant Leo & Petrus
dativi, & Silvester dativus de civitate Narniensi, & Ribertus
& Roccio judices Langobardi, & Bernardus Tribunus & Pe-
trus Tribunus de comitatu Camerino & de civitate HORTANA,
Leo Tribunus, & Liuzo filius Sigizonis seu & Odo nobilis vir
cum Leone filio suo, & Stephanus archidiaconus: & Petrus de
Sepiccano, & Romanus de Pretia, & Maximus de Bosone, &
Albertus de Silvestro de civitate Narniensi, & alii plures ho-
mines stantes, & residentes totum placitum plenum, quos
enarrare longum est. Statim venit Farolfus in prædictum pla-
citum, & dixit Heribertus, qui erat advocatus prædicti domi-
ni Abbatis: ego quaero te Farolfo de jamdictis rebus, quae
fuerunt de Goccio, quas ipse dedit propter animam suam in
præfato monasterio, & injuste quæfisti, & invasisti sine judi-
ciali

ciali sententia. Deinde fuit magna contentio de ambabus partibus. Postea inter eos venit pactum & bona convenientia & amica paetatio. Deinde praedictus Farolfus per iussionem suprascripti comitis & jādictorum judicium apprehendit unam ligneam virgam & refutavit ipsas terras & vineas & ecclesiam, quae vocatur sanctus Pantaleymon. Circumquaque positis notum esse volumus de fundo Plataniano, & Lumbriacata, & Subripula, & Isclita, & Fosse cum vocabulis, & appendicibus suis, qui sunt inter hos fines: ab uno latere terra sancti Vitalis, ab alio latere terra, quae nominatur totalis, & heredes Petri Tribuni, & pergit recte in fluvium Tyberis, a capite ripa & via publica, a pede fluvius Tyberis cum litoribus & piscariis supra scriptis, & portus ad naves decurrentum. Infra illos vero fines omnes in integrum vineas & terras, & suprascriptam ecclesiam, sicut fuere de suprascripto Goccio & Anna conjugi sua ita refutavimus & concedimus tibi domne Hugo venerabilis Abbas, & posteris ac successoribus tuis, & in ss. monasterio in perpetuum. Si enim quod absit, quoquo tempore venero ego ss. Farolfus aut aliquis de heredibus meis aut quaelibet a nobis submissa persona contra te ss. domne Abbas, aut contra posteros & successores tuos, aut contra hoc breve refutationis agere aut cauare vel litigare, aut dirumpere voluerimus per cuiuslibet modi ingenium nostri, per vestram iussionem, aut per emphiteusim capere potero, tunc daturum me promitto compонere una cum heredibus meis tibi tuisque posteris & successoribus ante omnis litis initium poenae nomine auri purissimi lib.X. Hoc fuit factum & definitum & inter divulgatum ante praesentiam ss. comitis & Lamberti episcopi & suprascriptorum judicium & bonorum hominum scriptum per manus Leonis Tribuni & dativi, judicis & tabellionis civitatis HORTANAE in mense & indictione suprascripta 111. ¶ Fanulfus Tribunus in hoc breve refutationis manu mea subscripsi & testes subscribere rogavi ¶ Leo nobilis vir & domini gratia dativus judex manu mea ¶ Berardus tribunus de Compensi scriptis ¶ Petrus tribunus & dat. testis ¶ Petrus filius Sigizonis testis ¶ Liozo trib. t. ¶ ego Leo trib. & domini gratia judex & Tabellio civitatis HORTANAE scriptor hujus brev. & complevi & dedi & absolvi.

N O T A .

DE Notitiis publicis & privatis nonnulla observavimus in Vindi ciis Diplomatibus pag. 40.

NOTI-

XIV.

NOTITIA PRIVATA
GYRARDI COMITIS*Ex Regesto Farfensi num. 995.*

PAG. 291.
AN. 1053.

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi . Tem-
poribus Domini Alexandri summi Pontificis & universalis
secundi Papae in sacratissima Sede beati Petri Apostoli septi-
mo mensis Julii, indictione vi. Quaecunque in hac vita possidere
videntur quamvis dulcia , tamen cito ab amatoribus relinquun-
tur , proinde restat , ut meliora appetant , quae sibi quisque
aeternaliter mansura lucrari debeant. Quapropter Gyrardus
inclitus comes filius bona memoriae Girardi incliti comitis
habitator in territorio Maritimano , sicut bonum mihi videtur
exercere eorum negotium , qui de terrenis comparant coele-
stia & de rebus transitoriis praemia mercantur aeterna , sic a
praesenti die dono , cedo , trado , offero , & nullo me penitus
cogente , neque mihi contradicente vel suadente aut vim fa-
ciente , sed propria , spontanea , meaque bona voluntate largior
in ecclesia sanctae Dei Genitricis Virginis Mariae , quae aedifi-
cata est in comitatu Sabinensi juxta montem in loco , qui voca-
tur Acutianus , & qui nominatur Pharpha , & tibi , domine Be-
rardus venerabilis Abbas praedicti monasterii , pro Dei omni-
potentis amore , omniumque sanctorum & pro anima mea ,
vel suprascripti genitoris mei , & pro innumeris peccatis meis ,
& ut dignus sim audire illam beatam & gloriosam vocem ,
quam Dominus dicit in Evangelio : Venite benedicti Patris
mei , percipite Regnum , quod vobis paratum est ab origine
mundi . Ideo remunero & dono in suprascripta ecclesia unam
ecclesiam sanctae Severae totam in integrum cum sua pertinen-
tia , cum libris , paratis , & oraculis suprascriptis . Et castellum
totum in integrum , quod est juxta ipsam ecclesiam in capite ci-
vitatis sanctae Severae cum introitu & exitu suo , cum muris ,
aedificiis suprascriptis , & cum omnibus ad eum pertinentibus ,
& cum xv. casaliniis in ipsa suprascripta civitate . Et dono in
s. ecclesia medietatem de portu sanctae Severae , & quintam
par-

partem integrum de vineis & terris pertinentiae & tenimenti
suprascriptae civitatis sanctae Severae, & cum silvis, hortis, &
omnibus ad suprascriptam civitatem pertinentibus cedo, tra-
do, largior. Unde hanc cessionis, donationisque cartulam vo-
bis contradidi, ut suprascriptam ecclesiam sanctae Severae &
fl. castellum, & fl. quindecim casalinas & medietatem supra-
scripti portus, & suprascriptam quintam partem, sicut superius
legitur, cum omnibus ad ea pertinentibus a praesenti die ha-
beatis, teneatis & possideatis, & fruamini, in utilitatem, & usum,
atque salarium vestrum persistant in perpetuum. Et nunquam
a me, nec ullis meis heredibus, neque ulla persona a me sub-
missa aliquam aliquando habebitis requisitionem, aut calum-
niam, etiam si vobis vestrisque successoribus necesse fuerit con-
tra omnes homines stare, una cum heredibus meis & defendere
promitto. In quo & jurata voce dico per Deum omnipot-
tentem, sanctaeque Sedis Apostolicae & Domini nostri Ale-
xandri Papae salutem haec omnia, quae hujus donationis char-
tulae series textus eloquitur, inviolabiter conservare, atque
adimplere promitto. Si enim, quod absit, quoquo tempore
contra haec, quae notata vel ascripta leguntur, agere praesum-
psero, & cuncta non observavero, tunc daturum me promitto
una cum heredibus meis vobis vestrisque successoribus ante
omne litis initium poenae nomine auri boni & optimi libras
quinque. Et post poenam absolutam maneat haec cartula dona-
tionis in sua nihilominus firmitate. Quam scribendam rogavi
Berningerium, Tribunum Domini gratia judicem \pm S. suprascripti
Girardi incliti comitis, qui hanc cartulam donationis fieri
rogavit \pm Signum Roccii fil. Litolfi testis. \pm Signum Sarraceni
de Johanne presbyteri Johannis testis. \pm Signum Petri de Jo-
hanne presbyteri Johannis testis. \pm Signum Falconis filii Adel-
montis t. \pm Signum Tebaldi de Johanne presbyteri Johannis te-
stis. \pm Ego Bernigerius Trib. & Domini gratia judex & Tabellio
civitatis HORTANAE & scriptor hujus chartulae complevi &
absolvi.

N O T A.

Juramentum per salutem Papae alibi non offendи. Me legere me-
mini, veteres jurare consuevisse per salutem Imperatoris.

X V.

INNOCENTIUS. III
POTESTATI. ORTANENSI*Ex Archivo Vaticano.*

Cum bonae memorie M. socer nobilium virorum Caza-
PAG. 293.
AN. 1212.
 guerre de ORTA B.de Canalio I. Raynaldi & P.Jaczonis,
 castra Basanalli, Palatioli, Bassani, & Aliani ab ecclesia
 Romana in feudum tenuerit & ex illis percepere multa bona ,
 ipsi praedicta castra post ejus obitum pro suae voluntatis arbitrio
 detinentes, ad nostram praesentiam, ut nobis responderent
 de ipsis , accedere noluerint cum exinde fecerimus requiri eosdem . Quia vero id nolumus in patientia sustinere, ne jus ecclesiae
 Romanae negligere videtur , eisdem nobilibus nostris dedi-
 mus litteris in mandatis, ut usque ad Cathedram B.Petri proximo
 praeteritam , quem eis terminum pereemptorium assignavimus ,
 responsuri nobis de castris ipsis nostro se conspectu prae-
 sentarent , dilecto filio Cynthio de Insula nostris dantes litteris
 in mandatis, ut si praedicti nobiles eodem termino ad nostram
 praesentiam non venirent, eadem castra nostro nomine recipere
 non differret . Universis insuper hominibus eorundem castro-
 rum injunximus , ut eidem ex tunc de castris ipsis ad nomen &
 opus nostrum respondere curarent . Quo circa discretioni tuae
 per Apostolica scripta mandamus quatenus eidem Cynthio ad
 mandatum Apostolicum exequendum tuum praeftes auxilium
 & favorem . Datum Lateran. xiiii. Kal. Aprilis Pontificatus
 nostri anno quintodecimo .

N O T A :

Edita est a Baluzio inter epistolas Innocentii III. tom. 2.
pag. 603. Hanc vero cum sequentibus exscriperunt Thomas &
 Donatus de Juliis ex Regestis Vaticanis .

XVI.

INNOCENTIUS. PP. III

Ex Archivo Vaticano.

Consulibus & populo ORTANIS &c. Cum praeter solitum, immo plus solito multis & magnis simus negotiis occupati, quae per nos ipsos facere non valemus, per alios cogimur adimplere. Sane inter alias occupationes & follicitudines nostras curam & provisionem Apostolici patrimonii non modicas reputamus, tam ad spiritualem jurisdictionem nostram spectantes, quam etiam temporalem: unde nobis posset non immerito imputari, si super ordinatione ipsius essemus tepidi vel remissi, qui cunctorum fidelium follicitudinem gerimus pastoralem. Novimus enim (quod tristes & dolentes referimus) quam in eo multi quae sua sunt, non quae Iesu Christi quaerentes & abutentes per insolentiam Sedis Apostolicae patientia, pacem perturbant, corrumpunt justitiam, stratam, violant, & terram offendunt: unde nobis & vobis non modicum derogatur. Cum igitur super his, quae praemitimus emendandis cum fratribus nostris tractatum habuerimus diligentem, de ipsorum consilio dilectum filium nostrum G. sancti Georgii ad Vulum aureum diaconum Cardinalem, virum nobilem & prudentem, quem inter alios fratres nostros speciali diligimus caritate, operi tam utili & necessario deputantes, ut melius & facilius injunctum sibi officium valeat exercere, dilectum filium P. Praefectum Urbis, virum nobilem & potentem, sibi duximus adjungendum: quibus dedimus in mandatis, ut stratam custodiant, pacem procurent, justitiam faciant, & terram defendant: alia quoque nihilominus operentur, quae ad honorem Dei, profectum ecclesiae, utilitatem vestram & aliorum nostrorum fidelium noverint pertinere. Ut autem dominium Apostolicae Sedis, quae de se vere dicere potest, jugum meum suave est & onus meum leve, diebus nostris dulcedinem non deponat & nulli fiat penitus odiosum, eis viva voce precepimus, ut vos diligent & honorent, nullum sine causa laedentes, vel contra justitiam aggravantes, sed a vobis potius iniquitatem & vio-

& violentiam satagant propulsare.. Unde quotiens necessitas postulaverit ad eos vice nostra pro justitia consequenda vel aliis expediendis negotiis poteritis habere recursum . Et ut melius quae ad pacem & utilitatem vestram a nobis & fratribus nostris sunt salubriter ordinata perduci valeant ad effectum , universitatemi vestram monemus attentius , & hortamur in Domino per Apostolica scripta praecipiendo mandantes , quatenus ipsis vice nostra, immo nobis in ipsis intendentes humiliter ac devote , quod super praemissis articulis & aliis emergentibus negotiis utiliter duxerint statuendum, salvo in omnibus Apostolicae Sedis mandato , teneatis firmiter & servetis , de universis justitiis & rationibus ecclesiae Romanae sibi plenarie respondentes.
Dat. . . . Octobris anno II.

N O T A .

Innocentius III. singulari amore prosequutus est Hortanos . nam in ejus Gestis , quae MSS. extant in Archivo Vaticano fol. 82. pag.2. vers.4. legitur dono dedisse Ecclesiae ORTANAЕ unam planetam de examito rubeo cum aurifrigio decenter ornatam : tunicam de limite celesti & unam dalmaticam & unum aurifrigium : quae verba desunt in editione Baluzii pag.88. num.cXLIV.

XVII.

EPISTOLA
GREGORII. IX
EPISCOPO. HORTANO

Ut Priori & fratri Rad. Ord. Praed. S. Mariae ad Gradus
Viterbii praefet auxilium, consilium & favorem
super reconciliatione haereticorum.

Ex Archivo Vaticano.

Pag. 294.
An. 1235.

Quia dignum est illis misericordiae januam aperiri, qui ab haeretica caecitate per spiritum consilii discedentes, ad lucem, quae Christus est, humiliter revertuntur, dilectis filiis Priori, & F. Radulpho Ordinis Praedicatorum sanctae Mariae ad Gradus Viterbii auctoritate Apostolica indulgemus, ut universis, qui de civitate vel dioecesi HORTANA ad sanctae praedicationis ministerium, quod implere crederis & probaris, corde compuneti, synagoga peccantium, secta haereticorum, & infidelitatis errore penitus abjuratis, & cautionibus idoneis exhibitis, sponte ad Christianae fidei redeant unitatem, nec sint publice infamati. Quocirca fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad extirpandam de civitate & dioecesi supradictam pravitatem haereticam, prudenter assurgens, Priori & fratri, judicibus super his, efficax impertiri studeas consilium, auxilium, & favorem, ita quod sponsam Christi aperte diligere te ostendas, & nos sollicitudinem tuam possimus extra, merito commendare. Datum Perusii secundo idus Augusti anno nono.

N O T A .

Hanc epistolam, quae data est Guidoni Hortano episcopo, citat Odoricus Raynaldus anno 1235. num. 15. Haeretici isti erant Patareni, qui universam Italiam inundaverant.

PRO-

XVIII.

PROCESSUS JUDICIALIS

Inter Hortanum Episcopum & Abbatem Saxivivi.

Ex eodem Archivo.

INNOCENTIUS. PP. IV

Abbati & Conventui monasterii Saxivivi.

JUstis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere Pag. 294.
An. 1243. consensum & vota , quae a rationis tramite non discordant , effectu prosequente complere . Cum igitur olim inter vos ex parte una & venerabilem fratrem nostrum Episcopum ORTANUM ex altera super sancti Jacobi de Ponte ORTANO , sanctae Mariae de Porralia & sancti Fortunati de Fayculis , ecclesiis , quodam molendino & rebus aliis orta materia quaestione , fel . rec . Gregorius Papa praedecessor noster vobis & eidem Episcopo dilectum filium nostrum Stephanum tituli sanctae Mariae Transtiberim Presbyterum Cardinalem super his concesserit auditorem ; tandem libellis hinc inde porrectis & lite super praemissis coram eo legitimate contestata , utraque parte providentiae ac beneplacito ipsius praedecessoris nostri se voluntarie submittente , idem Cardinalis cognitis causae meritis de speciali ejusdem praedecessoris mandato ex quadam providentia hujusmodi negotium definivit prout in instrumento confecto exinde perspeximus plenius contineri . Nos igitur vestris devotis supplicationibus inclinati , quod ab eodem Cardinale super hoc factum est ratum & gratum habentes id auctoritate Apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus , tenorem ipsius instrumenti praesentibus de verbo ad verbum inferi faciendo , qui talis est . In nomine Domini amen . Omnibus praesentes literas inspecturis Stephanus miseratione divina tituli sanctae Mariae Transtiberim Presbyter Cardinalis salutem in Domino . Suborta olim inter venerabilem fratrem Patrem Transmundum Episcopum ORTANUM ex parte una , & Abbatem & Conventum monasterii Saxivivi ex altera super qui-

Eee ij

bus-

busdam ecclesiis & rebus aliis materia quaestionis, nos eis
 Dominus Papa auditorem concessit. Episcopo igitur pro se &
 dicto capitulo & yconomy seu procuratore praedicti monasterii
 comparentibus coram nobis, idem Episcopus conventionis,
 & procurator praedicti monasterii reconventionis libellos hu-
 jusmodi porrexerunt. Coram vobis domine Stephane tituli
 sanctae Mariae Transtiberim Presbitero Cardinali, partibus a
 domino Papa auditore concessio, propono ego Transmundus
 episcopus ORTANUS nomine episcopatus & capituli antedicti
 contra procuratorem Abbatis & Conventus Saxivivi quod cum
 Paulus olim episcopus ORTI concederit sancti Jacobi de Ponte
 ORTANO sanctae Mariae de Porralia & sancti Fortunati de Fay-
 culis ecclesiis, cum possessionibus suis, tenimentis & pertinen-
 tiis in dioecesi sua sitas, monasterio ecclesiae sanctae Crucis de
 Saxovivo, scilicet Mauro Abbatii ejusdem monasterii, suisque
 successoribus ad annuam pensionem sive censum praestandum
 episcopis, qui pro tempore fuerint ecclesiae ORTANAЕ, scilicet
 quatuor mesales frumenti & sex de spelta tempore aestatis, &
 duas salmas musti mundi in vindemiis & duo paria gambonum
 Porci in Natale Domini pro ipsa ecclesia sancti Jacobi. Item
 quatuor mesales frumenti & sex de spelta ad communem me-
 salem civitatis ORTI, qui per tempora erit pro ecclesia sanctae
 Mariae & ecclesia sancti Fortunati. In festo sancti Fortu-
 nati duodecim Lucenses bonos. In Pascha vero Resurrectionis
 duos Agnos vivos, reservata ipsi episcopo & successoribus suis
 quarta mortuorum de omnibus, quae ex testamentis proveniunt
 ad praefatas ecclesiis. Item quod clerici, qui pro tempore fue-
 rint in ipsis ecclesiis teneant & obseruent excommunicationes
 & interdicta ipsius episcopi, & ad conventum seu capitulum
 ipsius episcopi venire teneantur quotiens per nuntios ipsius epi-
 scopi vocati fuerint. Et licet dictus Abbas & sui successores, qui
 pro tempore fuerint seu rectores in ipsis ecclesiis constituti
 quinquaginta annis & ultra dicto episcopo & suis successoribus
 praefatum censum seu pensionem solverint seu praestiterint,
 tandem Abbas & rectores praedicti in solutione seu praestatio-
 ne praedictorum per triennium cessaverint & ultra: quamvis
 dictae ecclesiae eorum incuria vel negligentia deteriores sint
 factae, contempnentes & non observantes sententias interdicti
 & excommunicationis, per dictum episcopum promulgatas, &
 non praestantes sibi quartam mortuorum & non venientes ad
 ipsius

ipsius capitulum ut tenentur. Quare peto dictas ecclesias cum possessionibus suis mihi episcopo restitui & dimitti vel censum subtractum a tribus annis vel ejus extimationem quam facio quadraginta librarum Lucensium, & peto nihilominus ipsos mihi condemnari quod in futurum praestent dictum censum integre, ut tenentur, & clerici seu rectores, qui sunt in ecclesia sancti Jacobi vel erunt per tempora in eadem mihi & successoribus meis respondere de spiritualibus teneantur, & quod reaedificant & refarciant sancti Fortunati de Fayculis & sanctae Mariae de Porralia ecclesias, suo tempore dirutas, & statuant in eisdem clericos, qui Deo serviant & mihi & successoribus meis ne teneantur de spiritualibus respondere. Et quia venerint contra pactum seu conventiones inter ipsos factas, peto nihilominus viginti libras Lucenses nomine poenae sicut in instrumento publico continetur. Item peto sententiam inique latam per magistrum Donendum, olim causarum Camerae Domini Papae auditorem contra me pro monasterio, & quicquid secutum est ex ea vel ejus occasione revocari & irritari vel irritum nuntiari, a qua extitit pro parte mea ante & post legitime appellatum. Item peto quod faciatis cessare eos ab impetitione seu molestatione, quam faciunt super parochia, quam dicunt se habere in burgo civitatis ORTANAe ex iniqua concessione G. episcopi praedecessoris mei facta eis absque consensu capituli ORTANI in praejudicium futurorum episcoporum & maioris ecclesiae ORTANAe & aliarum ecclesiarum civitatis ORTANAe. Donnus C. Prior sanctorum Quatuor & procurator seu yconomus monasterii Saxivivi litem contentando negat narrata vera esse, ut narrantur, & dicit petita fieri non debere. Libellus autem monasterii talis est. Petit a vobis, venerande pater domine Stephane, tituli sanctae Mariae Transiberim Presbytero Cardinali Donnus C. Prior sanctorum Quatuor & procurator seu yconomus Abbatis & conventus monasterii Saxivivi nomine ipsius monasterii, quatenus cum praedium monasterium sancti Jacobi de Burgo ORTANO, sancti Fortunati de Fayculis & sanctae Mariae de Porralia ecclesias cum pertinentiis, parochiis, molendino, quod est sub ponte ORTANO & aliis possessionibus & iuribus eorumdem pacifice & quiete possideant, & liberas & exemptas ad dictum monasterium tam in spiritualibus, quam in temporalibus pertineant pleno jure, & super his omni gaudeant privilegio libertatis, inhibeatis Transmundo episcopo & capitulo ORTANO, ut dictum monasterium super

super praedictis ecclesijs & possessionibus & juribus earumdem occasione alicujus juris temporalis vel spiritualis de cetero non molestent, praedictis episcopo, & capitulo super praemissis omnibus perpetuum silentium imponentes, & pronuntietis ecclesiias supradictas cum possessionibus & juribus earumdem liberas & exemptas tam in spiritualibus quam in temporalibus ple-
no jure, & ad jus & proprietatem dicti monasterii pertinere. Petit etiam ut cogatis dictum episcopum ab solutionem & ob-
servationem eorum, in quibus per sententiam magistri Dondei cappellani domini Papae, sicut in ejus sententia continetur, di-
cto monasterio vel ejus procuratori extitit condemnatus. Item petit, ut compellatis dictum episcopum ad restitutionem viginti faumarum de musto & decem mesalium de spelta vel exstima-
tionis ipsorum, quae dicto monasterio de proventibus praedictarum ecclesiarum coram magistro Bartholomaeo notario domini Papae ab ipso domino auditore dato, se abstulisse confessus est. Transmundus episcopus ORTANUS item contestando pro se & capitulo suo negat narrata vera esse, ut narrantur, & dicit petita fieri non debere. Facta fuit litis contestatio super praemissis libellis, ut superius dictum est, sub anno Domini millesimo du-
centesimo trigesimo nono, indictione duodecima tempore do-
mini Gregorii Papae noni, idus Junii. Lite itaque coram nobis sic legitime contestata, tandem praedictus episcopus nomine suo & episcopatus ORTANI de speciali consensu & mandato capituli sui ORTANI quod talis est: In nomine Domini. Anno ejusdem Nativitatis millesimo ducentesimo trigesimo nono temporibus domini Gregorii Papae noni, mense Junii die sexta indictione duodecima. In praesentia mei judicis & testium subscriptorum totum capitulum ecclesiae sanctae Mariae & singuli canonici ejusdem ecclesiae, scilicet Ugolinus Rusticus, Petrus & Johannes presbyteri, Fulco Rainucii, Paganellus de Bocca, Hordeus Jordanus, Angelus de Cencio Boccocio, Jacobus Beninca-
se, & Jacobus Cazaguerre, Petrus Stephani, Oddo Tebaldi, Oddo Capoblancus, Cencius Petri Zarfi, Jennagius Martini, Gimundus & Conversanus, consenserunt & dederunt plenam potestatem domino Transmundo episcopo suo absenti commit-
tendi beneplacito & providentiae domini Papae omnem cau-
sam & controversiam, quam idem episcopus habet nomine epi-
scopatus ORTANI contra Abbatem & Conventum monasterii Saxivivi, vel ipse Abbas & conventus contra episcopum seu epi-
sco-

scopatum ORTANUM super quibuscumque rebus tam spiritualibus, quam temporalibus, promittentes per se, suosque successores semper ratum & firmum habere quicquid ipse episcopus in committendo & dominus Papa in praecipiendo vel arbitrando seu definiendo inter ipsum episcopum & dictos Abbatem & Conventum duxerint faciendum . Actum est hoc ORTAE in dicta ecclesia sanctae Mariae coram his testibus , Johanne Donati , Cencio Gilioli Donati , Martino Mercatante , & Berardo Symeonis civibus ORTANIS . Ego magister Johannes Almerici ORTANUS civis, Dei gratia sanctae Romanae ecclesiae notarius & imperialis aulae judex ordinarius his omnibus interfui , & haec omnia scripsi & publicavi, a dictis canonicis rogatus. Et yconomus seu procurator monasterii antedicti habens ad hoc ab Abate & conventu speciale mandatum quod tale est . In nomine Domini amen, anno ejusdem millesimo ducentesimo trigesimo nono indictione duodecima & octavo idus Junii tempore dominorum Gregorii Papae noni , & Frederici Romanorum Imperatoris . Donnus Angelus Abbas monasterii Saxivivi praesentibus & consentientibus fratribus suis , scilicet donno Bonaventura priore claustrri, donno Ventura, donno Johanne, donno Crescio , donno Johanne quondam Abbe sancti Crispolini , donno Tosto , donno Jacobo, donno Angelo , fratre Gilio, fratre Frederico , fratre Benvenuto, fratre Rainero, fratre Jacobo, fratre Angelo , & fratre Andrea & toto conventu ejusdem monasterii , constituit fecit & ordinavit donnum Compangium Priorem sanctorum Quatuor de urbe yconomum , sindicum & procuratorem & actorem ipsius monasterii coram domino Papa ad dandum seu committendum providentiae seu beneplacito ipsius domini Papae omnem causam & controversiam , quam habent Abbas & conventus contra episcopum seu episcopatum ORTANUM , vel idem episcopus nomine episcopatus contra ipsos Abbatem & conventum ejusdem super quibusdam rebus tam spiritualibus, quam temporalibus & ad compromittendum beneplacito & mandato ipsius domini Papae & ad poenam in ipso compromisso & providentia, si necesse fuerit, ponendam & ad omnia & singula exercenda & gerenda & facienda , quae ipsi compromisso seu beneplacito providentiae vel mandato fuerint necessaria & quicquid inde fecerint perpetuo ratum habebunt , & contra non venient aliqua occasione vel exceptione . Actum in capitulo ipsius monasterii coram Andrea Astalonis , Jacobo Domi-

Dominici , Vitello Johannis , Accurribon . Pizaran . & aliis testibus . Ego Benevenutus Carpelle , Apostolica auctoritate notarius his interfui & mandato ipsorum Abbatis & fratrum hoc scripsi & subscripsi . Omnes quaestiones , quas habebant ad invicem provisioni sedis Apostolicae submisserunt , ut ipse vel cui mandaverit inter eos super his provideret & disponeret , ut placeret . Nos autem de ipsius domini Papae speciali mandato sic duximus providendum , ut praedictum monasterium libere de cetero habeat & possideat praedictas ecclesias sancti Jacobi & sancti Fortunati cum parochiis & omnibus pertinentiis suis tam in spiritualibus quam temporalibus pleno jure , ita quod praedictus episcopus vel capitulum nihil juris in eisdem quocumque modo valeant vendicare . Nec liceat episcopo antedicto excommunicare seu suspendere vel interdicere praemissas ecclesias vel personas in eisdem ecclesiis commorantes , ita tamen , ut & illi , qui in praedictis morantur ecclesias excommunicatos & interdictos ab episcopo nullatenus recipient ad divina . Ecclesiam autem sanctae Mariae de Porralia cum decem pedibus terrae circa positac habeat amodo episcopus pleno jure , medietatem vero molendini , & piscariae , quod habet ecclesia sancti Jacobi sub ponte ORTANO tam pro censu , quem haec tenus a parte altera recipiebat episcopus , quam etiam pro possessionibus , si quae remanent monasterio de praedicta ecclesia sanctae Mariae , pars monasterii det liberam & absolutam episcopo pro ipso episcopatu in perpetuum retinendam , ita tamen ut episcopus & monasterium usque ad decem annos communiter teneant , & interim neutri parti liceat alienare sine alterius partis assensu . Transactis vero decem annis si quis eorum alienare voluerit partem suam , primo denuntiet alteri : quod si comperare voluerit , emat decem soldos minus , quam ab alio sine malitia possit haberet , alioquin libere vendat cui velit . Expensas autem , quae circa molendinum , & piscariam sunt facienda communiter faciant quandiu communiter possidebunt . Praeterea idem episcopus restituat monasterio omnia instrumenta & litteras Papales , quas habet occasione census , queni olim sibi deberi dicebat in ecclesiis antedictis , quin immo omnia sunt cassa & vacua , & nullius de cetero sint momenti . Abbas vero & conventus caveant episcopo , quod illam medietatem molendini & piscariae & ecclesiam sanctae Mariae cum decem pedibus terrae , quae Abbas & conventus dare tenentur episcopo , nemini dede-

dederunt vel concederunt , nec aliquo modo alienaverunt : & his pars utraque sit contenta . Super omnibus aliis quaestio-
nibus, quae inter eos vertebantur, utramque partem ab impet-
tione alterius duximus absolvendam . Dictam vero provisio-
nem scribi mandavimus per Jacobum Rainucii publicum nota-
rium , & nostro sigillo fecimus communiri . Ego Jacobus Rai-
nucii Imperiali auctoritate notarius dictae provisioni factae in
camera memorati domini Cardinalis coram his testibus , scili-
cet domino Petro de sancta Genovesa , domino Gotifrido ca-
nonico Alatrino , magistro Markisio , magistro Johanne de Ala-
tro , & Petro Archipresbytero sancti Stephani Tyburtini , ejus-
dem domini Cardinalis capellano , sub eodem anno , inductione
decima quarta Kal. Julii praesens interfui , & de mandato prae-
dicti domini Stephani Cardinalis , & dictarum partium volun-
tate scripsi & publicavi . Nulli ergo &c. nostrae confirmatio-
nis &c. Si quis &c. Datum Laterani tertio Kal. Martii pontifi-
catus nostri anno primo .

N O T A .

Exstat in eodem Archivo Vaticano ejusdem Innocentii IV. di-
spensatio in quarto consanguinitatis gradu inter Simonem Gui-
donis Magalotti Militis ORTANI & Andream ejus uxorem . Dat.
Laterani nonis Aprilis an.xi. nempe 1254. Miles tunc is diceba-
tur , qui militari cingulo accinctus erat , seu vir equestris ordinis .

X I X.

ELECTIO EPISCOPI ORTANI

Ex Archivo Vaticano.

M A R T I N U S . P P . I V

Venerabili fratri Conrado Episcopo ORTANO .

DUDUM ecclesia ORTANA per obitum bonae memoriae ^{Pag. 296.}
_{An. 1284.} Petri ORTANI episcopi, Pastoris solatio destituta, Capi-
tulum ejusdem ecclesiae pro futuri substitutione Pa-
storis, vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt & debuerunt

F ff com-

commode interesse, prout moris est, convenientes in unum post habitum super hoc diligentem tractatum, primo dilectum filium E. Priorem sancti Andreae Urbevetanum, & demum, eo rebusante electioni hujusmodi consentire, Henricum canonicum Tudertinum in suum episcopum elegerunt. quo quidem postmodum Henrico hujusmodi electioni de se factae nolente humiliter suum praestare consensum, dicti Capitulum cupientes ecclesiae predictae viduitati de persona, quae tanto congrueret oneri & honori, celeriter & salubriter providere: ac propter hoc, modo simili convenientes in unum, in te tunc Archipresbyterum ecclesiae Viterbiensis, quasi per inspirationem divinam direxerunt unanimiter vota sua, sive consequenter de te providendi ORTANAE ecclesiae supradictae, dilecto filio Jacobo Priori ipsius ecclesiae potestate concorditer concesserunt. Idem vero J. Prior hujusmodi potestate recepta, sancti Spiritus gratia invocata, te nomine dictorum Capituli in ORTANUM episcopum postulando elegit & eligendo etiam postulavit. Cumque postea dicti Capitulum fecissent nobis electionem seu postulationem hujusmodi praesentari, nobis humiliter supplicantes, ut electionem confirmare seu postulationem admittere hujusmodi dignaremur, nos ipsas examinari fecimus diligenter, & denique quia electionem eandem invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam de Fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, tibique demum per venerabilem fratrem nostrum O. Episcopum Tuscanum fecimus munus consecrationis impendi, firma spe fiduciae concepta, quod eadem ecclesia sub tuo regimine spiritualiter & temporaliter, auctore Domino, votiva suscipiet incrementa. Fraternitatem itaque tuam moneimus & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus circa officii tui debitum sic utiliter vigiles & laudabiliter attentus existas, sive studeas salutis verbo & salutaris operationis exemplo eidem ecclesiae praeesse pariter & prodesse, quod ipsa tuae virtutis studio devotione populi fulgeat & donis laetetur spiritualibus & commodis temporalibus augeatur; tuum quoniam gregem, tibi creditum, gratiae divinae adiutus suffragio, aptum reddens almoniis sempiternis coelestium bonorum, proinde fieri particeps merearis, nosque sollicitudinem tuam dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Perusii xiv. Kal. Januarii. Anno quarto.

X X.

*Eodem modo. Dilectis filiis Capitulo ecclesiae ORTANAЕ.
Dudum ecclesia ORTANA per obitum bonae memoriae P. OR-
TANI Episcopi , Pastoris solatio destituta , vos &c. ut supra
usque: incrementa . Quo circa universitatein vestram monemus
& hortamur attente , per Apostolica vobis scripta mandantes ,
quatenus eundem episcopum admittentes ylariter , & honorifi-
ce pertractantes , sibi tanquam patri & Pastorri animarum ve-
strarum impendatis obedientiam & reverentiam debitam &
devotam , ac ejus salutaribus monitis & mandatis efficaciter in-
tendatis ; alioquin sententiam , quam ipse propter hoc rite tulerit
in rebelles ratam habebimus , & faciemus , auctore Domino ,
inviolabiliter observari . Dat. Perusii xiv. Kal. Januarii an. iv.*

X X I.

M A R T I N U S . P P . IV

Dilectis filiis, Potestati, Consilio & Communi
ORTANO salutem &c.

Ex eodem Archivo.

quod facta inquisitione de blado , quod in eadem Terra vestra
habetur , ad revendendum pro certo pretio dictam speltam jam
emptam pro nostra camera , intenditis continue compellere
memoratum ; nec permittatis quod usque ad dictam quantita-
tem concessam de spelta ad opus ipsius camerae plus ematur , &
nos ex hoc non modicum ammirantes , nec clausis oculis prae-
terire aliquatenus intendentis , vobis sub poena ducentarum
marcarum argenti, firmiter praecipiendo mandamus, quatenus
circa dictam quantitatem jam emptam & aliam emendam
usque ad dictum numerum trecentorum medialium , ad opus
camerae supradictae , nullam molestiam inferentes , quominus
nuncius, quem propter hoc Camerarius ipse mittet , emptam &
emendam secundum praemissam ordinationem , libere extrahe-
re valeat , & ad nostram curiam deportare , statuto seu ordina-
tione nostra contrariis non obstantibus, quae, quo ad hoc, nullius
esse decernimus firmitatis , sic liberaliter vos mandato Aposto-
lico coaptetis , quod poenam vitantes praedictam, devotionem
vestram possimus proinde merito commendare . Datum apud
Urbem veterem idus Maii pontificatus nostri anno quarto .

XXI.

BONIFACIUS. PP. VIII

Venerabili fratri Bartolo episcopo ORTANO .

Ex eodem Archivo .

P. 2. 296.
An. 1295.

Attendentes grata & accepta servitia, quae nobis & Apo-
stolicae sedi hactenus impendisti & impendere non de-
sistis: considerantes etiam laudanda multiplicis merita
probitatis, quibus nosceris insignitus, dignum duximus, ut per-
sonam tuam praerogativa favoris & gratiae prosequamur. Cum
itaque nuper ORTANAE ecclesiae tunc vacanti te praefecerimus
in episcopum & pastorem , nos diligentि consideratione pensan-
tes, quod praedicta ecclesia tenues obtinere dignoscitur faculta-
tes, & propterea volentes illa te prosequi gratia, quae tibi fore
conspicitur oportuna, castrum Kie ORTANAE dioecesis ad Roma-
nam ecclesiam pertinens cum omnibus juribus & pertinentiis
suis

suis sub censu annuo unius floreni auri, tibi, quamdiu eidem ecclesiae ORTANAЕ te praeesse contigerit, de gratia concedimus speciali: & ut de praedictis & proprietate ipsius ecclesiae in futurum memoria certior habeatur, volumus quod annis singulis infra Quindenam Nativitatis Dominicæ praedictum censum cum hujus literarum ostensione camerae nostræ persolvas. Quod si facere forte contempseris, omne jus, quod tibi ex hujus nostra concessione debetur, ex tunc ad praedictam ecclesiam devoluatur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. Kal. Februarii anno secundo.

XXXI.

BONIFACIUS. PP. VIII

Venerabili Fratri episcopo ORTANO.

Ex eodem Archivo.

Exposuisti nobis, quod quondam Nicolaus Petri BonhomAnno 1295., civis ORTANUS, olim dum adhuc praesentis perageret vitæ cursum, de bonis suis in sua ultima voluntate disposuit, in qua inter alia quondam Juciam Tegam & Franciscutiam filias suas tunc viventes in bonis ipsis, praeter quaedam legata & relicta expressa, sibi heredes aequali portione instituit, & voluit quod si aliqua praedictarum filiarum suarum moreretur sine filiis vel filiabus, succederent in dictis bonis superstites earumdem. Quod si eas omnes sine filiis vel filiabus mori contingeret, bona praedicta pro anima sua & remedio peccatorum suorum idem N. erogari & expendi voluit & mandavit, nullo super his expresso executore dimisso, cassans & irritans omne aliud testamentum seu dispositionem ultimae voluntatis, quod, vel quam ipse antea condidisset. Verum cum, sicut assertur, praedictæ Jucia Tega & Franciscutia filiae Nicolai praedicti absque filiis vel filiabus deceperint, & hujus bonorum erogandorum seu expendendorum pro anima praefati Nicolai & remedio peccatorum ipsius, qui nullum, ut praedicitur, in dicta sua ultima voluntate executorem reliquit, ad te hujus executio spectet de jure, nostrum super bonorum ipsorum erogatione pro

pro te facienda pro anima dicti defuncti beneplacitum implorasti, supplicans, ut episcopalem mensam tuam ORTANAM super hoc gratiore respicere dignaremur. Nos autem tenuitatem fructuum, reddituum & proventuum ad ipsam mensam spectantium attendentes, & considerantes, quod ex eis non potes secundum decentiam pontificalis officii commode substentari, praemissis veris existentibus, retinendi pro te ac tuis successoribus ORTANIS episcopis, & ipsa mensa, in perpetuum omnia bona praedicta ad tuam erogationem & distributionem spectantia cum omnibus juribus & pertinentiis suis praefatae mensae usibus applicandi sine juris praejudicio alieni, praefatis legatis & relictis exceptis, auctoritate tibi praesentium tribuimus facultatem bona ipsa tibi & eisdem successoribus ac ipsi mensae perpetuo eadem auctoritate nihilominus similiter concedentes. Volumus tamen quod tu ac dicti successores annis singulis in anniversario die obitus praefati N. missam & praecedenti die vigilias defunctorum pro anima ejusdem defuncti in dicta ORTANA ecclesia teneamini facere celebrari, & canonicis ejusdem ecclesiae, qui hujus missae & vigiliis intererint, florenum auri unum annis singulis erogari. Ceterum si bona praedicta vel ipsorum aliquod ratione criminis haereseos Romanae ecclesiae confiscata fuissent vel confiscanda forent, ut amplior gratia tibi, successoribus & mensae praedictis fiat, volumus, ut hujus confiscatione facta vel facienda nequaquam obstantibus, praemissa habeant roboris firmitatem. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum Anagniea 1111: dus Julii anno secundo.

XXIV.

BONIFACIUS. PP. VIII

Laurentio episcopo ORTANO.

*Ex eodem Archivo.*P. 397.
An. 1298.

CUM te nuper ob tuorum exigentiam meritorum ORTANAEC ecclesiae tunc vacanti praefecerimus in episcopum & pastorem, nos diligenti consideratione pensantes quod praedicta ecclesia tenues obtinere dignoscitur facultates, & prop-

& propterea volentes illa te prosequi grata, quae tibi fore conspicitur oportuna, Castrum Kie ORTANAЕ dioecesis ad Romanam ecclesiam pertinens, cum omnibus bonis, juribus & pertinentiis suis sub censu annuo unius floreni tibi usque ad Apostolicae sedis aliud beneplacitum de gratia concedimus speciali, non obstantibus aliquibus literis Apostolicis sub quavis forma vel expressione confectis, impetratis vel etiam impenetratis, quibuscumque personis seu personae concessis vel etiam concedendis super institutione dicti castri vel commissariae, Castellaniae, seu custodiae, aut quavis concessione castri ejusdem vel alicujus partis ipsius vel super bonis ad illud quoquomodo spectantibus, quae de praesentibus & toto earum tenore de verbo ad verbum plenam & expressam non fecerint mentionem. Ut autem de praedictis & proprietate ipsius ecclesiae in futurum memoria certior habeatur, volumus quod annis singulis infra quindenam Nativitatis Dominicae praedictum censum cum hujus literarum ostensione camerae nostrae persolvas. Quod si facere forte contempseris, omne jus, quod tibi ex hujus concessione debetur ex tunc ad praedictam ecclesiam devoluatur. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Reate 1111. Kal. Decembris anno quarto.

XXV.

ELECTIO

POTESTATIS.URBIS.HORTANAЕ

Ex autographo Archivi Reatini A. X. Fasc. D. num. 2.

Pag. 298.
An. 1359.
In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo ccc. LVIII. tempore domini Innocentii Papae VI. indictione XII. die XVIII. mensis Octobris, consilio generali speciali Consulum, Antianorum, & populi civitatis ORTANAЕ ad sonum campanae voceque praeconis in palatio ecclesiae sanctae Mariae more solito congregato, in quo consilio Nobilis & sapiens vir dominus Antulanus judex & locumtenens¹ Nobilis & Potentis viri Scimonis domini Thomae de Spoleto honorabilis potestatis civitatis ORTANAЕ, cum per se & voluntate domi-

dominorum Confaloniorum, & majorum Antianorum populi
 dicti Communis, & dictorum consiliariorum, & dicti Confaloniorii & maiores, & consiliarii supradi*cti* cum auctoritate & de-
 creto dicti domini judicis, & omnes praedicti simul unanimi-
 ter & concorditer, nemine ipsorum discorde, fecerunt, con-
 stituerunt, & ordinaverunt, eorum & dicti Communis nomi-
 ne, verum & legitimū scindicū, & procuratorem, acto-
 rem, factorem, & nuncium specialem, vel si quo alio nomine
 2 melius de praesenti dici, & censeri poterit, Tucium Palgle²
 praesentem, & suscipientem ad praesentandum electionem po-
 testariae dicti Communis cum observatione omnium & singu-
 larum status & reformationis factae & fiendae in dicto Com-
 muni cum omnibus & singulis spectantibus & pertinentibus
 ad officium dictae potestariae pro sex mensibus proxime futuris,
 incipiendis die prima mensis Januarii, & finiendis, ut sequitur,
 Nobili & Potenti viro domino Angelo domini Bartholomaei
 3 de Deodaschis militi de Reate cum salario mille librarum³ car-
 tensium, & quinque librarum denariorum⁴ Papiensium pro-
 4 carta & atramento, & lumine: de quo salario ipse dominus Po-
 testas debet & tenetur solvere cum officio camerae Communis
 ORTAE pro ipso Communi recipienti pro gabellamarchas
 denariorum cartensium pro qualibet libra. Qui Potestas de-
 beat esse longe a dicta civitate ORTANA per xviii. milliaria ad
 minus. qui debet ducere & habere secum toto tempore du-
 rante ejus officio in conducta praedicta, unum bonum & suffi-
 cientem judicem iuris peritum, tres bonos & sufficientes no-
 tarios: quorum unum ad maleficia eligat, alterum ad civilia,
 5 & alterum ad custodiam civitatis: duos⁵ domicellos, octo bo-
 nos & sufficientes⁶ berruarios, bonos & actos ad arma por-
 tanda, & duos equos: unus fit extimatus xxv. florenos, alter
 vero xvi. florenos extiinandus per M. Petrum & Colo
 Maneschalcum: qui quidem officiales debeant esse non ecclesia-
 stici, non exules, & non exbanditi de terris eorum, & longe a
 civitate praedicta per xviii. milliaria ad minus. Et debet ipse
 Potestas servire personaliter, & non per vicarium: qui Potestas
 & sui officiales non possint se absentare a dicta civitate durante
 eorum officio: & si Potestas se absentaverit, solvat die qualibet,
 qua fuerit absens, duos florenos auri, judex¹. florenum,
 notarius medium florenum, quilibet familiaris vel domicellus
 decem solidos Papienses. Et non possit eis & alicui ipsorum
 per

per officiales dictae civitatis dari licentia : & pro qualibet equa.
 xx. solidos Papienses : & quod ipse Potestas non possit secum
 ducere aliquem officialem , qui hujusmodi officium a quinque
 annis Et debet facere custodire carceres sine aliquo sala-
 rio , & debet ipse Potestas dare in fine sui officii camerae Com-
 munis ORTAE tres florenos auri committendos per
 dicti Communis , & diuinitat & dimittere debeat unum ⁷ pa-
 vesem de pavesibus ipsius ad sui ad voluntatem camerae
 Communis : & si non dimiserit dictum pavesem , pro exti-
 matione ipsius unum florenum detrahatur . Tenetur etiam dare
 camerae dicti Communis pro una balistra unum florenum auri.
 Et tenetur die lunae ante carnis privium ponere in equinum
 dictae civitatis , veluti consuetum est , unum anulum de argento
 valoris medii floreni , ad quod currere possint cives ORTANI .
 Et die carnis privii tenetur ponere in ⁸ lovia , quae est ante ec-
 clesiam sanctae Mariae , homines , ut haec tenus extitit consue-
 tum . Et debet venire dictus Potestas cum dictis suis officiali-
 bus , famulis & equis , duabus diebus ante finem officii , ad om-
 nem ipsius Potestatis risicum & fortunam in veniendo , stando ,
 & redeundo : & si in dicto termino venire cessaverint , dictus
 Potestas die qualibet , qua steterit in mora veniendi , solvere
 teneatur camerae dicti Communis xxv. libras Papienses . Et
 stante tempore dicti sui officii debeat dictus Potestas una cum
 dictis suis officialibus famulis stare ad scindicatum in dicta ci-
 vitate in domo alicujus hospitatoris tribus diebus ad reddendam
 rationem de administratione eorum officii eligendis per
 Confalonerium , & maiores civitatis praedictae ipsius
 domini Potestatis eidem singulis duobus mensibus , prout tan-
 git pro ratione ipsius Et ad promittendum eidem do-
 mino Angelo salario supradictum , & ad obligandum eidem
 domino Angelo omnia & singula bona dicti Communis pro
 solutione dicti salarii , & ad recipiendum promissum a dicto
 domino Angelo de acceptione dicti officii , & obseruatione
 omnium praedictorum , & generaliter ad omnia alia & sin-
 gula facienda , gerenda , & exercenda , quae in praedictis , &
 circa praedicta fuerint necessaria , utilia , & opportuna , & quae
 merita eorum postulant , & exigunt , promittentes quidquid
 per dictum scindicatum suum , procuratorem , factum , gestum ,
 & operatum fuerit in praedictis , & circa praedicta , firma &
 rata habere & tenere , & in nullo contra facere , vel venire sub

obligatione & ypothecha omnium bonorum dicti Communis , & promislo cum relevamine ab omni onere,satisfdatione. Actum fuit hoc in dicto palatio sanctae Mariae de ORTA praesentibus M. Jacobo Joannis , Lello Nardi Blaxi , & Bacarino Bucarelli , & pluribus aliis testibus in dicto consilio existentibus vocatis , & rogatis .

Et ego Biscius Oddorisciani de Abbatia Florentelli Imperiali auctoritate notarius & judex ORTANUS , & nunc notarius reformationis , & damnorum datorum dictae civitatis, per decretum ipsius civitatis ad praedicta specialiter deputatus , praedictis omnibus , & singulis interfui,rogatus scribere,scripsi , & publicavi , & signo meo signavi consueto .

NOTE.

Hoc instrumentum , cuius meminit Gabriel Naudaeus in Instau ratione Tabularii ecclesiae Reatinæ pag.67. est formula eligen-
di supremi urbium liberarum Magistratus , quem inferior aetas
in Italia Potestatem appellavit , ut passim docent historiae & Can-
gius in Glossario. Is aliunde, quam ex ipsis civitatibus, electus , sum-
mo jure civibus in rebus bellicis perinde ac politicis imperabat .

1 Hoc titulo ea tempestate magnates decorabantur . Titulus sa-
pientis dabatur unis jurisconsultis .

2 Nimirum Paglie . tunc enim vis pronunciationis Italicae fe-
rebat , ut quotiescumque litera liquida l vel n literam g sequeretur ,
eadem liquida ante eandem g iteraretur , ut Palglia pro Paglia :
filgliuolo pro figliuolo : ingengo pro ingegno : insengnare pro
insegnare : cuiusmodi exempla plurima occurrunt in ejus aetatis
codicibus & praecipue in nostro Thesauro Brunetti Latini ex lin-
gua Francica Provinciali in Italicam verso & exscripto Cortonae
anno 1388.

3 Genus monetae ex Cangio in Glossario .

4 Denarios aliquot Papienses edidit amicus noster Antonius Gat-
tus in Historia Gymnasi Ticinensis. Videntur fuisse communes in Ita-
lia,nam memorantur etiam in instrumento,quo Petrus Abbas S.Gre-
gorii locat Cencio Frangipanio Turrim in capite Circi anno 1145.
apud Panvinum in libro 111. operis MS. de gente Frangipania .

5 Idest nobiliores famuli .

6 Satellites , vulgo Sbirri .

7 Idest scutum seu clypeum .

8 Lovia & Lobia est porticus ampla .

XXVI.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex Archivo Vaticano.

Bonifacius &c. Venerabili fratri episcopo ORTANENSI ^{An. 1396.} fa-
lutem &c. Sedis Apostolicae generosa benignitas re-
deuntibus ad eam cum humilitate filiis post excessus, &
suos errores sponte fatendo veniam exinde humiliter postulan-
tibus, se propitiam exhibit & benignam. Cum itaque, sicut exhibi-
ta nobis nuper pro parte populi & Communis ac singularum
personarum tam clericorum quam laicorum civitatis nostrae
ORTANAЕ ejusque comitatus & districtus, petitio continebat, ipsi
dudum propter novitates, quae in illis partibus contra Roma-
nam ecclesiam & ejus officiales exortae fuerunt & a subjectione
devotione & obedientia nostra & Romanae ecclesiae Matris &
Dominae eorum se damnabiliter subtraxerint, ac dampna di-
versa & injurias tam ecclesiae & officialibus praedictis, quam
etiam ipsius ecclesiae subditis & fidelibus irrogaverint, & cum
persecutoribus, hostibus & inimicis praedictae ecclesiae, etiam
contra eandem ecclesiam ligas & confoederationes iniverint &
fecerint, ac subditos praedictae ecclesiae invaserint & dampnifi-
caverint, homicidia perpetraverint, & alia quamplurima exces-
sus criminis & delicta commiserint, alias contra tenorem pro-
cessuum per fel. rec. Johannem XXII. Benedictum XII. Cle-
mentem VI. & Innocentium VI. Romanos Pontifices praede-
cessores nostros editorum, temere faciendo, nec non ab eisdem
persecutoribus, inimicis & hostibus auxilia, consilia & favores
recepérint, libertatem ecclesiasticam violaverint & fregerint, ac
in quasdam personas singulares ecclesiasticas manus injecerint
temere violentas; ob haec & propter multa alia gravia per eos
hujusmodi rebellionis occasione commissa, diversas excommu-
nicationis & interdicti sententias & alias poenas tam per pro-
cessus Apostolicos contra rebelles hujusmodi dudum factos,
quam etiam alias a jure & ab homine latae & infictas damna-
biliter incurrendo. Tamen quia nuper populus & Communitas
ac singulae personae praedicti, ad cor reversi, hujusmodi eorum

G g ij

enor-

enormes excessus humiliter recognoscentes , nobis humiliter supplicari fecerunt , ut cum parati sint contrito corde & humiliato spiritu nostris ac praedictae ecclesiae obedire mandatis , eos ad nostram & dictae ecclesiae gratiam recipere & cum ipsis alias mite & benigne agere , ipsorumque seculares clericos & personas ecclesiasticas ab hujusmodi poenis & sententiis excommunicationis,suspensionis & interdicti,& aliis quibuslibet,quas occasione praemissorum excessum quandocumque & qualitercumque, etiam vigore quorundamque processuum & sententiarum per quoscumque factorum sive latorum, incurrerint, absolvere & liberare & cum praefatis clericis & personis ecclesiasticis super irregularitatis macula , si quam incurrerunt, dispensare & alias super praemissis , animarum ipsorum saluti prouidere de solita Apostolicae sedis clementia misericorditer dignaremur . Nos igitur , licet immeriti illius vicesgerentes in terris, qui cunctos quaerit salvos facere & neminem vult perire , cuique est parcere semper & misereri; hujusmodi supplicationibus inclinati,ac de tuae fraternitatis industria specialem in Domino fiduciam obtinentes , eidem fraternitati tuae per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus interdictum , cui ipsa civitas dicitur esse supposita , relaxes & per te vel alium seu alios, ydoneum vel ydoneos, quem vel quos ad hoc duxeris eligendum seu eligendos, praefatos populum & Commune ac personas utriusque sexus, quae occasione subtractionis, rebellionis, invasionis, turbationis, occupationis, adhaesionis & receptionis hujusmodi vel aliorum excessum praedictorum , sententias seu poenas hujusmodi incurrerunt,ab hujusmodi poenis & sententiis, si hoc humiliter petierint , injunctis eis & cuilibet eorum sub virtute juramenti,per ipsos & quemlibet eorum praestandi,quod similia de cetero non committant , nec ea committentibus dabunt auxilium, consilium vel favorem;& quod nostris & Romanae ecclesiae praedictae mandatis parebunt,ac pro modo culpae poenitentia salutari & aliis , quae de jure fuerint injungenda , auctoritate Apostolica , hac vice dumtaxat , absolvias in forma ecclesiae consueta : nec non omnia hujusmodi crimina & excessus ac delicta per eos seu aliquem eorum perpetrata seu commissa quomodocumque & qualitercumque in quantum concernunt seu concernere possunt publicum interesse seu cameram Apostolicam,auctoritate praedicta remittas, ipsorumque & quemlibet eorum ab omnibus bannis, poenis seu condemnationibus, quae

quae seu quas propterea incurrerunt, ac a sententiis, quae contra ipsos & quemlibet eorum tam ab homine, quam a jure promulgatae existunt, in quantum hujusmodi publicum interesse & dictam cameram concernere possunt, absolvat & cum illis & hujusmodi ecclesiasticis personis, quae sic ligatae vel etiam in praesentia excommunicatorum; non tamen in contemptum clavum, divina officia celebrando vel immiscendo se illis irregularitatis maculam contraxerunt, eadem auctoritate dispensat: nec non eosdem & quemlibet praedictorum ad omnia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, ac canonicatus, & praebendas, dignitates, personatus & officia, ecclesias, hospita & alia beneficia quaecumque, etiamsi dignitates ipsae abbatales, priorales aut conventuales fuerint: nec non ad quo- scumque honores, dignitates alias & officia, quibus tam a jure, quam ab homine propter praedicta essent privati, dummodo in ipsis tempore datarum praesentium non sit alias alicui specialiter jus quaesitum, ac ad privilegia, bona & jura & ad omnes actus legitimos praedicta auctoritate restituas & reintegras: ac in statum pristinum reducas & reponas, in quo erant ante tempus, quo hujusmodi banna, sententias sive poenas incurserunt; districtius inhibentes dilectis filiis quibuscumque officialibus nostris & dictae ecclesiae, qui sunt & erunt pro tempore, ne contra eosdem populum & Communitatem ac personas vel aliquem eorum occasione hujusmodi criminum vel excessuum seu delictorum, in quantum hujusmodi interesse publicum & dictam cameram concernunt vel concernere possunt, procedere vel occasione praemissorum ipsos aut aliquem eorum molestare vel banna seu poenas aut condemnationes hujusmodi exigere aut petere quoquomodo praesumant; decernentes ex nunc irritos & inanes quoscumque processus & sententias, quos seu quas contra inhibitionem nostram hujusmodi haberi contigerit seu etiam promulgari: & nihilominus mandantes omnibus & singulis officialibus nostris & dictae ecclesiae, qui libros seu codices, in quibus hujusmodi banna seu condemnationes forsitan sunt descripta, seu annotata obtinent, quatinus illa de libris seu codicibus ipsorum deleant & cassent ac deleri & cassari faciant cum effectu: ac tibi & hujusmodi personis, quibus vices tuas commiseris, ut praefertur, districtius inhibentes ne ratione beneficii absolutionis hujusmodi a quibuscumque personis praedictis singularibus, quae occasione praemissorum venerint abfol-

solvendae, aliquid exigere vel etiam gratis & sponte oblatum recipere quomodolibet praesumatis. Contrarium vero facientes eo ipso sint excommunicationis sententia irretiti & a dignitatibus, officiis & administrationibus quibuscumque suspensi : & nihilominus ad hujusmodi indebite perceptorum restitutionem integrum teneantur. Volumus autem, quod si populus & Commune ac personae praedictae, quae vigore praesentium absolvantur, vel aliquae ex eis ullo unquam tempore, quod absit, ab obedientia & subjectione nostra vel dictae Romanae ecclesiae se subtraxerint, vel nobis & eidem ecclesiae rebelles fuerint, hujusmodi subtrahentes & rebelles in praedictas poenas & sententias reincidant ipso facto, & praesentes litterae, quo ad eos, nullius existant roboris vel momenti. Datum Romae apud sanctum Petrum xiv. Kal. Junii pontificatus nostri anno septimo.

XXVII.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

An. 1396.

Bonifacius &c. Ad futuram rei memoriam. Sincerae devotionis affectus, quem dilecti filii, Commune nostrae civitatis ORTANAЕ, nec non universitates opidorum, castrorum, terrarum, villarum & locorum comitatus & districtus civitatis ejusdem, ad nos & Romanam gerunt ecclesiam, merito nos inducit, ut illa Communi & universitatibus praedictis ac particularibus personis eorumdem, civitatis, comitatus, & districtus, favorabiliter concedamus, quae suis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Hinc est quod nos volentes Commune, universitates & particulares personas hujusmodi favoribus prosequi gratiosis, ipsorum in hac parte supplicationibus inclinati, Communi, universitatibus & personis praefatis auctoritate Apostolica tenore praesentium indulgemus, ut in primis causis civilibus & criminalibus, quantum videlicet ad seculare forum pertinet, extra loca incolatiis proprii seu domicilii vel civilelii per litteras Apostolicas de cetero impetrandas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indul-

dulso hujusmodi mentionem , aut vigore constitutionum provinciae nostrae patrimonii beati Petri in Tuscia, infra quam civitas & comitatus & districtus hujusmodi consistunt , ac aliorum statutorum seu consuetudinum quarumcumque , nequeant nisi in quinque exceptis casibus in constitutionibus dictae provinciae expressis, ad judicium evocari, sic tamen coram propriis vel delegatis judicibus infra civitatem seu alia opida , castra Terras , villas vel loca hujusmodi teneantur legitime stare juri. Decernimus insuper sententias & processus, quas & quos contra praesentis indulti formam promulgari forsan contigerit vel haberi , nisi forsan judices hujusmodi in exhibendo potentibus justitiae complementum, negligentes fuerint vel remissi, irritos & inanes . Volumus etiam quod si ullo unquam tempore, quod absit , Commune aut universitates seu particulares personae hujusmodi aut aliqua ipsarum se a fidelitate & obedientia nostra & dictae ecclesiae subtraxerint vel subtraxerit , praesens indulsum , quoad subtrahentes vel subtrahentem hujusmodi, nullius existat roboris vel momenti . Nulli ergo &c. nostrae concessionis , constitutionis & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romae apud sanctum Petrum xiv. Kal. Junii pontificatus nostri anno septimo .

N O T A.

Hoc privilegium occurrit cum quibusdam aliis urbi HORTANAЕ concessis, & ibidem editis per Petrum Matthaeum Thesorum de Foro Sempronii anno 1551. in folio .

XXVIII.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

Bonifacius &c. Dilectis filiis Communitatи & hominibus Anno 1596. civitatis nostrae ORTANAЕ salutem &c. Sincerae devotionis affectus , quem ad nos & Romanam geritis ecclesiam merito nos inducit, ut ea, quae pacis & quietis vestrae commoda respici-

respicere noscuntur, vobis liberaliter concedamus. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli de civitate nostra ORTANA exititii seu alias banniti existant, qui si ad eandem civitatem reciperentur & admitterentur, multa ex inde ipsius civitatis tranquillitati possent damna & scandala irrogare: nobisque pro parte vestra fuerit humiliter supplicatum, ut vobis super his providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica vobis tenore praesentium indulgemus, ut usque ad decennium, a data praesentium computandum, & etiam post hujusmodi decennium elapsum, nisi id de vestra processerit voluntate, nullus legatus aut subdelegatus Apostolicae Sedis, aut nostri seu dictae Sedis reges, seu officiales, qui sunt & erunt pro tempore, ad hujusmodi exititorum & bannitorum in praedictam civitatem receptionem & admissionem quacumque etiam auctoritate, nisi ex speciali mandato ejusdem Sedis plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem faciente, compellere vos valeant quoquo modo. Nos enim quicquid contra indulta hujusmodi nostri tenoris extiterit propria temeritate praesumptum, irritum decernimus & inane. Nulli ergo &c. nostrae concessionis, & constitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romae apud sanctum Petrum xiv. Kal. Junii contificatus nostri anno septimo.

XXIX.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

Anno 1396. **B**onifacius &c. Dilecto filio magistro Paulo de Juvenatio, camerae Apostolicae clerico, & civitatis nostrae ORTANAE, ejusque comitatus, territorii & districtus pro nobis & Romana ecclesia reformatori salutem &c. Ad statum civitatis nostrae ORTANAE, ejusque comitatus, territorii & districtus pacifice & salubriter dirigendum, sollicitis studiis inrendentes, ad ea, per quae status ipsorum salubriter dirigatur, libenter intendimus, & ad reformationem illorum, quae deformata conspicimus

mus, adhibemus sollicitudinis nostrae partes. Cum itaque, sicut acceperimus, civitas praedicta, ejusque comitatus, territorium & districtus magna reformatione indigere noscantur, nos ad reformationem hujusmodi, prout ex debito pastoralis officii tene-
mur, paternis & solicitis studiis intendentes, ac sperantes, quod tu, qui etiam cubicularius noster existis, de cuius fidelitate, pru-
dentia & diligentia in multis & arduis comprobatis sumpsimus
in Domino fiduciam specialem, ea quae tibi commiserimus cu-
rabis fideliter, solicite & prudenter adimplere; harum confide-
ratione induci te reformatorem civitatis, comitatus, terri-
torii & districtus praedictorum usque ad nostrum beneplaci-
tum, auctoritate Apostolica, tenore praesentium constituimus;
& etiam deputamus tibi ciuitatem, comitatum, territorium &
districtum praedicta, in omnibus his, quae reformatione & cor-
rectione noveris indigere, auctoritate nostra reformandi & cor-
rigendi; ac in eis quaecumque tibi pro honore & statu nostro &
sanctae Romanae ecclesiae ac civitatis, comitatus, territorii &
districtus praedictorum, ejusque civium, incolarum & habitato-
rum videris expedire, statuendi & ordinandi: necnon possestio-
nem & tenutam Rocchae ipsius civitatis, ac terrarum, castrorum
& aliorum locorum ipsorum comitatus, territorii & districtus
praedictorum a dilecto filio Berochio cive ORTANO & quibus-
cumque aliis Rocchae, terrarum, castrorum & locorum ipsorum
Castellanis, custodibus & aliis in eis deputatis nostro, & dictae
ecclesiae nostrae recipiendi; ipsosque Berochium, Castellanos &
custodes ac deputatos hujusmodi de receptis & assignatis per
eos tibi, & omnibus, quae ab eis ratione eorum quovis modo
petere possemus, quietandi penitus & liberandi; & in Rocca, Ter-
ris, castris & locis ipsis & eorum quolibet castellanos, capita-
neos & alios officiales necessarios & oportunos, si, & prout tibi
videbitur faciendum, quoties opus fuerit, & tibi videbitur, po-
nendi, deponendi, eisque salario congrua, de quibus tibi videbi-
tur, concedendi, & super salariis hujusmodi debitibus & debendis
componendi & concordandi, ac de omnibus & singulis fructibus,
redditibus, preventionibus, introitibus & emolumenis civitatis,
comitatus, territorii & districtus praedictorum, ad cameram
Apostolicam pertinentibus, pro praemissis & aliis; de quibus
tibi videbitur, arbitrio tuo disponendi & ordinandi; ac omnia
alia & singula ad hujusmodi reformationis officium quomodo-
libet pertinentia, & quae pro honore & statu hujusmodi tibi vi-

debuntur oportuna, faciendi, mandandi, disponendi, ordinandi & exequendi; alienatione tamen bonorum immobilium & pretiosorum mobilium civitatis, comitatus, territorii & districtus praedictorum, tibi penitus interdicta: contradictoresque per spirituales & temporales districtiones, prout tibi visum fuerit expedire, appellatione postposita, compescendi, plenam & liberam auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus potestatem: mandantes dilectis filiis civibus, incolis & habitatoribus ac Potestatibus, castellanis & aliis officialibus civitatis, comitatus, territorii & districtus Rocchae terrarum, castrorum, locorum praedictorum & cuilibet eorum, ut hujusmodi beneplacito durante, in omnibus, quae ad hujusmodi reformationis officium quomodolibet pertinent, tibi pareant, obedient efficaciter, & intendant; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam & gratam habebimus, & faciemus auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari. Tu igitur officium praedictum sic studiose, fideliter & prudenter exequi studeas, quod exinde sperata commoda proveniant, tuque apud nos & Apostolicam Sedem amplius valeas non immerito commendari. Datum Romae apud sanctum Petrum v. idus Julii anno septimo.

XXX.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

Anno 1396. **B**onifacius &c. Dilecto filio magistro Paulo de Juvenatio camerae Apostolicae clero, Cubiculario nostro salutem &c. De fidelitate & prudentia tuis, familiari experientia nobis notis, plenam in Domino fiduciam obtinentes, quod ea quae tibi commiserimus curabis fideliter adimplere, horum consideratione induit tibi dilectam in Christo filiam nobilem mulierem dilecti filii nobilis viri Berochii Dominicelli ORTANI natam, in Chrismate nostro nomine tenendi & alia circa haec necessaria faciendi, plenam & liberam concedimus potestatem. Datum Romae apud sanctum Petrum v. Kal. Augusti pontificatus nostri anno septimo.

BONI-

XXXI.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

BOnifacius &c. Dilecto filio nobili viro Berochio Domi-^{An. 1396.}
cello ORTANO salutem &c. Cum nos dilectum filium no-
bilem virum Johannem Philimarinum dictum Chiottum,
Domicellum Neapolitanum, Castellanum Rocchae civitatis no-
&trae ORTANAЕ duxerimus deputandum, prout in nostris inde
confectis literis plenius continetur, volumus & tibi mandamus,
quatenus ipsam Roccham, quam tenes & ejus tenutam eidem
Johanni ad quancumque eiusdem requisitionem, visis praesenti-
bus, tradas & assignes. Nos enim eidem Johanni te de ipsa Roc-
cha & omnibus, quae ipsius occasione a te petere quovis modo
possemus, facta per te sibi praefata ipsius Rocchae assignatione,
nostro & Romanae ecclesiae nomine quitandi penitus, & libe-
randi plenam & liberam concedimus tenore praesentium po-
testatem. Datum Romae apud sanctum Petrum v. Kal. Augusti
anno septimo.

XXXII.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

BOnifacius &c. Dilecto filio nobili viro Verrochio Geor-^{An. 1396.}
gii, domicello ORTANO, castri nostri Utriculi Narniensis
dioecesis pro nobis & Romana ecclesia in temporalibus
Vicario salutem &c. Ad statum castri nostri Utriculi Narniensis
dioecesis ejusque territorii & districtus pacifice & salubriter
dirigendum, sollicitis studiis intendentes, operarias manus li-
benter apposuimus, ut in eis cultus justitiae vigeat & pacifica
tranquillitas refloreat, plantentur boni mores, & reprobi extir-
pen-
H h h ij

pentur : viri quoque virtuosi propriae actionis praemium sentiant ; mali vero corrigantur & si obstinati fuerint , luant pro demeritis dignas poenas . Hinc est quod nos de tuis, fidelitate, prudentia , ac diligentia in multis arduis comprobatis, sumentes in Domino fiduciam spectabilem,& sperantes quod illa, quae tibi commiserimus, exequaris fideliter, solicite & prudenter; te dicti castrorumque territorii & districtus pro nobis & Romana ecclesia in temporalibus Vicarium cum honoribus , oneribus , officialibus , sociis & famulis consuetis usque ad nostrum beneplacitum, auctoritate Apostolica , tenore praesentium facimus, restituimus; & etiam deputamus tibi omnia & singula, quae pro nostro & ipsius ecclesiae honore & pro cultu iustitiae , pace , tranquillitate & prospéro statu castrorum, territorii & districtus praedictorum , expedientia cognoveris , & quae ad hujusmodi vicariatus officium pertinent, de consuetudine vel de jure mandandi, ordinandi, disponendi, faciendi & exequendi; alienatione tamen bonorum immobilium , & pretiosorum mobilium dictorum castrorum, territorii & districtus, tibi penitus interdicta; contradictoresque auctoritatae nostra per temporalem distictionem, prout expediens fuerit, & tibi videbitur faciendum, appellatione postposita, compescendo; potestatem plenam & liberam contra inobedientes , ac mandantes dilectis filiis Terrigenis & incolis ac habitatoribus castrorum, territorii & districtus praedictorum, ut hujusmodi beneplacito durante, tibi in his, quae ad officium ipsum pertinent, pareant effectualiter & intendant . Alioquin sententiam sive poenam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam & gratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem , quod antequam officium ipsum incipias exercere , de eodem officio fideliter exercendo ac debitae fidelitatis in manibus venerabilis fratris nostri Conradi archiepiscopi Niceniensis, Camerarii nostri, praestes in forma solita juramentum. Tu igitur officium praedictum prompta devotione suscipiens , sic illud studiose, fideliter exequaris, quod exinde spectata commoda proveniant , tuque apud nos & Apostolicam Sedem de fidelitate, prudentia & diligentia amplius valeas non immerito commendari . Datum Romae apud sanctum Petrum decimo- quinto Kal. Junii anno septimo .

XXXIII.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

Bonifacius &c. Dilecto filio Verochio Georgii, Civi OR^{An. 1396.} TANO, in castro nostro Bauce ORTANAE dioecesis, ejusdemque castrorum territorio & districtu pro nobis & Romana ecclesia in temporalibus Vicario salutem &c. Inter ceteras, varias, multiplicesque curas, quibus assidue premebimus, illa praecipue pulsat & excitat mentem nostram, ut ad regimen & gubernationem castrorum, Terrarum & locorum Romanae ecclesiae immediate subjectorum, viros deputemus idoneos, fide praeclaros, providentia circumspectos, rectitudine justos, experientia doctos, & solitudine vigiles, qui statum & honorem dictae ecclesiae diligent, pacem ament, concordiam nutriant, subditos non gravent, & sine personarum acceptatione justitiam administrant: & sic prudenter & juste populos gubernent & regant, quod iidem populi & subiecti nostri, laudabiles se receperisse rectores & gubernatores merito glorientur. Sane attendentes sincerae devotionis affectum, quem tu ad nos & eandem ecclesiam Romanam geris; necnon circumspectionis industriam & sinceritatem personae tuae, & alias multiplices virtutes, quibus Dominus earum largitor eandem personam tuam multipliciter insignivit; ac volentes aliquibus ex dictis subditis de utili & provido gubernatore providere; indubieque sperantes, quod ea, quae tuo sagaci studio duxerimus committenda, promptis affectibus & exacta diligentia prudenter ac fideliter exequaris, te, quo ad vixeris, & post tui obitum heredes tuos usque ad tertiam generationem inclusive, vicarios nostros & Romanae ecclesiae in temporalibus in castro nostro Bauce ORTANAE dioecesis ejusdemque castrorum territorio & districtu, ad nos & eandem ecclesiam nullo medio pertinentibus, dummodo tu & iidem heredes persistatis & continuetis in obedientia & fidelitate nostra & dictae ecclesiae, auctoritate Apostolica tenore praesentium facimus, constituimus; & etiam deputamus tibi & heredibus praelibatis regimen & gubernationem castrorum praediti, hujus-

hujusmodi vicariatu durante, cum illius mero & mixto imperio ac omnimoda jurisdictione temporali, quam inibi praedita ecclesia seu officiales per eandem ecclesiam hactenus deputati de jure aut privilegio vel consuetudine exercere consueverunt ad honorem vestrum & ejusdem Ecclesiae, statumque pacificum & tranquillum castri, territorii & districtus praedictorum ac incolarum & habitatorum eorumdem per te & heredes praedictos, vel alium seu alios juste & fideliter exercendis; necnon custodiam Roccharum, si qua sit in illo, plenarie committentes, tibique & praefatis heredibus in praedicto casu, durante vicariatu hujusmodi, per vos vel alium seu alios inibi quoscumque Potestates, judices, & officiales ydoneos, qui possint ac debeant in eisdem castro, territorio, & districtu quaestiones quaslibet tam civiles, quam criminales & alias cuiuscumque speciei vel generis motas vel movendas; exceptis criminibus haeresis & lesae Majestatis & falsitatis litterarum Apostolicarum, audire & de illis praevia ratione cognoscere, easque sine debito terminare & executioni debitae demandare; constituendi, creandi, faciendi, remouendi & destituendi, ac alios ad illa quotiens tibi & dictis heredibus placuerit deputandi: necnon colligendi, habendi, exigendi, & percipiendi, & durante hujusmodi vicariatu tuis & dictorum heredum tuorum usibus applicandi omnes & singulos fructus, redditus, & proventus, ac omnia & singula emolumenta & introitus quocumque nomine censeantur in castro, territorio & districtu praedictis: de quibus nullam tu nec heredes praedicti teneamini reddere rationem ad nos & dictam ecclesiam pertinentia: ita tamen quod ex hoc universitas & singulares personae castri, territorii & districtus praedictorum, absque ipsorum expressa voluntate, ultra consuetum modum non graventur, & de ipsis omnibus & singulis debitibus pedagiis, emolumента & introitibus, durante hujusmodi vicariatu, prout tibi & heredibus hujusmodi videbitur, disponendi; alienatione bonorum & jurium ipsius castri tibi & praedictis heredibus penitus interdicta: ac per te & dictos heredes vel alium seu alios, quibus tu vel iidem heredes id commiseritis, hujusmodi vicariatu durante, merum & mixtum imperium ac omnimodam jurisdictionem praedictam, praeterquam in casibus superius expressis & exceptis, exercendi: necnon contradictores quoslibet & rebelles, quotiens expedierit, temporali distictione, qua convenient, compescendi, ac omnia alia & singula quae

quae honori nostro & ejusdem ecclesiae & pro statu pacifico & tranquillo castrī, territorii & districtus praedictorum incolarum & habitatorum eorumdem expedire cognoveritis, faciendi, statuendi, ordinandi, corrigendi, puniendi, definiendi & exequendi, auctoritate praedicta facultatem plenariam concedentes, ac volentes quod ad mandatum dictae ecclesiae & officialium ad hoc potestatem habentium, tu & heredes praedicti faciatis exercitus & calvacatas, & ad praelamentum provinciae nostrae patrimonii B. Petri in Tuscia, in quo praedictum castrum consistit, accedatis quotiens vobis fuerit injunctum; ac ordinationes & mandata dicti praelamenti observetis, & quod nunquam confoederationes seu ligas aliquas faciatis contra nos aut Romanam ecclesiam & rectorem dictae provinciae cum aliquibus universitatibus, comitatibus & singularibus personis; & si forsitan aliquas fecistis vel faceretis, illas nullatenus observetis: quas nos decernimus nullas fore, ac te & heredes praedictos ad illarum observationem, etiam si juramentum intervenisset, non teneri. Sic tamen, quod de hujusmodi consuetis & debitibus fructibus, redditibus & proventibus, ac introitibus & aliis quibuscumque emolumentis, tu & heredes praedicti teneamini castrum, territorium & districtum hujusmodi vestris sumptibus & expensis diligenter & fideliter reparare & manutenere, conservare, defendere, ac etiam custodire, ac omnia alia ipsorum onera supportare, absque eo quod dicta ecclesia tibi vel hereditibus praedictis pro hujusmodi vicariatu, rectoria, gubernatione, reparatione, refectione, conservatione, defensione, custodia & oneribus supportandis subvenire in aliquo teneatur seu pro expensis, quae in praemissis seu praemissorum aliquo seu alteris quomodolibet, vel eorum occasione factae sint, vel quas fieri contingat in futurum, aliquid ab eadem ecclesia exigi seu peti poshit, seu etiam vicariatu finito, restitutio castrī, territorii & districtus hujusmodi retardari valeat seu quomodolibet impediri. Et nihilominus pro omnibus & singulis introitibus & proventibus castrī praedicti nomine canonis seu census nobis & Romanae ecclesiae, seu camerae Apostolicae in urbe Romana, aut ubi nos vel successores nostri canonice intrantes resdebitimus, aut Romana curia fuerit, unum par Fasianorum annis singulis, hujusmodi vicariatu durante, in festo sanctorum Petri & Pauli, quod est de mense Junii, tuis & dictorum heredum periculis, fortuna, sumptibus & expensis dare, assignare, ac solvere

realiter tu tenearis , & ipsi heredes etiam teneantur . Volumus etiam & retinemus ac specialiter & expresse reservamus , quod dicto vicariatu durante rectores provinciae nostrae praedictae , qui erunt pro tempore , ac eorum locatenentes & curia generalis ipsorum rectorum in causis appellationum quarumlibet tam civilium , quam criminalium & aliis ad dictam curiam generalem de jure , vel consuetudine , seu alias legitime deferendis cum plena examinatione & cognitione decidendis ab eis , eo jure plene ac libere & pacifice in castro , territorio & districtu supradictis & contra ipsorum incolas & habitatores cognoscant & utantur sicut in castris , terris & locis aliis dictae provinciae , quae immediate pro dicta reguntur ecclesia : in ipsorumque habitatores & incolas de jure , itilo , ordinationibus seu antiqua- consuetudine quomodolibet usi fuerint hactenus , & cognoscere & uti consueverunt seu cognoscent & utentur imposterum : sal- vis tamen & reservatis in hoc quibuslibet privilegiis & indultis , castro , territorio & districtu praedictis in hac parte competen- tibus , si qua forent , quibus propterea non intendimus derogare . Volumus insuper , & hujusmodi vicariatus constitutioni adjici- mus per praesentes , quod incolas & habitatores praedicti ad parlamenta generalia accedere ac exercitus & cavalcatas more solito , sicut alii de dicta provincia facere consueverunt , facere teneantur ; quodque tu & heredes praedicti per nos & officiales nostros , quos ad hoc duxeritis deputandos , castrum , territorium & districtum praedictos ac incolas & habitatores eorumdem , hujusmodi vicariatu durante , juste & legitime regatis & gubernatis ; sua jura , consuetudines & statuta castri , territorii & dis- strictus ipsorum ac incolas & habitatores praedictos nullatenus opprimatis , sive gravetis . Immo in bona justitia manuteneatis & foveatis ad bonum statum , pacificum & tranquillum ejusdem , & quod omnia statuta , si qua essent in eisdem castro , territorio & districtu contra Romanam ecclesiam & officium inquisitionis haereticae pravitatis , libertatem ecclesiasticam , ecclesias sive ecclesiasticas personas , seu earum aliquas cassetis de libris & capitaribus eorumdem : nec ea servetis , nec servari permittatis , nec receptetis manifestos vel occultos hostes , inimicos , rebelles vel bannitos ejusdem ecclesiae , seu etiam criminosos de terris ecclesiae ad castrum , territorium & districtum confugientes , nec directe vel indirecte faciatis per alios publice vel occulte rece- ptari , nec eis vel eorum alicui auxilium , consilium vel favorem dari

dari aut praestari ullo modo permittatis. Quin potius quoscumque ex eis in tuam & dictorum heredum pervenientes potestatem , quotiens super hoc a legato Apostolicae Sedis vel rectore provinciae praedictae , aut aliis dictae Ecclesiae officialibus , ad quos ratione officiorum suorum id pertineret , requisiti extiteritis, bona capi faciatis,& ad hujusmodi requirentes sub fida custodia destinari. Mandamus quoque districtius dilectis filiis castri praedicti, universitati,ac singularibus personis,incolis & habitatoribus praelibatis, quatenus te dictosque heredes, ut praemittitur , tanquam vicarios nostros & rectores eorum, benigne recipiant, honorificeque pertractent : & tibi & ipsis heredibus, tanquam ipsorum rectoribus & aliis officialibus tuis & ipsorum heredum , quos ad castri ejusdem regimen duxeritis deputandos,in omnibus,quae ad vicariatus & rectoriae hujusmodi spectant officium, nostrae & dictae Ecclesiae ac successorum nostrorum nomine, hujusmodi vicariatu durante, juxta praesentis constitutionis nostrae tenorem, plene intendere studeant, & efficaciter obedire . Tu igitur castrum praefatum, hujusmodi vicariatu durante,sic in tranquillitate & pacis dulcedine ac justitiae fideliter , solcite , ac prudenter gubernare & regere studeas & procures, quod personae & habitatores praedicti utili gubernatori & rectori provido gaudeant se commissos ; tuque apud Deum & homines exinde possis merito commendari , & nostram & Ecclesiae praedictae benedictionem & gratiam uberioris consequi merearis . Forma autem juramenti , quod tu ratione hujusmodi vicariatus nobis praestitisti , & quod per quemlibet heredum praedictorum , in casu praedicto , Romano Pontifici , qui erit pro tempore , vel ei , quem ad id deputaverit, volumus praestari , talis est . Ego Verochius Georgii civis ORTANUS , in castro Bauce ORTANAE dioecesis, ejusdemque castri territorio & districtu pro sanctissimo in Christo Patre & Domino nostro , domino Bonifacio divina providentia VIII. & sancta Romana Ecclesia in temporalibus vicarius deputatus , promitto & juro, quod ab hac hora inantea fidelis ero B. Petro Apostolorum Principi & eidem domino nostro,domino Bonifacio Papae VIII. & successoribus suis Romanis Pontificibus canonice intrantibus. Non ero in consilio,auxilio,opere,seu facto,quod dictus dominus noster seu successores sui vitam perdant , aut membrum , vel capiantur mala captione. Consilium vero,quod mihi significaverint vel committent per se , vel nuncios sive litteras , sine

eorum licentia , ad ipsorum damnum scienter nemini pandam vel manifestabo ; & nunquam ero verbo vel facto , consilio vel consensu,directe vel indirecte,per me vel alium,seu alios,publice vel occulte,seu quovis modo contra Romanam Ecclesiam vel Dominum nostrum summum Pontificem , qui nunc est vel pro tempore erit.Sed semper ero adiutor ad conservandum,retinendum,defendendum,ac recuperandum civitates,terras,castra,loc a,villas,rocchas,& bastitas,ac fortalitia ac omnia jura S.R.Ecclesiae . Etiam male alienata, vel per quoscumque homines occupata, vel tyrannice detenta,adiuvabo pro posse recuperare & recuperata secundum posse defendere: & in suo pleno dominio, juribus, utilitatibus & honoribus conservare dictam Romanam Ecclesiam & dictum Dominum nostrum summum Pontificem , qui nunc est,vel pro tempore erit,ac vicarios,legatos & officiales ipsius , etiam contra afferentes damnatae memoriae Rober tum , olim basilicae XII. Apostolorum vulgariter dictum Gebennensem , olim Antipapam, fuisse verum Papam , & Joannem olim tituli S. Marcelli dictum Ambianensem , presbyteros cardinales , per fel. rec. Urbanum Papam VI. justo Dei judicio, auctoritatae Apostolica,tanquam haereticos & schismaticos puniendos , eorum culpis & notoriis demeritis exigentibus , simili ter condemnatos , & contra eorum sequaces ac dantes eis, vel eorum alicui auxilium,consilium vel favorem,cujuscumque fuerint praeeminentiae,ordinationis,dignitatis,religionis,conditionis,aut status,etiamsi pontificali,regali,seu reginali vel quavis alia praefulgeant dignitatae ; & etiam si fuerint dictae Romanae Ecclesiae Cardiuales;& contra alios quoscumque per Ecclesiam denotatos vel imposterum denotandos , quamdiu extra gratiam & communionem dictae ecclesiae permanebunt . Nec eis vel alicui eorum dabo quovis modo per me vel alium seu alios , directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium,vel favorem. Nec ab aliis, quantum in me erit,& impedire potero,id praestari seu dari permittam.Sed eos pro posse impedi am , donec reducantur ad gremium S. R. Ecclesiae , ac obedientiam praefati domini Bonifacii VIII. Juxta tenorem processuum Apostolicorum , & prout justum fuerit praefatos damnatos , excomunicatos , & filios perditionis pro posse perse quar & invadai , ac persequi & invadi faciam , etiam contra omnes homines juxta meum posse & bona fide : & quod nunquam ero verbo, vel facto, consilio, vel consensu, ut aliquis Im pera-

perator, Rex, Dux, vel Marchio, seu quisvis alius nobilis, universitas, communitas seu collegium alicujus civitatis, terrae vel loci Ecclesiae Romanae praedictae, elegantur, nominentur, seu etiam assumantur in Dominum vel rectorem castri, territorii & districtus praedictorum, aut alicujus eorum, sine expressa licentia dicti domini Papae, qui nunc est, vel pro tempore erit, seu legatorum ejus. Et constitutiones papales, & maxime Joannis XXII. Clementis VI. & Innocentii VI. summorum pontificum, loquentium de hac materia, pro posse & totis viribus observabo. Et si contingeret, quod aliquis nominaretur vel eligetur, aut assumeretur in Dominum, officiale, vel rectorem in castro, territorio, vel districtu praedictis, sine expressa licentia dicti domini nostri, aut legatorum seu vicariorum ejus, non praestabo eis consilium, vel favorem publice vel occulte. Sed pro viribus, in quantum potero, repugnabo. Et quod reverenter ac honorifice, juxta posse meum, in dictis castro, territorio & districtu dictum dominum nostrum Bonifacium PP. VIII, qui nunc est & successores suos Romanos pontifices canonice intrantes, ac legatos, nuncios, vicarios, & officiales eorumdem, qui pro tempore essent, quotiens ad partes illas accesserint, reverenter & humiliter recipiam, ac pro posse honorifice pertractabo. In fidelitate & obedientia ipsius Romanae Ecclesiae & dicti domini nostri Papae, & successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, ac legatorum, vicariorum, & officialium suorum perpetuo & inviolabiliter permanebo. Et quod numquam contra Romanam Ecclesiam & dominum meum Bonifacium PP. VIII, seu successores suos Romanos Pontifices canonice intrantes, aut contra officiales ipsorum rebellabo, aut rebellantibus adhibeo quoquomodo auxilium; nec consilium, vel favorem publice vel occulte ipsis rebellantibus dabo. Sed praeceptis, monitionibus, & iussionibus dictae Romanae Ecclesiae, summorumque Pontificum parebo, & reverenter obediam, cum effectu. Cavalcatas, offensiones, invasiones, aut distinctiones non faciam, nec fieri procurabo contra aliquos Romanae Ecclesiae fideles, subditos, devotos, & obedientes; nisi in quantum dictus dominus noster Papa permiserit, & de sua processerit voluntate. Nullam conjurationem, conspirationem, seu ligam faciam contra dictum dominum nostrum Bonifacium PP. VIII. ejusque successores praedictos, vel Romanam Ecclesiam, aut officiales ipsorum. Nec aliquibus, nec alicui eorum damina faciam

vel fieri procurabo directe, vel indirecte, publice vel occulte: & quod omnia & singula supradicta inviolabiliter observabo. Sic me Deus ediuget & haec sancta Dei evangelia. Datum Romae apud sanctum Petrum **XIIII.** Kal. Junii pontificatus nostri anno septimo.

XXXIV.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

Pag. 299.
Anno 1396. **B**Onifacius &c. Dilecto filio Verrochio Georgii civi ORTANO, nostro nunc in castro nostro Bauce ORTANAЕ dioecesis ejusdemque castrи territorio & districtu pro nobis & Romana Ecclesia in temporalibus Vicario, salutem &c. Since rae devotionis affectus, quem ad nos & Romanam Ecclesiam geris, merito nos inducit, ut te Apostolici favoris gratia prosequamur. Nuper siquidem te, quoad viveres, & post obitum tui, heredes tuos usque in tertiam generationem inclusive, vicarios nostros & S. R. Ecclesiae in temporalibus in castro nostro Bauce ORTANAЕ dioecesis, ejusdemque castrи territorio & districtu ad nos & eandem Ecclesiam, nullo medio pertinentibus, te, & heredibus tuis hujusmodi, in fidelitate, obedientia & devotione nostra & dictae Ecclesiae persistentibus, per nostras litteras auctoritate Apostolica fecimus, constituimus. Et etiam deputavimus tibi & heredibus tuis praefatis regimen & gubernationem castrи, ac territorii & districtus praeditorum, vicariatu hujusmodi perdurante, in eisdem temporalibus plenarie committendo, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur volentes tibi ac heredibus tuis hujusmodi, ut praedium castrum, ac jura ipsius melius & salubrius manuteneret & defendere valeatis, de alicuius subventionis auxilio providere provisione annua decem ducatorum auri tibi & filiis tuis masculis ex tuo corpore legitime venientibus, hujusmodi castrи territorii & districtus Vicariis, de introitibus & redditibus generalis gabellae civitatis ORTANAЕ per dilectum filium camerarium ipsius civitatis pro tempore existentem, nostro & et ac

Eiae Ecclesiae nostrae mense quolibet de cetero , durante vica-
riatu hujusmodi , persolvendum auctoritatae Apostolica tenore
praesentium deputamus , & etiam assignamus . Tibi nihilominus
de specialis dono gratiae concedentes , ut cum introitus & red-
ditus dictae gabellae usque ad vigesimam octavam diem mensis
Januarii proxime futuri ex certis causis obligati ac venditi exi-
stant , infra hujusmodi tempus de pecuniis ad dictum came-
rarium ex condemnationibus , quas in dicta civitate fieri con-
tingeret , provenientibus , hujusmodi provisionem decem duca-
torum interim mense quolibet libere percipiatis , ac etiam asse-
quaris : eidemque camerario districtius harum serie injungen-
tes , quatenus tibi & heredibus & filiis tuis hujusmodi provisio-
nem mense quolibet , hujusmodi vicariatu durante , integrali-
ter tradat , effectualiterque consignet . Nos enim tibi ac heredi-
bus & filiis tuis hujusmodi praefatum camerarium nostro &
Apostolicae camerae nomine de receptis plenarie quitandi ac
etiam liberandi plenam & liberam tenore praesentium
concedimus facultatem . Volumus autem quod . . . de solutio-
ne , quietatione hujusmodi continue duo consimilia confici fa-
ciat publica instrumenta : quorum uno penes se pro sui cautela
retento , reliquum ad dictam cameram trasmittere non omittat .
Datum Romae apud sanctum Petrum . . . Kal. Junii pontifi-
catus nostri anno septimo .

XXXV.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

Bonifacius &c. Dilecto filio Verrochio civi ORTANO , ca- Pag. 299.
An. 1396.
stri nostri Bause ORTANAE dioecesis , ejusdemque territo-
rii & districtus pro nobis & Romana Ecclesia in tempo-
ralibus Vicario salutem &c. Sincerae devotionis affectus , quem
ad nos & Romanam Ecclesiam geris , promeretur , ut ea tibi fa-
vorabiliter concedamus , quae tuis commoditatibus fore con-
spicimus oportuna . Nuper siquidem te ac filios & heredes
tuos usque in tertiam generationem inclusive , in castro nostro
Bause ,

Bauce, ORTANA^E dioecesis, ipsiusque territorio & districtu, Vicarium in temporalibus pro nobis & Romana Ecclesia duximus statuendum, prout in Apostolicis literis superinde confessis plenius continetur. Nos igitur volentes, te, ut a tuis, ac filios & heredes praedictos, ut ab eorum aemulis, tutiores existatis, Apostolici favoris munimine confovere, tibi ac filiis & heredibus praedictis, ut hujusmodi vicariatu durante, quaecumque arma offensibilia & defensibilia in quibuscumque civitatibus, terris, castris & locis nobis & dictae ecclesiae immediate subjectis publice & occulte, alicujus licentia super hac minime requisita, libere & licite gerere valeatis, auctoritate praedicta tenore, praesentium de speciali gratia indulgemus quibuscumque nostris & dictae ecclesiae officialibus, ne erga te, ac filios & heredes tuos hujusmodi praesentis indulti nostri tenore, aliquid attemptare praesumant, districtius inhibentes. Nulli ergo &c. Nostrae concessionis & inhibitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romae apud sanctum Petrum Kal. Junii anno septimo.

XXXVI.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

Anno 1396. **B**onifacius &c. Dilectis filiis Universitati & hominibus castri Vassani, nobis & Romanae ecclesiae immediate subjectis, ORTANA^E dioecesis, salutem &c. Sincerae devotionis affectus, quam ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, promeretur, ut vos spiritualibus favoribus prosequamur. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, in districtu civitatis nostrae ORTANA^E, & in partibus vobis circumstantibus sint nonnulla molendina & possessiones ac bona alia immobilia, ad vos vel aliquas singulares personas ex vobis justo titulo pertinentia, de quibus haec tenus a certis temporibus citra, compulsi fuistis Communi dictae civitatis, & non nullis aliis, datia seu gabellas annuis temporibus solvere: ac praedicti Commune a vobis aliquando datia seu gabellas hujusmodi exigere & extorquere consueverunt; nos attendentes

con-

constantem fidelitatem , & fidem constantiam , quam erga nos & Romanam ecclesiam praedictam vos habere per exhibitionem operum haec tenus demonstrasti, & adhuc etiam demonstrasti : & propterea volentes vos favoribus prosequi gratiosis ; vestris in hac parte supplicationibus inclinati, volumus & Apostolica auctoritate vobis concedimus , quod deinceps ad Apostolicae Sedis beneplacitum praedictis molendinis & possessiōnibus & aliis bonis vestris quibuslibet in districtu praedicto , ac quibuscumque aliis partibus vicinis consistentibus , absque solutione alicujus datii vel gabellae , aut herbarici seu alterius exactionis cuiuslibet , uti , & gaudere libere valeatis ; districtus inhibentes praedictis Communi & quibuslibet aliis universitatibus , ac singularibus personis , ne vos , vel aliquem vestrum super praemissis impedire seu molestare quomodolibet praesumant : ac decernentes ex nunc irritum & inane , si secus super his a quoquam quavis auctoritatae contigerit attemptari . Volumus autem , quod si ullo unquam tempore vos , quod absit , ab obedientia & subjectione nostra seu Romanae Ecclesiae subtraheritis , hujusmodi gratia , ac praesentes literae nullius sint roboris vel momenti . Nulli ergo &c. Nostrae concessionis , inhibitionis , constitutionis & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romae apud sanctum Petrum sexto Kal. Decembbris anno octavo .

XXXVII.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

BOnifacius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam ^{An. 1396.} rei memoriam . Sincerae devotionis affectus , quem dilecti filii Commune nostrae civitatis HORTANAЕ , necnon universitates oppidorum , castrorum , terrarum , villarum , & locorum comitatus , & districtus civitatis ejusdem , ad nos & ad Romanam Ecclesiam gerunt , merito nos inducit , ut illa Communi , & universitatibus praedictis , ac particularibus personis eorumdem , civitatis , comitatus , & districtus favorabiliter conce-
da-

damus, quae suis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Hinc est, quod nos volentes Commune, universitates, & particulares personas hujusmodi, favoribus prosequi gratiosis, ipsorum in hac parte supplicationibus inclinati, Communi, universitatibus & personis praefatis, auctoritate Apostolica, tenore, praesentium indulgemus, ut in primis causis civilibus, & criminalibus, quantum videlicet ad saeculare forum pertinet, extra loca incolatus proprii, seu domicilii, vel ejusdem per literas Apostolicas de cetero impetrandas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem: ac vigore constitutionum provinciae nostrae patrimonii beati Petri in Tuscia, infra quam civitas & comitatus, & districtus hujusmodi consistunt, ac aliorum statutorum, seu consuetudinum quorumcumque, nequeant, nisi in quinque exceptis casibus in constitutionibus dictae provinciae expressis, ad judicium evocari. Sic tamen, quod coram propriis vel delegatis judicibus infra civitatem, seu alia oppida, castra, terras, villas, vel loca hujusmodi teneantur legitime stare juri. Decernimus insuper, sententias & processus, quas & quos contra praesentis indulti formam promulgari forsan contigerit vel haberi, si forsan judices hujusmodi in exhibendo potentibus justitiae complementum, negligentes fuerint vel remissi, irritos & inanes. Volumus etiam, quod si ullo unquam tempore, quod absit, Commune, aut universitates, seu particulares personae hujusmodi, aut aliqua ipsarum, se a fidelitate & obedientia nostra, & dictae Ecclesiae subtraxerint vel subtraxerit, praesens indultum, quoad subtrahentes, vel subtrahentem hujusmodi, nullius existat roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostrae concessio-
nis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu teme-
rario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, in indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romae apud sanctum Petrum **XIIII. Kal. Junii** pontificatus nostri anno septimo.

XXXVIII.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

BOnifacius &c. Dilectis filiis nobilibus viris Johannello , *An. 1396.*
 & Andreea Thomacellis militibus Neapolitanis, in civi-
 tate nostra ORTANA, ejusque comitatu, territorio, & di-
 strictu pro nobis & Romana Ecclesia in temporalibus Vicariis ,
 salutem &c. Dum in nostra considerationis intuitu grata &
 accepta fidelitatis obsequia, quae vos nobis & Romanae Eccle-
 siae retroactis temporibus liberaliter impendistis , & sollicitis
 studiis impendere non desistitis, debita gratitudine recensemus,
 & grandia merita vestrae famosae probitatis attendimus; ad ea
 nimirum concedenda , quae vestrum honorem & commodum
 sapient, statusque vestri & vestrorum concernant, promptis affe-
 citibus excitamur . His siquidem considerationibus & aliis , no-
 strum ad hoc inducentibus animum, moti, & ut eo ferventius &
 devotius ad nostra & Romanae Ecclesiae obsequia & fidelita-
 tem servandam anime mini per augmentum , quo per nos & Se-
 dem Apostolicam vos senseritis ampliori dono gratiae praeve-
 niri; vos quoad vixeritis in humanis simul, vobisque cedentibus
 vel decedentibus , heredes & successores vestros masculos, legi-
 timos, & naturales usque ad quartam generationem, etiam quo-
 ad vixerint, vicarios & rectores civitatis nostrae ORTANAЕ, ejus-
 que comitatus , territorii, & districtus ad nos & Romanam Ec-
 clesiam pertinentium , auctoritate Apostolica tenore praesen-
 tium , facimus, constitui mus & etiam deputamus in temporali-
 bus generales . Ita quod uno vestrum sine heredibus & successo-
 ribus hujusmodi decedente, alter supervivens in solidum, si vero
 heredibus & successoribus superstitibus , heredes & successores
 unus vel plures loco ipsius decedentis cum altero ex vobis su-
 perstite, ut praesertur, simul: vobis vero ambobus decedentibus
 praedicti heredes , & successores vestri superstites Vicarii & re-
 ctores civitatis, comitatus, territorii & districtus praedictorum,
 loco vestrum similiter quoad vixerint, existatis & existant, dum-
 modo in debita fidelitate & obedientia dictae Ecclesiae conti-

nuaveritis & perseveraveritis ; ac heredes & successores hujusmodi continuaverint & perseveraverint , atque nostra , vicarium, curam, regimen, gubernationem & administrationem civitatis, comitatus, territorii, & districtus praedictorum, ac castrorum , roccharum juriumque & pertinentiarum ac civium & incolarum & habitatorum eorumdem, vobis ac eisdem heredibus & successoribus vestris; ac vestrum ac eorum cuilibet, seu aliun vel alios cum illis , mero & mixto imperio ac omnimoda jurisdictione temporali , quae inibi per dictam Ecclesiam seu alios pro ea exercitata fuerunt diversis, & praesentialiter exercentur, ad honorem nostrum & ipsius Romanae Ecclesiae, ipsiusque statum pacificum , prosperum & tranquillum civitatis, comitatus, territorii, & districtus castrorum,roccharum,juriumque & pertinentiarum praedictorum; necnon civium,incolarum & habitatorum eorumdem juste & fideliter excendis , plenarie committentes , vobisque ac eisdem heredibus & successoribus , durante vicariatu hujusmodi , per vos & eos vel alium seu alios quoscunque potestates, judices,& officiales idoneos, qui possint & debeant quaestiones quaslibet tam civiles , quam criminales & alias cujuscunque speciei vel generis motas & movendas adferre civitatis,comitatus,castrorum,roccharum, territoriorum, juriumque,& pertinentiarum praedictorum & cujuslibet eorum ratione contractus delicti vel rei, de qua agetur,aut alias quovis modo de jure , vel approbata & perscripta consuetudine pertinentes, audire & de ipsis praevia ratione cognoscere;haeresis ac laesae majestatis schismatis,& falsitatis literarum Apostolicarum criminibus exceptis ; easque fine debito terminare & executioni debitae demandare; constituendi,creandi, & faciendi, removendi, & destituendi & alios, quos placuerit deputandi;necnon colligendi , habendi ac vestris & ipsorum heredum & successorum usibus applicandi omnia & singula consueta & debita telonia , pedagia , jura & emolumenta, fructus, redditus & proventus & introitus , quocunque nomine censeantur, ad nos & Romanam Ecclesiam praedictam in civitate, comitatu,castris,rocchis,territoriis & pertinentiis praedictis;& quodlibet eorum pertinentia,& de ipsis omnibus & singulis,durante vicariatu hujusmodi, prout vobis & eisdem heredibus & successoribus videbitur , & volueritis , disponendi ; ita quod de administratis & administrandis per vos & eosdem heredes & successores vestros & eorum officiales praedictos, nobis & praefatae Ecclesiae vel ali-

cui alii nostro & ejus nomine , nullam teneamini nec teneantur reddere rationem ; alienatione tamen bonorum ac jurium ipsius in civitate, comitatu, castris, rocchis,territoriis,& pertinentiis praedictis vobis & eis penitus interdicta : ac per vos & eosdem heredes & successores vel alium seu alios, quibus id committendum duxeritis , merum & mixtum Imperium , ac omnimodam jurisdictionem praedictam , praterquam in casibus superius exceptis , exercendi ; contradictores quoque quoslibet & rebelles quotiens expedierit temporali districione , qua convenit compescendi , ac omnia & singula , quae honori nostro , & ejusdem Ecclesiae, ac statui pacifico, prospero,& tranquillo civitatis, comitatus,castrorum,roccharum,territoriorum,jurium,pertinentiarum , civium , incolarum, & habitatorum, praedictorum expedire cognoveritis , faciendi, statuendi, ordinandi, mandandi, corrigendi, puniendi , definiendi , sententiandi , & exequendi, concedentes auctoritate praedicta plenariam facultatem . Ita tamen, quod de hujusmodi consuetis debit is , teloniis , pedagiis juribus,fructibus,redditibus,proventibus,introitibus & emolum mentis aliis quibuscumque , vos & praedicti heredes & successores vestri teneamini dictam civitatem , ejusque comitatum , terras , castra , arces , villas , & fortalitia , ac castra & rocchas praedictas vestris sumptibus , & expensis fideliter, & diligenter custodire, reparare, manutene re,conservare,& defendere; ac cetera ipsorum alia onera consueta supportare absque eo quod dicta Ecclesia vobis vel ipsis pro hujusmodi vicariatu, rectoria, gubernatione, reparatione, refectione, conservatione, defensio ne , custodiis & oneribus supportandis , subvenire in aliquo teneatur . Et nihilominus vos , & ipsi heredes & successores vestri singulis annis , quibus ipsum vicariatum , rectoriam , gubernationem & administrationem exercebitis , vel aliquis vestrum seu eorum exercebit , de hujusmodi emolumentis & pro ventibus pro censu & nomine census, civitatis, comitatus,territoriis & districtus praedictorum castrorum, roccharum, juriumque,& pertinentiarum suorum praedictorum nobis,seu successoribus nostris,canonice intrantibus & praedictae Ecclesiae Romanae , seu camerae Apostolicae unum Accipitrem singulis annis in festo Nativitatis Dominicae in Romana Curia ubicunque fuerit,vestris & eorumdem heredum, & successorum sumptibus periculo & fortuna, dare, assignare, & solvere ; necnon militare subsidium & alia servitia in concessionibus dudum per fel. rec.

Innocentium Papam sextum & alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu de ipsius vel ipsorum mandato per Sedis Apostolicae legatos factis attendere & adimplere fideliter teneamini ; ac heredes , & successores praedicti teneantur. Causas tanien omnium & singularum appellationum, & nullitatum quarumlibet tam criminalium , quam civilium , & alia quaelibet superioritatis jura nobis & nostris successoribus & legatis , ac rectori in provincia nostra patrimonii beati Petri in Tuscia, in qua ipsa civitas consistit, praesidentibus , qui sunt & erunt pro tempore , expresse & specialiter retinemus ; ac etiam reservamus : salvis tamen & reservatis in hoc casu quibuscumque privilegiis & indultis dictorum civitatis, comitatus, castrorum , roccarum , territoriorum , & pertinentiarum eis quovis modo in hac parte competentibus, si qua forent, quibus non intendimus propterea derogare . Volumus autem & hujusmodi vicariatus constitutioni adjicimus per praesentes , quod cives, communitates, universitates, incolae & habitatores praedicti ad parliamenta generalia accedere , ac afflictum eidein camerae, sicut olim consueverint, solvere teneantur: quodque vos & praedicti heredes & successores , ac vestri & eorum officiales, quos ad hoc duxeritis deputandos, civitatem, comitatum , castra, roccas, territoria, & pertinentias, neenon cives, communitates , universitates , incolas & habitatores praedictos, hujusmodi durante vicariatu , regatis , gubernetis secundum jura , constitutiones & statuta civitatis , comitatus , castrorum , roccarum, territoriorum, & pertinentiarum praedictorum, & alia per dictam ecclesiam , vel alium ad hoc , ab ea potestate habentem , tam edita & approbata , quam in posterum edenda & approbanda : & quod omnia statuta , si qua essent in eisdem civitate , comitatu , castris , roccis, territoriis, & pertinentiis contra Romanam Ecclesiam, & libertatem ecclesiasticam, ecclesias , ecclesiasticasque personas , seu eorum bona, cassetis & faciatis totaliter aboleri ; & quod eis non utamini, nec eas servetis; nec receptetis rebelles, & exbanditos aut inimicos ejusdem Ecclesiae; nec directe , vel indirecte faciatis per alios receptari, nec eis, vel eorum alicui auxilium , consilium vel favorem dari, seu praestari ullo modo permittatis . Quin potius quoescunque ex eis in vestram pervenientes potestatem , quotiens super hoc a legato Sedis Apostolicae vel rectore dictae provinciae , aut aliis dictae ecclesiae officialibus , ad quos ratione suorum officio-

ciorum id pertinet, requisiti fueritis, bona fide capi faciatis & ad hujusmodi requirentes sub fida custodia destinari. Volentes & etiam ordinantes, quod vos ac iidem heredes & successores omnes, gentes etiam armigeras tam equestris, quam pedestres per legatum, seu rectorem, aut officiales praefatos vel alium a dicta Ecclesia, seu ipsius legato, vel rectore aut officialibus ad hoc deputandis, quotiescumque transmissas, in civitate, comitatu, castris, Rocchis, territoriis, & pertinentiis praedictis recipere & receptare ac recipi, & receptari ac benigne tractari eisque de viualibus & aliis necessariis provideri pro competenti pretio sive foro juxta posse vestrum, facere teneamini: quodque cives, communitates, universitates, incolae, & habitatores civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, territoriorum, & pertinentiarum praedictorum, & cuiuslibet eorumdem in manibus vestris & dictorum heredum & successorum, seu alicujus vel aliquorum ad id per vos vel eos deputandi, vel deputandorum, juramentum debitae fidelitatis servandae nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac vobis & praedictis heredibus & successoribus, tanquam vicariis nostris & dictae Ecclesiae, infra congruum ad hoc per vos & eosdem heredes & successores moderandum terminum, praestare corporaliter teneantur. Volumus insuper & huic vicariatu adjicimus, quod singulis sex mensibus deinceps, ipso vicariatu durante futuris, quoscumque officiales, stipendiarios, provisionatos, salariatos, consanguineos, & alios quoslibet, quos vos & eosdem heredes & successores praedictos successivis temporibus ad regimen, gubernationem, seu custodiam civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, territoriorum, & pertinentiarum praedictorum & cuiuslibet eorum deputare, aut alias vobiscum habere vel tenere contigerit, in manibus dicti legati, vel vicarii generalis dictae Ecclesiae in partibus illis, si ipsi vel eorum alter in eisdem partibus fuerint; alioquin rectoris provinciae ibidem praesidentis, sive alicujus alterius ab aliquo ipsorum legati vel vicarii deputati, faciatis, & faciant, antequam eos recipiatis, juramentum praestari: quod ipsi nullo modo, ingenio, via vel forma consentient, aut permittent posse suo, quod civitas, comitatus, castra, rocchae, & territoria hujusmodi, vel aliquid eorum, durante vicariatu pradicto, a vestro & dictorum heredum, & successorum vestrorum regimine, gubernatione & administratione, ac a fidelitate & obedientia di-

ctae

Etiae Romanae Ecclesiae quomodolibet subtrahantur , cuiusvis
 alterius personae singularis vel universitatis potestati , ditioni
 vel dominio ad hoc nostro & dictorum successorum vestrorum
 non interveniente consensu, quomodolibet supponantur . Quin
 potius, ne id fiat obsistent, & totis viribus se opponent, at toto
 posse fideliter repugnabunt, & facient, quod civitas, comitatus,
 castra , rocchae , territoria , jura & pertinentiae hujusmodi ;
 necnon communitates, universitates, incolae, & habitatores sae-
 pedicti in vera fidelitate , obedientia , & devotione praefatae
 Romanae Ecclesiae, suorumque officialium permaneant illibati:
 quodque civitas , comitatus , castra , rocchae , territoria praedi-
 ta cum eorum juribus & pertinentiis , hujusmodi vicariatu
 finito, ad potestatem, dominium, ad manus dumtaxat nostras &
 successorum nostrorum, libere revertantur; ipsamque civitatem,
 comitatum , castra , rocchas, territoria, eorumque jura & per-
 tentias procurabunt toto posse , & sine fraude tradere & assi-
 gnare nobis & successoribus nostris , seu legato de latere vel
 vicario generali , tunc in illis partibus existenti , aut rectori di-
 etiae provinciae, in qua ipsa civitas, comitatus, castra, rocchae,
 territoria , jura & pertinentia hujusmodi consistere dinoscun-
 tur ; aut alii vel aliis ad id per nos vel successores nostros vel
 legatum de latere , seu generalem ; vicarium , vel rectorem &
 Apostolica Sede vacante , nullo existente legato , vel generali ,
 vicario , seu rectore , per collegium sanctae Romanae Ecclesiae
 Cardinalium deputando , tu dictique heredes & successores , ut
 idem sequatur & fiat procurabitis & procurabunt opportunis
 provisionibus & remediis bona fide. Praeterea volumus, & huic
 vicariatu adjicimus per expressum , quod vos , antequam hu-
 jusmodi vicariatus officium incipiatis exercere , & deinde singu-
 lis decenniis per vos vel procuratorem vestrum , per vos ad
 hoc legitime constitutum , in manibus camerarii nostri de civi-
 tate , comitatu , castris , rocchis , territoriis , juribus & perti-
 nentiis supradictis fideliter regendis & gubernandis , ac fidelitatis
 & alias in forma subscripta praestetis solitum & debitum
 juramentum : quodque, vobis vita functis, praedicti heredes &
 successores vestri infra sex menses a die vestri obitus immediate
 computandos , personaliter , & deinceps singulis decenniis per
 se vel procuratorem suum , coram nobis vel successoribus no-
 stris Romanis Pontificibus , seu illo vel illis , cui vel quibus id
 duxerimus, vel successores nostri duxerint, committendum, praedi-
 ca ,
 dicitur ,

dicta, civitatem, comitatum, castra, roccas, territoria, cum eorum juribus & pertinentiis, necnon vicariatum, regimen, gubernationem, & administrationem hujusmodi a nobis seu dictis successoribus nostris & a Romana Ecclesia recognoscere & fidelitatis, ac alias in forma subscripta praestare teneantur solitum & debitum juramentum, quodque, si forsan voluntates, reservations, retentiones, & alia superius expressa ac juramentum per vos & eosdem heredes & successores vestros, ut praefertur, praestandum & contenta in eo non servaveritis, seu non adimpleveritis, aut contra ipsam vel ipsorum aliquod temere per vos vel alium, seu alios feceritis, & culpam vestram super hoc moniti, infra tres menses a tempore monitionis hujusmodi computandos, congrua satisfactione non correxeritis, & censum praedictum non solveritis in termino supradicto; ex tunc excommunicationis sententiam illos, qui in hoc defecerint, incurrire volumus ipso facto, a qua nisi per nos, aut successores nostros, non possint, nisi in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere. Et nihilominus ab omni exercitio vicariatus, regiminis, gubernationis, & administrationis praedictorum vos & eos, qui culpabiles fueritis, suspendimus ipso jure, & illud eis penitus inhibemus, & si infra alios tres menses immediate sequentes, praedicta non curaveritis cum effectu debite reparare, ex tunc ab ipsis vicariatu, regimine, gubernatione, & administratione, ac omni jure vobis & dictis heredibus & successoribus vestris, exinde quomodolibet competenti, vos & ipsos privatos esse volumus, & tenore praesentium declaramus. Postremo omnes ambiguities, seu dubia, quae praetextu vel occasione concessionis, constitutionis, voluntatis, reservationis, receptionis, & conditionis superius dictarum, aut aliquorum aliorum praesentibus expresiorum, quovismodo & quotiescumque imposterum orirentur, ac ipsorum omnium interpretationem & declarationem ad nos & praeteritos successores nostros, & ad nullum alium volumus pertinere juxta nostram & dictorum successorum nostrorum voluntatem & arbitrium, faciendas. Mandantes quoque districtius, civitatis, comitatus, castrorum, roccarum, & territoriorum ac pertinentiarum praedictorum communitatibus, universitatibus, civibus, incolis, & habitatoribus praelibatis, quatenus vos & vobis deficientibus, praefatos heredes & successores vestros, ut praefertur, tanquam vicarios & reatores suos, dicto vicariatu durante, benigne recipientes & honorifici-

norifice pertractantes, vobis, & eisdem, tanquam nostris vicariis & suis rectoribus, & aliis nostris & eorum officialibus, quos ad civitatis, comitatus, castrorum, roccarum, territoriorum, & pertinentiarum praedictorum regimen duxeritis deputandos, in omnibus, quae ad vicariatus & rectoriae hujusmodi spectant officium, vobis & eisdem heredibus & successoribus juxta praesentis nostrae constitutionis tenorem, parere & intendere studeant, & efficaciter obedire. Vos igitur ex traditis vobis dono coelesti virtutibus sic in regimine hujusmodi vos habeatis, ac praefatos heredes & successores vestros circa hujusmodi regimen & gubernationem, prosperum & tranquillum, prout vobis possibile fuerit, erudire, instruere, & docere studeatis & procretis, quod communitates, universitates, cives, incolae, & habitatores praedicti, utilibus gubernatoribus & rectoribus providis gaudeant se commissos; vosque & ipsi heredes & successores apud Deum & homines valeatis exinde merito commendari, ac nostram & Ecclesiae praedictae benedictionem & gratiam uberiorius promereret. Forma autem juraimenti, quod vos & dictos heredes & successores, ratione vicariatus hujusmodi, praestare volumus, ut praefertur, ut per eam plenius informemini, praesentibus inseri fecimus, quae est talis. Nos Johannellus & Andreas Thomacelli germani, in civitate ORTANA, ejusque comitatu, territorio, & districtu, ad Romanam ecclesiam pertinentibus, eorumque roccis, & territoris pro sanctissimo in Christo Patre & Domino nostro domino Bonifacio divina providentia Papa nono & Ecclesia Romana, in temporalibus vicarii generales juramus, quod durante hujusmodi, ad quem gerendum per eum existimus constituti, per nos vel alium seu alios, quem & quos ad regimen, gubernationem, & administrationem vicariatus hujusmodi deputaverimus, praedicti Domini nostri & ejus successorum & ipsius Ecclesiae nominibus, & ad ipsorum reverentiam & honorem fideliter exercebimus, & ab hac hora in antea fideles, obedientes & devoti erimus beato Petro Apostolorum Principi, & dicto Domino nostro Papae, & successoribus suis canonice intrantibus, legatisque Apostolicae Sedis & saepedictis ecclesiae vicariis, ad partes Italiae destinatis, & imposterum destinandis. Et rectori praedictae provinciae, qui predicta Ecclesia erit pro tempore non erinus in consilio, aut consensu vel facto, quod ipsi, seu eorum aliquis vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium vero, quod nobis

nobis per se vel nuncios aut literas manifestabunt , ad eorum
damnum scientes nemini pandemus : & si sciverimus tractari
aliquid, quod in eorum damnum vergat aut praejudicium, illud
pro posse nostro impediemus: & si hoc impedire non possemus,
illud eidem Domino nostro vel successoribus suis , aut illi vel
illis, per quem vel quos crediderimus id citius ad ejus vel eorum
notitiam devenire, quantocius significare curabimus . Principa-
tum Romanum & regalia sancti Petri, ac jura, jurisdictiones, ho-
norem & majestatem praefati Domini nostri & successorum suo-
rum ac Romanae Ecclesiae , tam in praedictis , civitate , comi-
tatu, castris, rocchis & territoriis, quam alibi ubique, adiu-
tores eis erimus ad retinendum , defendendum , & recuperan-
dum civitates, terras, castra, villas, rocchas, & bastitas vel for-
talitia & omnia jura sanctae Romanae Ecclesiae . Etiam male ,
alienata , vel per quoscunque occupata vel tyrannice detenta
adiuvabinus pro posse recuperare & recuperata pro posse de-
fendere: & in suo pleno dominio, juribus, utilitatibus, & hono-
ribus conservare dictam Romanam Ecclesiam & dictum Do-
minum nostrum summum Pontificem , qui nunc est vel pro
tempore erit , aut vicarios , legatos , & officiales ipsius , etiam
contra damnatae memoriae Robertum olim basilicae duode-
cim Apostolorum Antipapam , qui se Clementem septimum
ausu sacrilego nominare praesumebat , & Joannem tituli san-
cti Marcelli, vulgariter dictum Ambianensem, presbyteros Car-
dinales per fel. rec. dominum Urbanum papam sextum , justo
Dei judicio, auctoritate Apostolica, tanquam haereticos & schis-
maticos puniendos, eorum culpis & notoriis demeritis exigen-
tibus , fententialiter condemnatos : & contra iniquitatis filium
Petrum de Luna , olim tituli sanctae Mariae in Cosmedin pre-
byterum Cardinalem , nunc Antipapam, qui se Benedictum de-
cimum tertium temerarie nominat , & contra eorum sequa-
ces ac dantes eis vel eorum alicui auxilium, consilium, vel favo-
rem, cujuscunque fuerint praeminentiae, ordinis, dignitatis, re-
ligionis , conditionis , aut status, etiam si pontificali vel reginali ,
seu quavis alia praefulgeant dignitate , etiam si fuerint
sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales. Etiam contra alios quo-
scunque per Ecclesiam denotatos vel imposterum denotandos ,
quandiu extra gratiam & communionem dictae Ecclesiae per-
manebunt . Nec eis vel alicui eorum quoquomodo per nos vel
alium seu alios directe vel indirecte publice vel occulte auxi-

lium, consilium, vel favorem dabimus, nec ab aliis, quantum in nobis erit, & impedire poterimus, praestari seu dari permittemus; sed eos pro posse, donec reducantur ad gremium sanctae Romanae Ecclesiae & obedientiam praefati domini Bonifacii Papae noni, juxta tenorem processuum Apostolicorum, prout justum fuerit, pro posse persequeamur & invademus: ac persequi & invadi faciemus, etiam contra omnes homines mundi juxta nostrum posse & bona fide. Et contra dictum Dominum nostrum, successores, legatos, vicarios, & Ecclesiam, memoratos vel eorum officiales non erimus; sed cum eis erimus & toto posse nostro adhaerebimus, ac eorum statum & honorem bona fide inviolabiliter conservare curabimus: & terras Romanae & aliarum in ipsis terris consistentium ecclesiarum, seu ipsis immediate vel immediate subjectas, aut ad ipsam Romanam Ecclesiam jure directi dominii vel quasi, aut alias quomodolibet pertinentes, non occupabimus, nec ipsas, vel aliquam ipsarum, seu alicujus earum incolas & habitatores invademus vel damnificabimus; & id attemptantibus vel intentantibus non praestabimus auxilium, consilium vel favorem directe vel indirecte, publice vel occulte: & libertatem ecclesiasticam, ecclesias & personas ecclesiasticas, earunque res & bona quaecunque tam in civitate, comitatu, castris, terris, rocchis, & territoriis antedictis, quam aliis terris, castris & locis, quos & quae per nos regi & gubernari contigerit in futurum, favorabiliter conservabimus ac tractari faciemus; easque in sua libertate restituemus & dimittemus ac restitui & dimitti faciemus, ipsasque ecclesias & personas ecclesiasticas suis bonis & juribus gaudere libere permittemus: nec eos impediemus nec impediri permittemus, quominus gaudeant & gaudere possint privilegiis, libertatibus, beneficiis, bonis & juribus suis, nec tallias, gabellas, vel alias exactiones directe vel indirecte, quovis quaelibet colore eis imponemus vel exigemus ab eisdem. Quodque terrigenas & incolas praedictorum, civitatis, comitatus, castrorum, roccarum, & locorum vel aliquos eorum indebitis oneribus, realibus, vel personalibus non gravabimus: & nunquam erimus verbo vel facto vel opere in consilio, quod aliquis Imperator, rex, princeps, dux, marchio, baro, seu quaevis alia nobilis vel potens persona, universitas vel communitas cujuscunque terrae, eligatur, nominetur vel etiam assumatur in aliqua civitate, terra, vel castro, aut alio loco Romanae vel alterius ecclesiae cujuscunque in domi-

dominum, rectorem, gubernatorem, potestate, capitaneum defensorem, aut quovis alio quaesito colore vel nomine ad regimen sive officium quocunque, seu praeeminentiam aliquam sine dictae sedis licentia speciali. Et constitutiones papales loquentes de hac materia, & maxime piae memoriae dominorum Joannis XXII. Clementis VI. Innocentii VI. Urbani V. Gregorii XI. & dicti domini Urbani papae VI. Romanorum Pontificum pro posse & totaliter observabimus, & taliter electis, nominatis, seu asumptis ad regimen, vel gubernationem, aut alio quovis quaesito colore, cuiuscunque dignitatis, seu praeeminentiae, conditionis aut status extiterint, absque dictae sedis licentia nunquam praestabimus auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte; sed ne fiat id, pro viribus, in quantum poterimus, repugnabimus, & omni via, modo, & forma, quibus melius poterimus, obviabimus: amicos ecclesiae pro amicis, & inimicos ejus pro inimicis, in civitate, comitatu, castris, roccis, & territoriis praedictis, & aliis, quos per nos regi & gubernari contigerit in futurum, habebimus. Gentes dictae Romanae Ecclesiae etiam ad guerram faciendam, etiam contra quoscunque, receptabimus & faciemus receptari, nullamque conjurationem, conspirationem, seu ligam contra Dominum nostrum, successores, legatos, officiales, & Ecclesiam, supradictos, nec ad eorum damnum cum aliquibus universitatibus, comitatibus, collegiis, seu singularibus personis directe vel indirecte faciemus. Quodque haereticos, & schismaticos quoscunque à praefata Ecclesia, vel inquisitoribus haereticae pravitatis seu locorum ordinariis, aut aliis legitime denotatis, vel imposterum denotandis, quum primum de ipsis certificati fuerimus, de civitate, comitatu, castris, roccis, & territoriis supradictis totis viribus exterminare curabimus. Constitutiones quaslibet tam canonicas, quam civiles contra hujusmodi haereticos & fautores eorum editas & edendas, effectualiter observabimus, ac singulis sex mensibus deinceps, hujusmodi vicariatu durante, futuris, officiales, stipendiarios, provisionarios, salariatos, consanguineos & alios quaslibet, quos nos successivis temporibus ad regimen gubernationem, seu custodiani civitatis, comitatus, castrorum, roccarum, & territoriorum praedictorum, & cujuslibet eorum deputare, aut alias nobiscum habere contigerit. In ejus manibus, seu cujuslibet alterius ad id per eum aut successores vel legatos praedictos, aut vica-

rios deputandi, praestari faciemus juramentum, quod iis nullo modo, ingenio, seu forma consentient, aut permittent posse suo, quod civitas, comitatus, castra, rochae, & territoria praedita, vel aliqui eorum, durante vicariatu praedicto, a nostro regimine, gubernatione, & administratione quomodolibet subtrahantur & cujusvis collegii, universitatis, seu singularis personae, potestati, ditioni vel dominio praefati Domini nostri, aut successorum suorum ad hoc non interveniente consensu, quomodolibet subjaçeant. Quin potius, ut id non fiat obsistent & totis viribus repugnabunt; ac toto posse suo fideliter procurabunt, quod civitas, comitatus, castra, rochae, & territoria, terrigenae & incolae praedicti in vera fidelitate, obedientia & devotione Domini nostri, & Ecclesiae, suorumque officialium libere permaneant. Vicariatu, regimine, & gubernatione hujusmodi quomodolibet finitis, ad potestatem, dominium, & manus dumtaxat ejusdem Domini nostri, vel successorum, legatorum, vel vicariorum praedictorum, seu alterius, ad id per Dominum nostrum, successores, legatos, seu vicarios praefatos, aut eorum aliquem deputandi, libere revertantur. Et quod ipsam ecclesiam, seu deputandum hujusmodi pro ea, in plena & pacifica possessione civitatis, comitatus, castrorum, rocharum, & territoriorum praedictorum, & cujuslibet eorum juxta posse suum, omni exclusa machinatione reducent fideliter & reponent. Nosque sic fieri & effectualiter adimpleri statuemus, & ordinabimus atque mandabimus. Et circa haec modos & vias omnes, quos statuerimus ad id opportunos & utiles, fideliter adhibebimus: & nihilominus omnes & singulas voluntates, conditiones, retentiones, & moderationes, per dictum Dominum nostrum hujusmodi vicariatus concessioni oppositas, & superius declaratas, quas & contenta in eis ex nunc approbamus, ratificamus, rata & grata habemus, realiter & effectualiter observabimus & adimplebimus; & contra ea, vel eorum aliquod per nos, vel alium, directe vel indirecte, publice vel occulte non faciemus, nec veniemus ullo modo. Sic nos Deus adiuvet, & haec sancta Dei Evangelia. Datum Romae apud sanctum Petrum Kal. Decembris anno octavo.

XXXIX.

BONIFACIUS. PP. IX

Ex eodem Archivo.

Bonifacius &c. Dilecto filio nobili viro Vicarello dilecti filii nobilis viri Verochii militis ORTANI, nato Domicello in castro nostro S. Felicis Terracinensis dioecesis ejusque territorio & districtu, pro nobis & Romana Ecclesia in temporalibus Vicario, salutem &c. De fidelitate, prudentia, & discretione tuis, quibus, divina tibi gratia opitulante, dotatus existis, gerentes in Domino fiduciam plenioram, ac sperantes, quod quae tibi commiserimus, promptis affectibus & exacta diligentia exequaris; hac consideratione moti pariter & inducti te castrorum nostri sancti Felicis Terracinensis dioecesis, ejusque territorii & districtus pro nobis & Romana Ecclesia in temporalibus vicarium ac castellanum cum honoribus ac oneribus consuetis usque ad nostrum beneplacitum, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, facinus, constituimus & etiam deputamus, tibi omnia & singula, quae ad hujusmodi vicariatus & castellanatus officia pertinent de consuetudine vel de jure, faciendi, exercendi, ordinandi, disponendi, mandandi, exequendi, & complendi, alienatione tamen bonorum immobilium & pretiosorum mobilium dicti castri, ejusque territorii & districtus tibi penitus interdicta, facultatem plenam & liberam harum serie concedentes; ac mandantes universis & singulis personis, & incolis, ac habitatoribus castri & territorii ac districtus praedictorum, ut hujusmodi beneplacito durante, tibi in his, quae ad hujusmodi officia pertinent, pareant effectualiter, & intendant, contradictores quoslibet & rebelles per temporalem distinctionem appellatione postposita, compescendo. Volumus autem, quod tu, quoniam in manibus nostris fidelitatis solitum praestitisti debitum juramentum, a subditis & vassallis dicti castri ejusque territorii & districtus simile, nostro & Romanae Ecclesiae nomine, auctoritate nostra recipias juramentum. Tu igitur hujusmodi vicariatus & castellanatus officia sic diligenter, fideliter & prudenter studeas exercere, quod inde spe-

sperati fructus succedant, & apud nos & Sedem Apostolicam de fidelitate, prudentia, ac diligentia possis merito commendari. Datum Romae apud sanctum Petrum decimo septimo Kal. Martii pontificatus nostri anno duodecimo.

XL.

D I P L O M A
P A U L L I H O R T A N I
E P I S C O P I .

Ex veteri Protocollo MS.

Pag. 299.
Anno 1391.

Nos frater Johannes, Dei & Apostolicae Sedis gratia ORTANUS episcopus. Universis praesentes literas inspecturis salutem in filio Dei. Notum facimus per praesentes, qualiter supplicatione & instantia dilectae nobis in Christo sororis Angelae Aegidii de ORTO de tertia regula beati Francisci, ceterarumque sororum ipsius, in hospitio & fraternitate sanctae Crucis de ORTO, sito & posito ORTI in contrata sancti Juvenalis juxta domum Bartholomaei M. Petri, domum Antonii Vannutii, vias & alia latera, ibidem existentes & commorantes, pauperem vitam tenentes, Deoque servientes, hospitalitatem servantes ipsarum facultatibus, sectantes confrateria ipsa, volentes earum corpora macerare quibus diebus ad serviendum Deo se congregassent, dignarémur eisdem licentiam impertiri, quatenus ibidem unum altare ad celebrandam missam totiens cotiens eisdem opus erit, per quemcunque sacerdotem nobis subiectum vel alium, gratiam & communionem sanctae Sedis Apostolicae & ecclesiae Romanae habentem. Nos itaque devotioni ipsius ceterarumque sororum suarum inclinati, de quarum vita, honestate & moribus per fide dignos plenissime informati sumus, Spiritus sancti gratia primitus invocata, nostra ordinatione, auctoritate, omni via, modo, jure, & forma, quibus melius possumus, damus, concedimus in his scriptis plenam licentiam & liberam potestatem unum

unum altare in dicta domo in loco congruo erigendi & erigi faciendi , in ipsoque missis celebrari faciendi ad omnem ipsarum consolationem & profectum animarum ipsarum . Insuper auctoritate omnipotentis Dei , beatae Mariae virginis , beatorum Apostolorum Petri & Pauli & omnium sanctorum & sanctarum Dei & nostra miseria confisi , omnibus vere poenitentibus & confessis , & manus porrigentibus adjutrices , qui dictam cappellam seu altare , causa devotionis visitaverint singulis festis sanctae Crucis , videlicet Inventionis & Exaltationis , festivitatis sanctae Mariae , sanctae Trinitatis , sancti Francisci & ejus sanctorum Stigmatum , necnon ejusdem translatione ; sancti Geronimi , sancti Lodovici , sancti Antonii , sancti Benedicti , sanctae Clarae , sanctae Catherinae & sanctae Helisabeth ; quadraginta dierum de indulxit eis poenitentiam in Domino miserericorditer relaxamus , propriis temporibus duraturam . Volamus tamen , quod in festo Inventionis sanctae Crucis de mense Maii pro censu solvere teneantur episcopatui ORTANO duas uncias cereae , & in festo Exaltationis sanctae Crucis de mense Septembris unum par pollastrorum annis singulis . Datum & actum fuit hoc ORTI in sala episcopatus dictae civitatis sub anno Domini MCCCLXXXI . tempore sanctissimi in Christo Patris & Domini domini Bonifacii divina clementia Papae noni , indictione XVIII . mense Maii die XIII . sub nostro pontificali sigillo .

X L I.

D I P L O M A
JACOBI INSULANI
 CARDINALIS SANCTI EUSTACHII
 ET LEGATI APOSTOLICI.

Jacobus miseratione divina sancti Eustachii sanctae Romanae Ecclesiae diaconus Cardinalis , in alma Urbe ejusque comitatu , territorio & districtu , ac in provinciis Marchiae Anconitanae , Ducatus Spoletani , Campaniae , Maritimae , patrimonii

monii beati Petri in Tuscia , ac non nullis aliis provinciis , ci-
vitatibus, terris,& locis Italiae, dictae Ecclesiae immediate sub-
jectis, Apostolicae Sedi legatus, ac pro eadem Ecclesia & domi-
no nostro Papa in spiritualibus & temporalibus Vicarius gene-
ralis . Dilectis filiis , nobilibus & prudentibus viris Prioribus ,
Communitati, consilio & hominibus civitatis HORTANAE , pro-
vinciae patrimonii praefatae Ecclesiae immediate subjectae , sa-
lutem & nostrae gratiae largitatem . Semper benignitatem
agentes cum illis , qui ad nostram & Romanae Ecclesiae devo-
tionem & gratiam humiliter se convertunt , gratae recepimus
& admisimus supplicationes vestri parte in formam capitulo-
rum exhibitas , quorum serie , a nobis infra scripta vobis fieri
& concedi cum devota instantia supplicantis . Nos itaque sup-
plicibus petitionibus vestris , quantum possumus , favorabiliter
annuentes , vos dictamque civitatem , Communitatem & ejus
singulares personas, & incolas, ac ejus districtuales, & subditos
ad devotionem fidelitatem, subjectionem , obedientiam & gra-
tiam sanctissimi Domini nostri Papae , sanctae Romanae Eccle-
siae , & nostram, auctoritate nobis ex nostra legatione concessa,
gratiosae recipimus , & ad communionem & aggregationem
aliorum fidelium devotorum & subditorum sanctae Matris Ec-
clesiae praelibatae , & specialem & paternam protectionem &
recommendationem nostram assumimus, ac plene & misericor-
diter acceptamus . Volentes harum serie, & speciali gratia con-
cedentes reverendo in Christo Patri Domino fratri Paulo epi-
scopo HORTANO , ut libere , licite manere possit
in majori HORTANA Ecclesia ejusque episcopatu , suaque dioce-
sesi cum suis vicariis , & canonicis dictae majoris Ecclesiae , &
aliis clericis & beneficiatis HORTANIS : quodque integraliter ha-
beat & habere debeat , ac exercere possit & valeat omnia & fin-
gula jura & jurisdictiones praedictarum civitatis & dioecesis
ad eum episcopum quomodolibet pertinentes & pertinentia
ratione suae episcopalnis dignitatis : quem etiam episcopum ple-
narie benigneque restituimus , reintegramus , & reponimus
ad quaecunque privilegia & indulta sibi & episcopatui suo praedicto
sub quavis forma aut expressione verborum , a quocun-
que Romano Pontifice concessa, non obstante quacunque rebel-
lione , aut inobedientia perpetrata per vos , Communitatem &
homines dictae civitatis HORTANAE , etiam antequam damnatae
memoriae Ladislaus de Durachio civitatem ipsam sibi tyran-
nico

nice subjecisset: & etiam postquam dicta civitas tam coacte
 (ut asseritis) se subjecit dominio Ladisflai praelibati, usque in
 praefentem diem, etiam si hujusmodi rebellio supererat fautoriam,
 adhaesioneum seu obedientiam qualemicunque, quas vos Commu-
 nitas & homines ejusdem civitatis servavissetis, seu servavissent
 & habuissent ad Ladislaum praelibatum. Praeterea contenta-
 mur & volumus manutenere & conservare in dicta civitate
 HORTANA, & quod manuteneatur, & conservetur in ea officium
 Potestatis dictae civitatis HORTANAE cum officialibus, salario,
 equis & aliis, observatis hactenus, & prout in dicta civitate
 extitit consuetum. Similiter, quod consuetum officium qua-
 tuor Priorum, unius cancellarii, & unius camerarii civitatis
 vestrae, dictique Piores, cancellarius, & camerarius, necnon
 tubatores & Castaldi, more solito, in dicta civitate HORTANA
 de cetero sint, & esse debeant cum salariis solvi solitis eis &
 cuiilibet eorum de introitibus camerae dictae civitatis: quo-
 rum Priorum salarium decernimus esse florenos duos omni
 mense pro quolibet eorum. Quam civitatem aut aliquod ejus
 fortalitium in dominium, gubernationum, commendam sive
 in vicariatum alicui personae nunquam dabimus, concede-
 mus, sive assignabimus, quoquomodo; quinimmo civitatem
 ipsam & omnia ejus fortalitia, jura, fructus, redditus, &
 proventus ad prefatam cameram pertinentes, manutenebi-
 mus & conservabimus. Et decernimus, quod manutenean-
 tur, & conserventur pro sancta Romana Ecclesia & Domino
 nostro Papa, praelibatis, promittentes harum serie nos effica-
 citer operari & intercedere apud Dominum nostrum praeliba-
 tum, quod per sanctitatem suam alicui personae non dabuntur,
 & concedentur, ut supra, civitas & fortalitia praelibata in do-
 minium, commendam, sive vicariatum; sed quod manutenenda,
 & conservanda remaneant pro praelibatis Domino nostro &
 Ecclesia absque aliqua superioritate alterius cujuscunque. Prae-
 terea concedimus vobis & volumus, quod aliquae primae civi-
 les causae non possint nec debeant extra curiam dictae civitatis
 HORTANAЕ ad aliquam aliam curam trahi; sed in dictis civili-
 bus causis in prefata HORTANA curia & non alibi procedatur,
 & de eis cognoscatur per Potestatem dictae civitatis, qui pro
 tempore fuerit: cui plenam & omnimodam jurisdictionem tra-
 dimus & plenum arbitrium, dictas primas civiles causas in sua
 & dictae civitatis HORTANAЕ curia decidendi, & secundum for-

main juris & statutorum dictae civitatis HORTANAЕ, sine debito, terminandi, non obstantibus quibuscumque in contrarium quomodolibet facientibus : In criminalibus autem causis volumus, & decernimus, quod jurisdictio rectoris provinciae juxta consuetudinem observetur. Concedimus vobis & etiam indulgemus, ut omnes & singuli processus, acta & actitata facta in curia dictae civitatis HORTANAЕ, ac sententiae latae in causis civilibus a die primae novitatis usque in praesentem per primum & secundum decretum valeant, plenamque obtineant roboris firmitatem, non obstante quacunque fautoria, seu adhaesione per vos & vestram Communiteatem praefatam factis, hostibus domini nostri Papae & Romanae Ecclesiae, in rebellionem Domini nostri & Ecclesiae praefatorum, dummodo praedicti processus, actitata, acta & sententiae alias de jure sint validae sive valida ; reservatis tamen exceptionibus illis personis, quae vellet contracta opponere, aut contradicere, videlicet de solutione, praescriptione, falsitate & pacto, non obstante etiam eorum contumacia & exceptione fraudis commissae in extimatione bonorum concessionum actori, dummodo actoris petitio contineat veritatem. Et ad omnia & singula jura, omnesque jurisdictiones pertinentes, & debite pertinentia ad eandem civitatem HORTANAM, seu ad speciales personas ipsius, quae quovis modo occulte vel palam occuparentur, vel injuste detinentur ab aliqua Communitate, aut alia speciali persona quacunque occasione, seu occasione praetensa, vos & praefatam Communiteatem HORTANAM & speciales personas ejusdem, ad quas hujusmodi jurisdictiones & jura pertinere noscantur, restituimus, reponimus & penitus reintegramus, ac reintegratas & restitutas, plenarieque positas esse volumus & decernimus cum effectu. Item ad obviandum oneribus & expensis, ac tollendum errores & scandala, quae plerumque in processibus litigiosis eveniunt, vobis ex gratia speciali concedimus, decernimus, & etiam providemus, quod civiles lites & causae, quae vertuntur sive vertentur imposterum inter cives & habitatores dictae civitatis HORTANAЕ, excedentes sumimam decem librarum monetae currentis, ibidem compromittantur & de eis fieri debeat compromissum ad petitionem partis hoc petentis. Et Potestas dictae civitatis, qui pro tempore fuerit, teneatur & debeat partem, quae se compromittere non vellet, ad faciendum compromissum de jure, & de facto etiam appellatione postposita,

ta , qui Potestas dictas causas de jure cognoscere possit , & sine debito terminare de jure . Arbitri vero, in quibus ipsae lites & causae compromissae fuerint , teneantur & debeant ipsas lites , & causas per eorum arbitrum terminare & expedire infra spatium duorum mensium, mediante consilio sapientis, ad poenam librarum decem , solvendarum a quolibet arbitro , & de facto auferendarum sine processu , & applicandarum camerae dictae civitatis HORTANAЕ . Ut quoque gratiam dictae Ecclesiae & provisionem nostram sibi sentiat vestra devotio magis piam , omnia & singula maleficia , culpas & excessus , ac delicta , in quantum & quae dumtaxat juris publici interesse concernant , & non aliter, commissos, perpetratos, ac perpetrata & commissa haec tenus in HORTANA civitate praefata, ejusque territorio & districtu , aut alibi per Communitatem dictae civitatis & quoscunque cives , aut alios habitatores & incolas dictae civitatis , sive de ipsis cognitum & sententiatum fuerit sive non , vobis Communitati & specialibus personis, quibuscunque, incolis, & habitatoribus dictae civitatis HORTANAЕ , praedictis , in perpetuum plene libereque remittimus ; eosdemque excessus , maleficia, culpas , & delicta quaecunque parcimus , & misericorditer indulgeimus ; harum serie decernentes , quod pro eis & eorum occasione , nullatenus vos & Communitas ipsa , aut alii praedicti vel eorum aliqui , qui ipsa vel eorum aliquod perpetraverint, vel commiserint & commisissent , non possitis nec possint ullo tempore molestari vel aliqualiter impediri . Ita tamen quod praesens remissionis & indulti gratia nullatenus se extenderet debeat ad rebelles & exititios dictae civitatis : quinimmo processus omnes formati & publicati , ac sententiae iatae contra ipsos rebelles & exititios , in pleni roboris firmitate permaneant . Providemus insuper & disponimus pro bono utilique regimine civitatis praefatae , quod aliquis futurus Potestas dictae civitatis , aut ipsius Potestatis judex , miles, socius, vel notarius non possint ullo modo vocari , eligi , sive assumi ad hujusmodi officia , nisi loca eorum originis distent a dicta civitate HORTANA per quindecim milliaria, nec possit aliquis eorum: finitis sex mensibus , immediate in eisdem officiis , aut eorum aliquo confirmari . Ita quod eorum aliquis non possit nec debeat eligi vel assumi ad aliquod officium dictae civitatis , nisi vacaverit per duos annos, notorie praecedentes . Insuper propter multas expensas & onera , quae vos & dictam Communitatem di-

versimode supportasse conspicimus , vobis paterno affectu propitiari volentes , vobis & Communitati praefatis gratiose concedimus , assignamus & conferimus usque ad triennium dumtaxat proxime securum , introitus , proventus gabellarum bladi , & musti dictae civitatis , de quibus persolvere & integre respondere teneamini castellano rochae dictae civitatis de suo salario & stipendio consueto , si ad hoc non sufficerent introitus aliarum gabellarum dictae civitatis . Providemus etiam & jubemus , quod aliquis exitius dictae civitatis non poslit nec debeat in praefata civitate restitui vel remitti , nec de eorum bandis extrahi ; & quod eorum bona confiscata remaneant Apostolicae camerae usque ad redditum Domini nostri Papae , qui postmodum ut principalis Dominus , in ipsis providere poterit , prout suae sanctitati videbitur . Ceterum ut obvietur cavillosis obstaculis , & strepitibus litigiorum indebitis , decernimus & similiter providemus & ordinamus , quod in dicta civitate decetero nemini liceat appellare a gravamine vel actu alicujus interlocutoriae proferenda , salvo quod a definitiva sententia ; & quod judex Potestatis dictae civitatis , aut ipse Potestas nullo modo admittere debeat tales appellationem ad poenam virginiquinque florenorum exigendorum ab ipso Potestate vel judge ; & appellans etiam puniatur in decem libris pro qualibet vice : quae appellatio auctoritate praesentium non teneat , sed nullius existat roboris vel momenti , salvo si interlocutoria ipsa non foret talis , quae haberet vim definitivae sententiae , vel quod non posset post definitivam sententiam reparari . Postremo committimus Potestati nostro dictae civitatis praesenti vel futuro , ut omnibus civibus dictae civitatis habentibus inimicitiam cum exitiis civitatis ejusdem , plenam liberamque licentiam concedat portandi pro tuitione suarum personarum per civitatem praedictam arma offensibilia & defensibilia libere & impune . Quae omnia & singula vobis & dictae Communitati vestrae , auctoritate Apostolica , qua , vigore nostrae legationis de latere plene fungimur , concedimus , indulgemus , conferimus , remittimus , disponimus , & providemus , prout superius continetur ; & ipsa & eorum quodlibet observari , manuteneri & fieri , vobis & dictae Communitati , deliberamus , decernimus & mandamus per omnes & singulos officiales Romanae Ecclesiae in dicta civitatae vel alibi consistentes , ad quos spectat , praefentes pariter & futuros . Si autem quovis tempore imposterum

vos

vos ab obedientia, fidelitate, subjectione & devotione sanctissimi Domini nostri Papae, Romanae Ecclesiae, sive nostra, quamdiu nostra legatio perduraverit, vos quomodolibet subtraxeritis, volumus quod tunc relabamini & reincidatis in primas sententias, poenas & vincula; & quod omnes supradictae gratiac nullae sint, sed prorsus careant & carere noscantur viribus & effectu. In quorum omnium testimonium praesentes literas fieri fecimus & nostri consueti magni Cardinalatus sigilli jussimus appensione muniri. Datum Romae apud ecclesiam sancti Laurentii in Damaso, sub anno Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo quintodecimo, indictione octava mensis Aprilis die decimanona. Pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri Domini Johannis divina providentia Papae xxiiii. anno quinto.

X L I I.

ALIUD DIPLOMA

EJUSDEM CARDINALIS.

Jacobus miseratione divina sancti Eustachii diaconus Cardinalis, in alma Urbe ejusque comitatu, territorio, & districtu, necnon in patrimonii beati Petri in Tuscia, ac in Campaniae, & Maritimae, necnon in Marchiae Anconitanae, & ducatus Spoletoni provinciis, & certis aliis Provinciis Italiae, ac earumdem & aliarum provinciarum civitatibus, terris, castris, & locis, Apostolicae Sedis legatus, & in spiritualibus & temporalibus Vicarius generalis. Dilectis nobis in Christo, populo, & Communilitati, ac civibus & specialibus personis civitatis HORTANAЕ, necnon aliis habitatoribus & incolis civitatis ejusdem, ejusque civitatis, territorii, & districtus, salutem & gratiam nostram. Mentem nostram sine intermissione sollicitam ad ea, ex quibus facrosanctae Romanae Ecclesiae & sanctissimo in Christo Patri & Domino nostro, Domino Johanni divina providentia Papae xxiiii. sperati fructus pacifici status in praefata civitate HORTANA, ejusque territorio, & districtu, & in partibus circumvicinis, ac in nonnullis provinciis & partibus Italiae, nostrae legationi commissis, possint verisimiliter provenire, sollicitis

tis studiis dirigentes, illos, qui quandoque ex certis causis, licer non rationabilibus, ab ejus Matris Ecclesiae obedientia & mandatorum semitis oberrarunt, si cum humilitate ad gremium clementiae Ecclesiae & Domini nostri Papae praedictorum ac nostrae, revertantur, misericordiam nostram suppliciter implorando, a nostra consueta gratia minime repellamus. Sane cum, sicut fuit pro parte vestra nobis expositum, vos cives & speciales personae, ac incolae & habitatores dictae civitatis HORTANAЕ, adhaeseritis ac faveritis, occasione tamen servitutis, damnatae memoriae domino Ladislao de Durachio & ejus complicibus ac sequacibus, vos cives & speciales personae ac incolae & habitatores praedicti, non valentes, ut asseritis, violentae potentiae praefati Domini Ladislai resistere; & eslet vobis necessarium pro manutenendo & conservando statum vestrum ac bona vestra & pro defensione personarum vestrarum, & ne a propriis laribus pelleremini, mandatis dicti Domini Ladislai ac officialium & sequacium ejus, quamvis nephariis, obedire, de ipsius Domini Ladislai mandato & officialis ejus, contra nonnullas civitates, terras, castra, & loca in devotione & subjectione, ac obedientia Romanae Ecclesiae & Domini nostri Papae praedictorum, & nonnullorum fidelium & devotorum ejusdem existentium, intulitis, & inferri fecistis guerras, plurimasque alias damnosas & noxias novitates, & contra civitates, & terras, castra, loca praedicta diversa crima, maleficia, delicta, & excessus, seducti nephariis persuasionibus dicti Domini Ladislai & ejus officium, ut acceptiores & gratiiores esletis ipsi Domino Ladislao, cuius violentiam, potentiam (ut asseritis) fugere non poteratis, perpetrastis & per vestros cives ac speciales personas, incolas & habitatores ejusdem civitatis, perpetrari fecistis. Cum autem de praemissis & aliis per vos de mandatis, concessionibus & operationibus vestris commissis & perpetratis, ad corda reversi, doleatis (ut asseritis) ab intimis, cupiatisque sub obedientia, & devotione ac debita subjectione Ecclesiae & Domini nostri Papae fideliter vivere & mori pro parte vestra, nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobiscum pie & misericorditer agendo, vobis civibus & specialibus personis, incolis ac habitatoribus ac Communitati antedictis providere de plenae remissionis opportuno remedio dignaremur. Nos more pii patris libentius misericordiam, quam judicium amplectentes, Salvatoris nostri sancta sequendo vestigia, qui tanquam misericordiarum pater redeuntes

tes ad ipsam , a sua misericordia non excludit ; ac sperantes , quod vos tanto devotius Deo & Sedis Apostolicae de cetero studebitis revereri , quanto sedem ipsam erga vos benigniorem conspexeritis extitisse ; vestrisque in hac parte supplicationibus inclinati , vobis civibus & specialibus personis , incolis ac habitatoribus & Communilitati , quorum nomina & cognomina haberi volumus praesentibus pro sufficienter expressis , omnes & singulas culpas , poenas , crimina , excessus , maleficia , & delicta , quaecunque , & quotcunque , ac qualiacunque , & quovis nomine nuncupari contingat , etiam si homicidia , incendia , sacrilegia , derobariae , depraedationes , rapinae , latrocinia , ac cavalatae & incursions forent , & etiam si praedicta , aut aliquod praedictorum contra almam Urbem & Romanum populum commiseritis ; & etiam si ligas aut confoederationes , aut conspirationes , aut pacem , seu treguam cum hostibus & rebellibus Romanae Ecclesiae & Domini nostri Papae praedictorum , contra statum eorundem , quas , quos , & quae tempore dictae adhaerentiae & fautoriae , a tempore primae novitatis , usque in praesentem diem perpetrastris & perpetrari fecistis , in quantum publicum interesse , cameram dictae civitatis , aut cameram provinciae patrimonii beati Petri in Tuscia concernant : & etiam in quantum tangit destructiones possessionum , ac poenas conventionales & fructus huc usque perceptos ; etiam si crimen laesae Majestatis , aut sacrilegii , aut haeresis , aut rebellionis saperent , auctoritate plenae legationis nostrae , & Apostolica , nobis in hac parte concessa , omnino tollimus , remittimus ac parcimus ; & vos & vestrum quemlibet ab omnibus exbannimentis , condemnationibus , poenis , censuris , ac processibus , sententiis , diffidationibus in vos & vestrum quemlibet a jure vel ab homine sub quavis forma vel expressione verborum inflictis ac promulgatis ; sive de ipsis cognitum aut sententiatum fuerit , sive non ; & ab excommunicationum , suspensionum & interdicti , & fautoriarum , adhaesionum praedictarum sententiis , in quas propter praemissa innodati dinoscimini , in quantum praedicta publica interesse concernant , (ut praefertur) auctoritate praedicta penitus absolvimus & totaliter liberamus ; & in vobis civibus , ac specialibus personis , incolis , & habitatoribus , ac Communilitate civitatis antedictae omnem rebellionis , inhabilitatis , fautoriae , ac adhaerionis , & infamiae maculam sive notam , per vos praemissorum occasione contractam , auctoritate praedicta abstergimus & etiam

etiam totaliter abolemus. Vosque & vestrum quemlibet habilitamus & ad omnes & singulos honores, dignitates, famam, privilegia, immunitates, exemptiones, bona propria, ac jura, & ad legitimos actus, & ad quascunque concessiones seu gratias vobis ab Apostolica Sede factas, ac statum pristinum, in quibus eratis ante patrationem praedictorum criminum, delictorum, maleficiorum, & excessuum vestrorum, restituimus, reponimus, & reintegramus. Itaque ratione praemissorum vel alterius eorumdem, vos cives & speciales personae, incolae & habitatores ac ipsa Communitas, praedicti, in aliqua curia ecclesiastica, seu saeculari non possitis inquire, condemnari, inquietari, vexari, molestari, seu in personis aut bonis vestris quomodolibet impeditiri, aut ulla pati noxias novitates, & contra vos cives, & speciales personas, incolas, & habitatores ac Communitatem ejusdem civitatis, praedictorum causa, non possitis a quibuslibet procedi & sententiari, seu poenas & condemnationes peti aut exigi. Mandamus insuper harum serie rectori provinciae dicti patrimonii, qui nunc est & erit pro tempore in futurum & ejus vicesgerenti, necnon Potestati & omnibus aliis officialibus dictae civitatis praefentibus & futuris, quod hujusmodi exbannimenta, sententias, condemnationes, ac processus, & diffidationes, si in libris dictae camerae dictae provinciae, vel dictae civitatis, vel alibi annotatae, aut scriptae forent, cassent, deleant, cancellent, & annullent: quas, quos, & quae nos pro cassatis, cancellatis, deletis, & nullatis haberi volumus, easque & eos, ac ea decernimus esse nullius roboris vel momenti; non obstantibus quibuscunque contrariis; etiam si hujusmodi contraria talia forent, quod de eis vel eorum aliquo esset habenda praefentibus de verbo ad verbum mentio specialis: quae quidem contraria decernimus huic remissioni in aliquo obstatre non posse quomodolibet vel nocere. Volumus autem, quod si vos praefati cives ac speciales personae, incolae & habitatores ac Communitas ullo tempore ab obedientia & subjectione, ac devotione Ecclesiae & Domini nostri Papae praedictorum ac nostra, quamdiu nostrae legationis fungemur officio, vos (quod absit) subtraxeritis, aut quovismodo rebelles eritis, in pristinas poenas, multas, condemnationes, sententias, processus, diffidationes, excommunicationum & interdicti sententias & exbannimenta, ipso facto penitus relabamini: quodque hujus remissionis gratia & praesentes litterae nostrae nullius existant roboris

ris vel momenti. In quorum omnium plenam fidem has nostras patentes & authenticas literas per Petrum Petri clericum Colonensem nobis & curiae nostrae fidelem scribi, easque manu magistri Francisci de Fiano literarum Apostolicarum scriptoris & abbreviatoris subscribi fecimus & nostri majoris Cardinalatus sigilli munimine roborari. Datum Romae apud ecclesiam sancti Laurentii in Damaso sub anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo decimoquinto indictione octava mensis Aprilis die **xxiiii.** Pontificatus praefati sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Iohannis Papae **xxiiii.** anno quinto.

N O T A.

UTrunque hoc Diploma editum fuit HORTAE anno 1551. Porro Ladislaus rex Hungariae eadem urbe potiebatur anno 1414. ut patet ex ejus Diplomate tunc eidem urbi concessa & ibidem cum ceteris edito : quod non recudimus ob ejus spissas lacunas .

X L I I I.

HORTANA & Castellanensis Ecclesiarum conjunctio .

Ex Vghello.

EUGENIUS EPISCOPUS,

SERVVS SERVORUM DEI.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

SAcrosancta Romana Ecclesia , quae super universas orbis ^{Pag. 300.} Ecclesias obtinet divina institutione primatum , circa statum Ecclesiarum omnium , praeferit cathedralium , earunque profectu , ut pia mater de filiarum necessitate sollicita , vigilanter excogitat & providenter intendit , ut quandoque etiam per ministerium unionis accommodae , prout locorum & temporum qualitas exigit & illarum utilitas persuadet , Ecclesiarum ipsarum statui studeat efficaciter providere .

Nin Attenu-

Attendentes itaque, quod HORTANAE & Civitatis Castellanae Ecclesiae, quae dudum fuerant propriis facultatibus opulentiae, adeo propter diversas calamitates & succedentium temporum finistros eventus, quibus partes illae, proh dolor, afflita fuere, in earum redditibus & facultatibus tenues factae & exiles existant, quod propter inopiam & tenuitatem hujusmodi reddituum & proventuum Praesules in illis substentari non possunt, & propterea pontificalis in eisdem vilescit authoritas, episcopali dignitati reverentia debita minime exhibetur, Praesulesque ipsi in suorum conservatione jurium etiam regalium, ac defensione eorumdem reddituum plurimum impotentes, cum revera ad hujusmodi jura tuenda non solum circumspetionis industria, & sollicitudo potificalis curae profectum adducant, quinimmo potius sufficientia facultatum. Hac moti consideratione, cupientesque ipsarum pauperum Ecclesiarum indigentiae subvenire, ac statum utriusque per unionis ministerium salubriter formare, dum ipsae Ecclesiae sub unius & ejusdem Praesulis moderamine, reductae feliciter, ex ipsarum unita potentia utriusque Praesul in eis valeat commodius residere, sua jura defendere, & commissos sibi populos felicius gubernare. Itaque pro evidenti ipsarum Ecclesiarum utilitate considerantes, unionem hujusmodi nedum fore proficiam, sed admodum necessariam, laudabilemque & etiam opportunam, praemissis suadentibus & aliis rationabilibus ad id animum nostrum moventibus, maturaque deliberatione præhabita; motu proprio, non ad alicujus super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, Civitatis Castellanae & HORTANAE, HORTANAE & Civitatis Castellanae Ecclesias antedictas de Apostolicae potestatis plenitudine tenore præsentium unimus & connectimus & incorporamus, ita quod altero ex Praesulibus earumdem Ecclesiarum, qui nunc sunt, cedente vel decedente, aut aliam ex eisdem Ecclesiis alias quomodolibet dimittente, seu altero alia quovis modo vacante, ex tunc ambae ipsae Ecclesiae per unicum Praesulem, qui HORTANAE & Civitatis Castellanae, ac Civitatis Castellanae & HORTANAE episcopus nuncupetur, salubriter gubernentur; licetque præsenti seu successori ex eisdem Praesulibus per se vel per alium, alterius Ecclesiae sic vacantis, ac Civitatis & dioecesis in spiritualibus, & quantum ad ipsius Ecclesiae jus pertineat, in temporalibus, corporalem possessionem apprehendere,

& per-

& perpetuo retinere , fructusque necnon redditus & proventus, emolumenta , obventiones, & jura quaecunque, ad mensam episcopalem ipsius alterius Ecclesiae pertinentia , percipere & habere , ac in suos & ipsarum sic unitarum Ecclesiarum usus & utilitates convertere , cujuscunque licentia super hoc minime requisita. Volentes & Apostolica authoritate decernentes, quod hujusmodi unicus episcopus , qui eisdem Ecclesiis pro tempore praefidebit , uno anno in altera & alio anno in reliqua ipsarum Ecclesiarum, alternatis vicibus, chrisma confidere teneatur, ordinationum quoque tempora & celebrationum vicem eisdem Ecclesiis, ac earum civitatibus & dioecesibus distribuat, portionem aequam unicuique tribuendo: quodque in qualibet earumdem dioecesi pro ejusdem subsidio annis singulis celebret Synodus, prout est fieri consuetum : & in qualibet earumdem civitatum , & dioecesi curiam teneat continue ad justitiam ministrandam ac jurisdictionem episcopalem inibi exercendam cum Vicariis & officialibus consuetis. Ac etiam cum idem Praesul in HORTANA , civitatis HORTANAE & Castellanae : cum vero in Civitate Castellana , earumque civitatibus & dioecesibus praefens extiterit , Civitatis Castellanae & HORTANAE episcopus appetetur ; & sic deinceps Ecclesiae ipsae sub uno Pastore & Antistite constituantur , praenmissis intitulationibus perpetuis temporibus gubernentur : quodque cedente vel decadente , ac translato ipso unico episcopo , seu alias Ecclesiis ipsis vacantibus , canonici & ambo capitula Ecclesiarum praedictarum, vocatis ad hoc, qui fuerint evocandi, congregati debeant pro electione futuri Pontificis celebranda in loco ubi episcopus decessit , si tunc ipsas per obitum vacare contingat ; si vero alias quam per obitum Ecclesiis memoratas vacare contingeret , faciant electionem hujusmodi temporibus vacationum ipsarum alternis vicibus in civitatibus vel dioecesibus antedictis , ita quod propter unionem , annexionem , & incorporationem hujusmodi , praedictae Ecclesiae in spiritualibus laedi seu aliqua in temporalibus non possint detrimenta subire . Nulli ergo &c. nostrae unionis , annexionis , incorporationis , voluntatis , & constitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Bononiae anno incarnationis Dominicae millesimo quadragesimo trigesimo septimo , tertio nonas Octobris anno septimo .

XLIV.

LITERAE

FRANCISCI CONDULMERII
CARDINALIS SANCTI CLEMENTIS.*Ex Archivo Vaticano.*

Franciscus &c. Nobilibus viris, Confalonero, Prioribus & Communitati civitatis ORTANAЕ salutem &c. Sincera & constans fidelitas, quam ad Dominum nostrum Papam sanctamque Romanam Ecclesiam gerere comprobamini, necnon grata obsequia, quae eis quotidie impenditis & impendere non desistitis, nos inducunt, ut vobis reddamur ad gratiam liberales. De mandato itaque sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Eugenii divina providentia Papae IV. super hoc vivae vocis oraculo nobis facto, vobis praefentium tenore concedimus, ut annis singulis pro subsidio solvatis seu solvere debeatis tantum quantum consuevistis solvere retroactis temporibus, videlicet antequam dicta civitas ORTANA veniret ad gubernationem olim magnifici viri Antonii de Rigo-frigido de Columna. Et ne ad majorem solutionem cogi valeatis, mandamus de mandato praedicto, Thesaurario provinciae patrimonii beati Petri in Tuscia, tam praesentii, quam futuro aliisque officialibus, ad quos hujusmodi subsidiorum exactio spectat & pertinet, quatenus a vobis nullatenus exigere praesumant pro dicto subsidio, nisi tantum, quantum exigi solebat antequam dicta civitas veniret ad manus supradieti Antonii de Columna. In quorum &c. Datum Romae apud sanctum Petrum sub anno a Nativitate Domini mccccxxxiii. Indictione undecima die xx. mensis Martii pontificatus vero Domini nostri Papae praefati anno tertio.

XLV.

ALIAE EJUSDEM.

Ex eodem Archivo.

FRANCISCUS miseratione divina &c. Nobilibus viris, Prioribus, Communi & consilio civitatis Balneoregii, salutem in Domino. Cum pro tranquillitate & statu sanctissimi D. N. PP. ac Romanae Ecclesiae & extirpatione inimicorum eorumdem, & praesertim hujus tyranni Nicolai de Stella, qui superbia elatus, tam enormiter ingratitudinis laberi sequens contra eamdem Ecclesiam & praefatum D. N. Papam subditosque eorumdem, quamplura enormia & atrocia delicta, ac hostilitates & guerras dampnaque gravia commisit, intulit atque fecit, ac inferre, committere & facere cotidie conatur, prout notorium existit; opus sit, ut Ecclesia ipsa suis & suorum subditorum brachiis, amplitudine & potentia se praebant ultores & defensores, ac suorum talium inimicorum & facinorosorum prostratores, & ne praemissorum executio in vilipendium deducatur, praefatus S. D. N. unum ex Romanae Ecclesiae Cardinalibus in legatum decreverit destinandum. Idcirco de ipsis D.N. Papae mandato, facto nobis super hoc vivae vocis oraculo, ac auctoritate nostri camerariatus officii, vos praesentium tenore requirimus & nihilominus sub poena duorum millium florenorum auri de camera, camerae Apostolicae applicandorum, si contrafeceritis, vobis praecipimus atque mandamus, quatenus centum pedites bene armatos & omnibus necessariis fulcitos, de vestris terrigenis aut aliis ydoneis eorum locorum, mittatis ad civitatem ORTANAM infra & per totum mensem praesentem Augusti, parituros & facturos quicquid per dictum Dominum legatum eis fuerit impositum, injunctum atque mandatum, & hoc faciatis absque nostri vel alterius expectatione mandati. In quorum &c. Datum &c. Sub anno &c. Indictione xi. Die vero decimaseptima mensis Augusti pontificatus &c. Anno tertio.

XLVI.

DIPLOMATA
NICOLAI V. PONT. MAX*Ex editione Hortana.*

Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Communitati & civibus civitatis nostrae HORTANAЕ, salutem & Apostolicam benedictionem. Cognita devotionis & fidelitatis vestrae sinceritatae, quam ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, non indigne meretur, ut petitionibus vestris, illis praesertim, per quas ab oneribus & incommodis relevamini, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, retroactis temporibus propter inordinatos favores quorundam, qui civitatem ipsam tyrannice occupabant, nonnulli aliarum civitatum, terrarum, & locorum circumstantium, qui domos, praedia & alia immobilia bona, tam in eadem civitate, quam ejus territorio & districtu possidebant, quique ad realia & personalia onera, ratione domorum praedictarum & bonorum hujusmodi, de jure & secundum aliarum civitatum consuetudinem obligantur, allibrati & in catasta Communis civitatis ejusdem descripti non fuerint, vos in onerum eorumdem supportatione & solutione non modicum gravati fuistis. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere vobis opportune super hoc de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes vos & alios subditos ac fideles nostros, quantum cum Deo possumus, ab incommodis & oneribus relevare, hujusmodi supplicationibus aequissimis annuentes, volumus & Apostolica vobis auctoritate concedimus, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus omnes & singuli advenae & forenses, qui in civitate & territorio praedictis bona stabilia quovis titulo possident vel colore, aut imposterum possidebunt, cujuscunque status vei conditionis existant, ecclesiis ecclesiasticisque personis dumtaxat exceptis, allibrati, eorumque bona hujusmodi immobilia secundum

dum antiquam consuetudinem dictae civitatis in ipso catasto
descripti & annotati , ac omnia & singula onera ratione bono-
rum eorumdem idiplos quomodolibet contingentia , subire te-
neantur & debeant , omni prorsus temporis cursu , aut exemp-
tione & liberatione eisdem advenis & forensibus , quavis auco-
ritate concessa , ac alia quacunque exceptione , cessante . Ita quod
in ante ad praestationem & solutionem onerum , ratione bono-
rum hujusmodi , per Potestatem dictae civitatis ad instantiam
illius camerarii pro tempore existentis , ad id cogi , compelli
eorunque bona hujusmodi attestari possint & valeant , ac si ci-
vium & incolarum ejusdem civitatis , qui in aliis locis , in qui-
bus possident immobilia bona , onera subeunt antedicta , domus
praedia & bona hujusmodi censerentur , non obstantibus qui-
buscunque . Nos enim ex nunc omnes & singulas exceptions
& liberationes hujusmodi , necnon appellations , provocatio-
nes , protestationes & reclamationes , quas propterea per adve-
nas & forenzes praedictos interponi seu fieri contigerit , pror-
sus irritas esse decernimus & inanes , eosque ad onera antedicta
nihilominus obligari . Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
paginam nostrae concessionis , voluntatis & constitutionis in-
fringere vel & ausu temerario contraire . Si quis autem hoc at-
temptare praesumpserit , indignationem omnipotentis Dei &
beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum .
Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Do-
minicae millesimo quadragesimo quinquagesimo quarto ,
decimo Kal. Februarii pontificatus nostri anno octavo .

XLVII.

CONFIRMATIO STATUTORUM
COMMUNITATIS HORTANAЕ.*Ex eodem Archivo.*Dilectis filiis Prioribus & Communi
civitatis HORTARUM.

INNOCENTIUS. PP. VIII

Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Pro ea fide & devotione , quam saepe erga nos & Romanam Ecclesiam ostendistis , non immerito move-
mur ad prosequendum vos , quibus possumus , gratiis & favori-
bus , quo vos ardentes in vestra bona dispositione redda-
mus . Itaque omnia & singula statuta , reformationes , ordina-
menta , immunitates , gratias , privilegia & indulta per Romanos
Pontifices praedecessores nostros , Apostolicos legatos , aut ab
eis facultatem habentes , concessa , quae justa & rationabilia
sunt , & in praejudicium libertatis ecclesiasticae non tendunt ,
approbamus & Apostolica auctoritate confirmamus , prout ha-
cenus laudabiliter observata fuerunt . Insuper , quia nihil magis
quietem civitatum & populorum conservat , quam iustitiae ob-
servatio & delinquentium debita coercitio & animadversio , ideo
statuimus , quod in posterum de poenis maleficiorum , damno-
rum datorum & extraordinariorum nullatenus aliqua fieri
gratia per vestram Communiteatem , vel alios quosvis superio-
res , praeterquam a nobis , possit aut valeat . Propterea vestris
commodis paterno affectu per amplius consulere volentes , de
subsidio per vos annuatim camerae nostrae Apostolicae debito
centum quinquaginta ducatos , dividendos in duobus annis ,
hoc est septuaginta quinque ducatos singulo anno , usque ad
biennium , vobis condonamus & elargimur , convertendos in
reparationem stratarum & pontis , ac in conducenda aqua ad
fontem dictae civitatis ; mandantes thesaurario , ad quem spe-
ctat , ut revisa ratione vestra pecunias hujusmodi , si illas in
prae-

praefatum usum converti repererit , in vestris computis successive admittat , prout & nos in suis admittimus per praesentes . Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die v.Novembris MCCCCCLXXXIV.Pontificatus nostri anno primo.

XLVIII.

LITERAE

ANGELO PECHINOLIO
HORTANO EPISCOPO.*Ex eodem Archivo.*INNOCENTIUS EPISCOPUS
SERVVS SERVORUM DEI.

Venerabili Fratri episcopo ORTANO . Venerabilis Frater ^{Pag. 304.} salutem . Ne forte Ecclesiae tuae Civitatis Castellanae ex absentia tua , cum te ad regna Hungariae pro non nullis nostris & Sedis Apostolicae negociis in praesentiarummittamus , praejudicium generetur , volumus , ut inter eundum , oppida sancti Oresti & Ponzani , quae de dioecesi Castellana esse assieris , pro tuo jure episcopali visites & alia facias , quae ad praefatum visitationis officium de jure spectant & pertinent . Declaramus tamen mentis nostrae non esse , quod praejudicium aliquod fieri debeat iis , qui forte in praemissis interesset aliquod habere praetenderent , sed jura tam tua , quam quorumvis aliorum remaneant propterea illaesa . Mandamus nihilominus dilectis filiis Abbatii , Priori , Cellerario , ac Monachis monasterii sancti Pauli extra muros Urbis , ad quos ipsa oppida in temporalibus subesse noscuntur , ac dictorum oppidorum Vicariis & officialibus , in virtute sanctae obedientiae , quatenus te in dictis oppidis cum honore & reverentia recipient & admittant . Quod si per eos aut eorum aliquem impedimentum , vel molestia aliqua fieri contigerit , praesentium tenore tibi concedimus , ut eisdem Abbatii , Priori , Cellerario , officialibus atque aliis , ad quos spectat , auctoritate nostra sub excommunicationis latae sententiae ac suspensionis a divinis ,

poenis mandes , quibus etiam nos praesentium tenore sub iisdem poenis mandamus , quatenus te ad visitationis hujusmodi officium exercendum admittant teque cum honore & reverentia recipient , dantes & concedentes tibi facultatem , omnes & singulos , qui in praemissis rebelles vel alias verbo vel facto contradictores forent , excommunicandi & suspendendi , ac excommunicatos & suspensos declarandi & publicandi cum praemissarum poenarum & censurarum aggravatione & reaggravatione , & alia faciendi , quae in praemissis opportuna & necessaria tibi videbuntur , constitutionibus & ordinationibus Apostolicis caeterisque in contrarium faventibus non obstantibus quibuscumque . Datum Romae &c. Die 26. Augusti MCCCCCLXXXVIII. Anno IV.

X L I X.

ANGELI PECHINOLII

ORTANI EPISCOPI

DE SUA LEGATIONE HUNGARICA

LITERAE

AD INNOCENTIUM VIII

PONT. MAX

Ex eodem Archivo.

p. 304.

Beatissime Pater & clementissime Domine . Post pedum oscula benedictorum . Superioribus diebus Benedictum Cursorem meum ad Sanctitatem Vestram destinavi , cui , ut accuratius demandatam sibi provinciam absolveret , partem salarii ex pecuniis Sanctitatis Vestrae , quae apud me sunt , ut illa discedenti mihi mandaverat , exsolvi . Nihil nunc superest , nisi hoc referam , quod pudet . Cum Budam applicuisset Orator Venetorum , velletque Dominus Rex de more , solemni pompa illum audire , voluit me quoque auditorio adesse , in quo tamen Orator praeter communem congratulationem nihil retulit . Postero

stero autem die ad colloquium , remotis arbitris , admitti se petiit , ac secreto auditus nil nisi , ut Dominus Rex inibi retulit , pacem & concordiam inter Majestatem Suam , & Domini-
num Caesarem magnis precibus , magnis denique suasionibus
adnixus postulavit & deprecatus est . Cui Dominus Rex in se-
quentem diem , ut Oratori responderet , spopondit : ac cum re-
sponderet eo quia causa pacis & concordiae , quae petebat , etiam
ad Sanctitatem Vestram & Sedem Apostolicam concernebant ,
me quoque , qui Sanctitatis Vestrarum vices nunc hic gero , adeste
voluit : quod tamen non Sua Majestas , sed Jauriensis , & Agrien-
sis Majestatis Suae nomine in haec verba & sententia retulerunt .

Magnifice Domine Orator . Serenissimo Domino nostro
Regi gratissimum fuit , quod amplissimus ille Senatus Veneto-
rum pacem & concordiam inter Caesaream & Regiam Majes-
tatem cupiat & optet , quam Regia Majestas jure licet & me-
rito recusare deberet , quandoquidem Caesarea Majestas anno
superiore Sanctissimum Dominum nostrum contempnit , & pro
judice ac arbitro inter suam & Regiam Majestatem in pae-
senti causa habere recusavit ; conventum namque & compro-
missum fuerat inter Regiam Majestatem & illustrissimum Do-
minum Albertum Ducem Saxoniae Locumtenentem & genera-
lem capitaneum Suae Caesarae Majestatis nomine ejusdem , ut
materiae & causae belli hujusmodi , simul etiam universae di-
scordiae inter Suas Majestates ponerentur ad judicium & arbi-
trium Suae Sanctitatis . Itaque si Sanctitas Sua cognosceret &
declararet Regiam Majestatem non justam contra Caesarem
causam belli habere , non justa arma etiam in eam sumpsisse ,
omnia per Suam Regiam Majestatem a Caesare occupata resti-
tuere teneretur . Si vero contrarium declararet , posset Sua Re-
gia Majestas interea libere coeptum bellum prosequi , donec ei
juxta inscriptiones satisficeret , prout in capitulis treguarum
plenus continetur . Sed ut praefertur , Caesarea Majestas condi-
tionem acceptare & Sanctitatem Suam pro judice habere re-
cusavit . Quia tamen Sanctitas Sua , prout reverendissimus Do-
minus Legatus hic praefens saepius hactenus nomine Suae San-
ctitatis retulit , pro communi christianitatis bono ipsam pa-
cem & concordiam semper desideravit & desiderat , & nunc
etiam Senatus ille Venetorum per Vestram Magnificentiam ,
adhortatur & suadet ; pacem ipsam libenter amplectitur & in
eamdem descendere , aequis tamen legibus , parata est . Sed ut

vos, Domine Orator , rem omnem , qua lege , quibus etiam ex causis ad tantum bellum ventum sit , volumus vobis ab initio aperire vel potius perstringere ; nam qui pacem inter dissidentes tractant , prius causas dissensionis cognoscant est necesse . Cum annis superioribus damnatus ille Georgius Rex Bohemiae contra Caesaream Majestatem ob non servatam fidem , ut ille Georgius dicebat , arma suscepisset & primogenitum suum Ducem Victorinum cum numeroso exercitu in Austria destinasset : is etiam totam patriam ab altera Danubii parte & Danubium etiam ipsum brevi temporis spatio occupavit , & tam per decursum Danubii , quam in ipsa tota provincia gravissimis exactionibus subditos Caesaris diu affligeret , ipsam etiam civitatem Viennensem , in qua erat Caesar , obsidione cinxit . Videns autem Caesar & se & patriam illam in periculo , a Regia Majestate multis promissionibus auxilia sibi ferri postulavit : ad cujus exhortationem variasque promissiones Majestas sua Regia nihilo segnias immorata , in illos Bohemos & alios eorum auxiliatores castra movit , & praemissa celeriter parte copiarum , ipsam civitatem Viennensem , in quam hostes ipsi jam impetum fecerant , primum ab ipso impetu , quem Sturmam vocant , & tandem a tota obsidione liberavit , & illos versus Bohemiae fines retrocedere coegit : quos Regia Majestas semper insecura est . Sed qualis praefiti beneficii merces fuerit , nunc audies Domine Orator . Ubi Regia Majestas retrocedentes insequitur Bohemos , & hostium castris sua castra opponit ; veriti hostes Domini Regis arma , coeperunt cum Caesarea Majestate de pace & concordia tractare . Et quia Majestati Suae tractatus ille placuerat , statim verso , ut ajunt , mantello , contra omnem charitatem & proximi sui amorem , irrequisita Regia Majestate & omnino etiam ignorantem , pacem cum illis conclusit , & mox illas paucas copias suas auxiliares , quas castris Domini nostri Regis adjunxerat , non sine dolo & fraude revocavit ; putans , quod postquam illae subtraherentur , amplius Dominus Rex resistere nequiret , sed confusus ac inglorius & quasi nullam ei opem tulisset , redire congeretur . Sicque Regia Majestas tam magnam , grandemque belli molem suam ac hostium non sine gravi labore , expensa & periculo vitae & status , sola in campo sustinere coacta extitit . Cumque divina potius clementia , quam suis adiuta viribus contra tot hostium impetus resisteret , exerci-

tumque illum praeter spem Caesaris extra usque dominia Caesaris fugasset , & totam Austriam ab illorum haereticorum rabi liberasset, ac re optime gesta, gravi tamen affecta a Caesare injuria , in patriam reversa fuisse, Dominus Caesar contra ipsam Regiam Majestatem, nulla suscepti beneficii memoria habita,in Dominum Regem,tanquam in hostem,statim in regnum suum Hungariae saevire coepit, & numero frequenti militiae pluriimas villas diripere , incendere , & incinerare non erubuit. Coepit praeterea in perniciem Domini Regis plurimas hinc inde conjurationes cum diversis principibus , inter ceteros vero cum Domino Rege Poloniae , facere , prout de facto fecit , huncque ex amico & bono vicino fecit inimicissimum ac hostem atrocissimum . Intituit etiam Caesarea Majestas , quod primogenitus Regis ipsius Poloniae contra Deum & ejus justitiam ac contra dispositionem Sedis Apostolicae , contra denique jura Regiae Majestatis , quae jam Majestas quidem sua in regno Bohemiae acquisita habebat , in regem Bohemiae, non quidem per Catholicos , sed per haereticos eligeretur . Nec haec incommoda Domino nostro Regi intulisse, Caesareae Majestati satis esse, visum est, sed ut expleret animum, quem odio, & ingratitudine plenum erga Dominum Regem conceperat , non prius ab injuria abstinuit , quam alterum ejusdem Poloniae Regis filium nepharia & scelerata arma induerit , illumque cum numero ex exercitu in Hungariam ad expellendum & exturbandum inde Dominum nostrum Regem , & usurpandum ejus regnum & Imperium imminiserit . Sed justus Dominus iustitiae Domini Regis nostri clementer favit . nam non sine magna gloria Domini nostri Regis , Regisque Poloniae immortali dedecore & ignominia , maximo etiam accepto incommodo , ipsius Regis Poloniae exercitus fusi fugatique fuerunt , nec tamen abest quominus Majestas regia maxima fuerit affecta injuria , regnum etiam suum, maximum ex tanto bello coepit detrimentum . His Caesarea Majestas & plurimis etiam aliis similibus injuriis non satiata , sed ut molestior fieret , malum malis addidit . Parabant duae Reginae pro Regio apparatus solemnies nuptias , illas etiam Dominus Caesar turbare non erubuit . Misit enim in viscera usque Hungariae & quasi usque Budam quosdam copiarum suarum , vel praedones potius , qui latrocinii & excursionibus magis , quam praeliis , agrum omnem & omnem proximam terram populerentur , usque adeo ,

adeo, ut Regia Majestas e mediis pene (ut ajunt) hymenaeis, & geniali thoro surgere & arma capere , ac injuriam propulsare compulsa est . Coacto itaque subito exercitu , hostes illos non solum repulit , sed etiam eos fugientes insequendo , in viscera usque Austriae penetravit , ubi plurima oppida , civitates , arces , & alia loca munita brevi tempore expugnavit . Expugnasset autem universam eam patriam , nisi preces amicorum Majestatem Suam , & praesertim sanctae Sedis Apostolicae adhortationes & reverentia vicissent . Sanctissimus Dominus noster bo: me: Sextus Pontifex medio episcopi Forolivensis Legati sui,tunc apud Caesaream Majestatem agentis, & item olim reverendissimi Domini Agriensis similiter Legati , apud Regiam Majestatem constituti, partes suas interposuit : cuius animum postquam Regia Majestas intellexit , tanquam filius obedientissimus , immemor injuriarum & caedis suorum , ad pacis & concordiae tractatus descendit , & certis sub conditionibus & capitulis & obligationibus Caesareae Majestatis , quas magnificentia Vestra ex literis Suae Majestatis , quae statim coram perlegentur , intelliget , omnia loca illa capta & expugnata simpliciter restituit & resignavit , sicque tunc bellum illud finem habuit . Confecta itaque pace & percussis foederibus, restituisque oppidis, castellis,civitatibus,ac locis omnibus, quae Regia Majestas bello a Caesare receperat , Dominus Rex in patriam rediit , hostile nihil deinceps a Domino Caesare sibi parari putans , ac perpetua quiete frui . Sed qualiter Majestas Sua Caesarea promissa servaverit , nunc accipite . Confecto primo isto bello , dum regia Majestas (ut praedixi) in Hungariam rediens , aliis rebus suis vacat & se accurate

Vienna enim & Nova civitate , potioribus Austriae oppidis , sicuti ex lege foederis illi licebat , eum spoliavit : nec quisquam putet , quod ex Moravia & Slesia , aut Lusacia , quae Bohemorum provinciae sunt , & in quibus Dominus noster Rex a Caesarea Majestate Regalia & investituram suscepisse se profitetur , auxilia ad bellum hoc conficiendum habuerit ; solum & dumtaxat ex Hungaria copias auxiliares , quae Caesarem , & jus Caesareum non recognoscunt . Unde nihil omnino habet Caesarea Majestas , quod adversus Dominum Regem nostrum queri possit , quia suis , idest Hungaris dumtaxat armis , illum superavit , & penatibus ac avitis sepulcris exuit . Voluit itaque

que Majestas Sua fidem Caesari de regno Bohemiae & ejus provinciis praefitam , pro suo veteri instituto & more catholici ac magnanimi principis , inconcusse conservare .

Inter alia autem , Beatissime Pater , hoc quoque Jauriensis Dux afferuit . Profecto Majestas Domini nostri Regis contra Caesaream Majestatem pro non solutis illis quinquaginta millibus ducatis nunquam bellum movisset , nec via armorum pecuniam hanc a Caesare extorquere tentasset , nisi Caesarea Majestas regna sua post confectam pacem invasisset , & Dominum nostrum Regem alio intentum impedivisset , variisque injuriarum ac molestiarum generibus provocasset . Sed postquam Majestas Sua ab injuriis , damnisque , & persecutione Domini nostri Regis cessare noluit , coactus fuit tandem Dominus noster deposita nuper arma reassumere , & vim repellere , atque dominia sua tueri , ac defendere . Et licet haec , quae Dominus meus Rex recipit bello , maxima sint , vicemque alterius regni habeant , attamen Sua Majestas quae bella gerit , ut pacem habeat , ad exhortationem & reverentiam in primis sanctissimi Domini nostri , & Sedis Apostolicae , prout hic reverendissimus Dominus Legatus nomine Suae Sanctitatis saepius ac frequenter instituit , necnon ad suasionem illius amplissimi Senatus Venetorum , quos amicorum numero jamdudum annumeravit , haec omnia , quae bello recepit , dimittere , & restituere , salva tamen semper capitulorum & conventorum inter Dominum Regem & Caesaream Majestatem inscriptione & continentia , est paratus , idest modo Caesarea Majestas juxta promissa & obligationes suas , satisfaciat Domino nostro Regi ; in primis de summa capitali & expensis in praesenti bello factis ; tandem vero de damno & interesse ; paratus est arma deponere & ablata omnia restituere , ac cum Sua Caesarea Majestate in bonam pacem , concordiam & amicitiam descendere ; ac illam instar Patris colere , observare & venerari . Et profecto , Domine Orator , Dominus meus Rex non tam dolet molestias & damna passum esse a Caesarea Majestate , quam illum angit , quod magnam rei bene gerendae occasionem adversus Turcarum Imperium abstulerit . Nec dubitasset Regia Majestas , sicut Christianorum Imperatorem justis armis superavit , sic Turcarum Imperium , non minus pio , quam religioso bello evertisse . Sed Deus parcat Caesareae Majestati , qui suo sive alieno usus conilio , se ipsum in primis perdidit , & Regiae Majestati , cuius glo-

gloriae visus est invidere , magnum de hostibus Christianis triumphum nobis ademit , ac prope in manibus paratam vi-
ctoriam exturbavit . His autem dictis , mox Jauriensis perlegit
capitula , & inscriptiones , atque etiam privilegia Caesaris , in
quibus Majestas Sua Dominum Regem Hungariae , Dominum
Bohemiae Regem appellat , ac de Romani Imperii Electoratu ,
& de dicto Electoratu investituram concessit . Ad quae Domi-
nus Orator Venetorum respondit . Ego habeo in mandatis ab
illusterrimo Dominio meo , ut qod Dominus Rex responderit ,
debeam illico , & sine mora aliqua ad illud rescribere . Itaque
peto , quod detur copia istarum inscriptionum & capitulo-
rum : nec aliquid ultra ad rem hanc locutus est . Ego , Pater
Beatissime , et si saepius Domino Regi de hac re nihil , quam
nunc habeo in mandatis a Sanctitate Vestra , sim professus ; at-
tamen quantum pro spectaculo licuit , ingentissimas gratias
habui nomine Sanctitatis Vestrae Dominio Venetorum , quod
pro veteri & laudabili illo suo instituto in partem curae &
sollicitudinis ad Sanctitatem Vestram accessisset : quod pacem
& concordiam tam solemini Legationis pompa inter Christianos
principes , eos praefertim , a quibus caeterus Christianus
Orbis pendet , nulla laborum habita ratione , quaereret . Hor-
tabar insuper illos reverendissimos Consiliarios , uti Domini
Regis animum ad pacem capescendam , quam semper Sua Ma-
jestas in medio tot victiarum cursu , quibus adeo decoratus
incedit , pro animi sui magnitudine amplecti visa est , prose-
quatur & capiat , hoc praefertim tempore , quo Sanctitas Ve-
stra tot laboribus , tot denique impendiis ad bellum in Turcas
capescendum , si aliorum non desint auxilia , se accingit : quod
profecto non minus Christo , pro cuius gloria & laude hoc
bellum paratur , veruni etiam Sanctitati Vestrae in primis ,
quae illius vices gerit in terris , & universo Orbi Christiano
rem gratam facere polliceatur & spondeat . Dixerat sua Ma-
jestas his ferme diebus , quibus Orator iste Venetorum adve-
nerat , quod Legatus iste Imperatoris Turci ab Imperatore
suo habeat in mandatis , quod si nihil cum Domino Rege de
pace , nihil de induciis efficere potuisset , hoc saltem exposce-
ret , quod Rex Hungariae acquiesceret , quod copiae suae per
suum regnum transitum sine subditorum suorum injuria &
damno habere possent : quibus copiis Venetorum terras posset
invadere ob id , quod pollicitam fidem & concepta capitula
non

non servassent. Quodque nihil foret Domino Regi ob transitum copiarum suspectum, pollicetur Turcus, quod Regius homo cum copiis iter agat, & omnia, quae ad commeatum copiarum spectant, sua pecunia & suo sumptu velle exsolve-re exponet: quod si non servaret, liceat impune Domino Regi copias omnes invadere & spoliare. Initii apud Majestatem suam, dicere dignaretur quid ad extremum respondisset: dixi, inquit, dicatis Domino Imperatori vestro, quod prius conveniamus de damnis utriusque illatis, & postea quae potero facere pro honore Majestatis Suae (si non sit contra honorem meum) libenter efficiam. Expecto, Domine Legate, quid Dominus sanctissimus respondeat: propterea non volui tibi pro certo respondere. Laudavi Majestatem suam nihil quod alienum a modestia sua foret, respondisse.

Postremo Dominum Colocensem juxta Domini Regis pollicitam fidem ad mitiorem & proximiorem locum in Vicensciano deduxi. Processi illi obviam, & effusus mox in lacrymas & gemitus, Sanctitatis Vestrae clementiam implorabat. Consignarunt illum mihi custodes illi nomine Regiae Majestatis custodiendum juxta Sanctitatis Vestrae dispositionem & mandatum: quem nolui recipere, cum neque Vienna aut Strigonium foret locus ille, ut a Sanctitate Vestra dixi me sigillatim habere in mandatis. Nec tantum volui, ut pro meo arbitrio locus daretur idoneus & cetera, quae usui esse possent pro modo fortunae & temporis. Est tamen corpore fanus & incolumis, & praeter ventrem grandiorum, ab illo, ut dicunt, qui hominem norunt, non est immutatus. Habuit subinde maximas Sanctitati Vestrae gratias, prodeste servulo suo tandem memor fieri voluisset. Petiit insuper capellum unum, & puerum unum dari sibi in custodia comites. Hoc cum a Rege petiisse, perbenigne concessit: eos tamen, quos ipse eligeret, veritus, ut sua Majestas dicebat, hominis in efficiente linguam, quam male, ut dicit, compescit. Plenus animo, ac fiducia plenus loquitur archiepiscopus, nec flectit animum, sed turgidum & durum nescio quid super fortunae & temporis modum loquitur, servitia & labores annuens suos. Demum illum me adhortante & in spem erigente, tandem dixit, quod in judicium cum Domino suo descendere non vellet. Voluisset mecum multa clam loqui, sed putavi consultius fieri, ut nil, nisi palam cum illo agerem. Ille Thomas Dragi, ut ex bono loco accepi,

Ppp prius-

priusquam ad Sanctitatem Vestram venerit , Camerinum concessit cum illo Cynthio Anconitano : nescio quid id sit , quod tot nuncii Domini de Camerino huc venerint , & rursus Dominus Rex Romam missurus nuncios suos , etiam per Camerinum iter egerit . Alia non sunt , quae scriptura digna putaverim . Optime ac felicissime valeat Sanctitas Vestra , cuius sacratissimis precibus humillime me commendo . Ex Buda prima Junii 1489.

Sed ecce dum has literas claudio venit nuncius , qui Sanctitatis Vestrae brevia defert . Legi illa , ut par est , reverenter , atque alia ipse ego ad manus Suae Majestatis detuli , quae etiam , me praesente , legi jussit & mox cum ea , quae continebant , audi-
vislet , Praelatos , qui ibi aderant , jussit abire . Et vere , inquit , Domine Legate , ego intelligo in quem finem Dominus sanctissimus haec scribit . Sed ista non dico eo animo , quod velim Legato Domini sanctissimi respondere . Sua Sanctitas vult decimas habere : vere non habebitis : ego scio quid loquor . Dicit Sua Sanctitas , quod magnam habet cum Soldano intelligentiam : quam Sua Sanctitas habeat & per istam Crucem (quam utroque indice admoto fecerat) si portabitis illum Turcum per mare , ego portabo fratrem suum Turcorum Imperatorem per terram in Italiam : vos videbitis , inquit . Cui respondi : nescio , Serenissime Rex , quorsum Sua Sanctitas scribat haec , nisi ut communī consilio Potentatum Christianorum bellum in Turcos decernatur . Sed si decimas vellit habere , non videatur Majestati Vestrae necessarium fore ? Tanta enim res , tanta belli moles sine pecuniis , quae bellorum nervi sunt , inchoari . vel absolvī non potest : nec puto quod Majestas Vestra bella , quae gessit , sine pecunia absolvere vel inchoare potuerit . Sed pro Deo dignetur quod non faceret , non dicere . Fuit haec tenuis Majestas Vestra murus & antemurale Christiani nominis , cur tam propere vult de Domino nostro & ejus consiliis male sentire , qui nil , nisi communī Potentatum Christianorum consilio bellum indicere parat : & quantum mihi pro ingenii tenuitate licet colligere , bellum hoc , quod Sua Sanctitas indicere parat , aut classe vel terrestri exercitu fiet . De alterutro modo Legati Christianorum Potentatum , quos ad se vocat Dominus noster , apud Suam Sanctitatem discutient : & si classe agendum erit , etiam communī consilio decernetur quis classis futurus sit Praefectus . Si terrestri exercitu , etiam mature de-

cernetur per cuius provinciam & terras . Et quid scit Majestas Vestra ? Forte omnium erit consilium , quod Majestas Vestra tam ratione militiae suae , quam regorum situ invadendi Turcum , commodissime bellum hoc conficiat . Sed ego puto , Serenissime Rex , quod terrestris exercitus sine classe , aut classe sine terrestri exercitu huic negocio non sit satis , sed utrumque requiratur . Nam si terra agendum erit , classis est necessaria ad hostium incursiones propulsandas : quas mari forte facerent adversus Christianos , ut illorum vires diverterent , & e converso . Et cum in hoc sermone utrinque multa dicerentur , respondit Sua Majestas : vere sunt magna ista , quae , sicut Dominus sanctissimus commemorat , fecit Sedes Apostolica . Sed ego volo scribere ad Suam Sanctitatem , & videbit quod non sunt inferiora illa , quae ego & majores mei fecimus . Quantum ad deliberandum de isto bello , ego hoc negocium committam Oratoribus meis , qui sunt in Curia apud Suam Sanctitatem . De pace & concordia inter me & alios , cum quibus ego habereim differentias , in quibus Sua Sanctitas pollicetur concordiam facere , ego habeo Sanctitati Suae gratias : & credatis , Domine Legate , quod ego nunquam alicui damnum intuli vel injuriam , nisi cum fui provocatus , quia putavi quod tunc liceret mihi , ut injurias propulsarem & me defenderem , & tunc male evenit illis , qui mihi injuriam fecerunt . Et postquam Sua Sanctitas scribit de differentiis componendis , sciatis , Domine Legate , quod nunc sum advisatus , quod Rex Poloniae & Rex Bohemiae nunc fecerunt unam confoederationem inter se contra statum & personam meam , & ego ne sim solus , volo etiam confoederationem facere cum quibus possum , ne isti noceant mihi : & certe non multum miraretur , quia est pater , & filius . Sed quod expresse nominaverunt contra personam & statum meum , hoc facit , ut ego cogite in de amicorum confoederatione , qui mihi auxilium ferant , (nec mora , instructiones exhibuit) qui in illico stupore fuerant , de quibus , quod copias daret , est pollicitus . Cui respondi : Serenissime Rex , non possum nisi dolere , quod aliqua emergant , quae Vestram Majestatem habeant turbare , hoc praesertim tempore , quo Dominus noster bellum hoc in hostes Christiani nominis justissimis armis parat indicere . Puto non ab re esse Suae Majestati significare , & si quid interea videatur Majestati Vestrae , quod opera mea ad pacem fieri possit , illam polli-

ceor & spondeo Majestati Vestrae . Nec a modesto videtur distare , quod Majestas Vestra auxiliares amicos sibi quaerat associare , quibus illorum Regum vim & injuriam , si inferre illam vellent , propulsare possit , modo auxilia talia sint , & ab illis proficiscantur , quorum religionem , si non societatem , non aspernetur , aut vitare deberet Majestas Vestra . Haec , Pater Beatissime , de Turco loquebar . Subdidit protinus Sua Majestas , & maligno risu laetus : Domine Legate , Rex Poloniae etiam non curat vel aspernatur religionem auxiliorum suorum : immisit in regnum meum Tartarorum & haereticorum copias ad praedam & populationem faciendam . Cur ego non Turcum petam auxilia ? Illorum societatem petere me oportet , qui utiles ad propulsandam vim , quam parant isti pater & filius , esse possunt .

Beatissime Pater , intueor hunc Dominum Regem anxium , & qui animo omnino concepisse videtur , quod Sanctitas Vestra bellum hoc classe sit indictura , eamque ad comodum & gloriam Venetorum factura sit : quodque amplius est , si Zizimus Turcus in classe ponatur ; Venetos , quos futuros praefectos classis putat , non in bellum contra Turcum proficiscantur , sed privata aliqua commoda & privatas eorum passiones ulcisci intendent . Quo fit , ut plurimum verear , ne scandalum aliquod Rex ipse facere cogitet . dixerat enim mihi , quod Oratorem Turci dudum a se mittere volebant : nec adhuc dimisit , & adhuc hic moram dicit . Nec de societate cum Turco ineunda clam cogitat , sed palam & in genus se facturum inter loquendum comminatus est . Quare Sanctitati Vestrae humiliter supplico , pro sua divina prudentia , ut consuevit , optime consulat & disponat . Agitur , ut audio , de sufficiendo hunc naturalem Domini Regis filium , ut patri in regnum succedat : ea tamen ex levi nescio qua fama mihi auditur : habet tamen illum in magno honore & statu , quem salutari & revereri pro primogenito cupit . Venit , ut audio , nunc Orator quidam Mediolani , parvo tamen apparatu , ut sponsalia illa concludat , vel hunc recipi a Baronibus in regni successorem videat . Ad Regem Poloniae Dominum Zagrabensem Oratorem suum prope diem mittendum Dominus Rex designavit : forte inter se concordabunt : quod Deus faciat pro sua clementia . De Domino Colocensi , expecto a Sanctitate Vestra audire , quid illa me facere velit . De Anconitanis rursus cum Domino Rege sermone

nem intexui. Perstat in proposito, quod Domino Thomae Dragi rem delegaverit, ut omnia faciat, quae Sanctitas Vestra fieri mandat; modo Sanctitas Vestra per unum breve Anconitanis errata, quoad hanc causam, contemplatione Suae Majestatis indulget & remittat: & nunc idem pollicetur scribe-re & Sanctitati Vestrae & Thomae Oratori. Recesit tandem Orator iste Turci, & ut mihi auditur, etiam Dominus Rex Oratorem suum propediem mittet ad Turcum. Puto, Pater Beatis-sime, quod Majestas Sua inter spem & metum naviget & pedem unum in duobus calceis habere velit, ad effectum ut vi-deat quid Sanctitas Vestra de isto Turco, quem in palatio ob-servat, statuat & decernat: ut si forte dandum illum in classem Venetorum statuerit, illico cum Turco foedera jaciat. Nec valeo Majestati Suae suadere, quod non solius Dominii Venetorum exquirendum sit consilium, sed Majestatis Suae prae-cipue, ac ceterorum Christiani nominis Potentatum haben-da sunt vota. Sit quaeso boni animi Majestas Vestra, quia vi-debit, quod Dominus noster nihil a modesto alienum, nil de-nique, quod Sanctitatem Suam & Sedem Apostolicam non deceat, decernet. Ego dico vobis, Domine Legate, inquit, Dominus sanctissimus de isto Turco non potest facere nisi quan-tum Rex Franciae mandat, & cum isto pacto recepit eum & totum istud negocium est in manu de Balua, & ipse totum gu-bernat, licet Rex Franciae esset bene contentus, quod veniret ad manus meas. Dixi: Serenissime Rex, non sunt mihi nota-pta particularia, ut illa dicit. Ego puto, quod Dominus no-ster liberum habeat de illo Turco arbitrium. sed Sua Sanctitas cupit Christianorum vota audire, quo melius & consultius de bello indicendo deliberet. & meminisse dignetur Majestas Vestra, quod Dominus noster plurimum adhortatur illam, ne tantam fidem praestet delatoribus, qui cupiunt semper scan-dala incitare. Non credatis, inquit, Domine Legate: ista quae loquor non veniunt de illo, quem vos putatis: aliunde ego habeo & ex bono loco. Ostendit Sua Majestas dudum binas literas Soldani in Arabico & Turco sermone scriptas: & mo-deste a me pulsatus quid literae dicere, velut obaudiens alio sermonem divertit. Venerunt ad me ex Bohemia certi Fratres Minores de observantia, qui centum fratrum Oratores se di-cunt; & a me petierunt ista sibi concedi, super quibus volui Sanctitatem Vestram consulere, cum dudum nōverim Sedi Apo-stoli-

stolicae specialiter reservata . Subinde Agriensis, Zagabriensis, & Cenadiensis petierunt a me consilium quid de uxoribus , quarum mariti , aut de maritis , quorum uxores hostium Turcorum servi forent , quorum aliqui , & aliquae de facto novas insuper ducunt uxores aut maritos , & in concubinatu vivunt ; an illis ecclesiastica Sacra menta danda forent , si nolint a concubinatu discedere . Allegant , ut isti Domini Episcopi referunt , grave esse , quod ab ecclesiasticis Sacramentis fiant alieni , attento quod nulla eorum vel earum culpa apud hostes maritus , vel uxor detineatur , & cum maritis uxores , aut uxoribus maritos redimere facultas non sit , & carnem contine re non valeant . Si Sacra menta denegentur , minantur se ad Turcos migraturos , & ut novit Sanctitas Vestr a , facilis Hungar is & Sclavis ad Turcos est transitio . Ad sanctitatem Vestram hos tam graves casus remittendos censui , quia si non sit culpa , tamen est causa . Venerunt duo nuncii Domini Maximiliani , levi tamen apparatu , ut vix quinque aut sex secum habeant . Pararunt mandatum Domini Maximiliani , in quo profitetur se a Caesarea Majestate Patre suo habere plenam potestatem inducias prorogandi . Voluit Dominus Rex pro Sanctitatis Vestrae reverentia , tractatui saepius discussio adesse ; & quia mandatum , quod primo exhibuerant , satis leve fuerat , res difficultatem habere videbatur , usque adeo ut Dominus Rex remittendos & excludendos nuncios , si aliud non haberent mandatum , censuit . Sed ubi apud eos arctius institutum est , plenius mandatum exhibuerunt ac spouonderunt , Dominum suum habiturum ratum quidquid super mandatum Dominus Rex concludi in treguis voluisse : sicque ad sex menses induciae sunt prorogatae : ac hodie , qua Sacramenti Corporis Christi celebritatem colimus , inter litaniarum solemnia Dominus Jauriensis inducias publicavit , adjiciens , Dominum Regem in primis ob Sanctitatis Vestrae reverentiam , & adhortationem , & Maximiliani complacentiam fecisse : quodque amplius est , Dominus Jauriensis serenissimi Dominis Regis ius tu omnium animos in spem magnam erexit , ut si pacem fieri contingat , vires regni & arma omnia in bellum , quod Turcus indicit , ex nunc convertet . Et profecto , Beatissime Pater , Dominus Rex longe mitius se habuit & mitiores , ut dicunt , Oldas , id est pecuniarum tributa , imposuit oppidis Austriae , quae restant bello occupanda , quam alias cum

Catho-

Catholica Majestate egerit ; quod totum & Sanctitati Vestrae , & Maximiliano tribuisse profitetur . Est quoque in induciarum capitulis illud , ut Dominus Rex diem dicat & locum , quo Maximilianus ad superiorem ascendat Germaniam ad colloquium cum Domino Rege de pace acturus : putant , qui recte sentiunt , pacem concludi debere . amat enim Dominus Rex Dominum Maximilianum , seque facile posse cum illo compонere negotia haec , profitetur : quod de patre longe est : determinatur illius desidiam , inutilitatem , & ingratitudinem , ac repuerascentis senis mobile & varium ingenium . Habui ego in publica concione nomine Sanctitatis Vestrae Suae Majestati ingentissimas gratias , quod ad inducias primo , mox ad pacem , quae ex mutuo colloquio sperabatur , animum inclinasset . Laudavi insuper Suam Majestatem , quod non minus reverenter , quam devote & monita & adhortationes Sanctitatis Vestrae , ut Catholicum decet Principem , audiret . Debet profecto Sanctitas Vestra Majestati Suae plurimum , quae etsi ad rem hanc a me , qui nullum ad rem hanc petendum mandatum habebam , pulsata non fuit , attamen publice Majestas Sua professa est , se ob Sanctitatis Vestrae reverentiam facere , ac omnem exercitum , quem ex Slesia & Lusacia ad bellum hoc nuperrime eduxerat , alio convertit . Composuit enim Varadinus , qui nuperrime rediit , rem omnem , quae dudum fuerat cum Marchione illo Brandenburgensi , & Ducibus illis de Saxonia & Bohemis omnibus , qui a Majestate Sua defecerunt , non sine Domini Regis commodo , gloria , & honore , ut Varadinus dicit . Quare supplico Sanctitati Vestrae humiliter , ut ipsa quoque animum ad ea , quae Domino Regi ad gloriam sunt & honorem , ut facere consuevit , & aliis suis ad me literis professa est ; inclinet , ac suis literis Majestatem Suam pro tam religioso & pio desiderio in Sanctitatem Vestram commendet & laudet . Hic jam nihil hostile suspicamur , & praeter arma , quae Majestas Sua in Carinthios , & siqui treguas violarunt , movit ; nihil auditur , nec pro illis Oratores isti verba faciunt , sive quod justa arma Rex moverit in eos , qui fide fracta in causa sunt , quod bello & armis lacestantur , sive quod non habeant in mandatis . Occupavit jam Dominus Rex , nullo resistente , certa oppida cum arcibus , & victoriam prosequitur , nec quisquam fert opem , nisi quantum ope castelli , aut murorum obsencionem pati possunt . Subinde cum literas claudere instituis-

sem ,

sem , volui Dominum Regem alloqui , ut si quid foret ulterioris , literis mandare possem : & de industria repetito sermone de isto Turco , quem Sanctitas Vestra servat , quod magnam scilicet foret huic bello , quod Sanctitas Vestra parat , allaturus utilitatem . Domine Legate , inquit , de isto Turco non est opus ulterius cogitare . Orator Soldani , qui est Romae , supplicavit Domino sanctissimo pro parte istius Turci , quem Sua Sanctitas servat , quod Sua Sanctitas sit contenta recipere a Soldano ducenta millia ducatorum , & quod eum det ad manus Soldani , & Sua Sanctitas fuit contenta . Sic misit unum hominem ad Rhodum sub praetextu , quod pro aliquibus fratribus religiosissimis Rhodiensium vadat ad Rhodum ; sed inde mutatis vestibus ibit ad Soldanum pro compositione istius pecuniae , & aliarum rerum . Ego , inquit , bene credo , quod faciet magnum bellum contra fratrem suum magnum Turcum : sed Dominus sanctissimus deberet cogitare , quod Soldanus & ille Turcus ambo sunt infideles ; et si isti fiant magni , erunt maximi inimici fidei nostrae ; et si vincet iste Turcus , qui nunc est captus , credatis , Domine Legate , quod nos habebimus duriorem inimicum , quam istum magnum Turcum . Item Dominus sanctissimus nunc unum alium hominem suum mittit mutatis vestibus ad magnum Turcum , nescio tamen (inquit) pro qua causa . Quantum autem deceat unum Papam ista facere , Sua Sanctitas , quae prudentissima est , potest melius considerare , & quid sint dicturi alii Christiani principes , quando ista audierint . Dixi , serenissime Rex , haec sunt mihi omnia incognita : nec possem credere , quod Sua Sanctitas , quae per suas literas omnium Potentatum exquirit Oratores , ut communis consilio rem decernat , quod tam propere voluisset reim concludere : & non videtur mihi verisimile , quod pro ducentis milibus hoc factum sit . nam meminisse potest Majestas Vestra , quod alias ego ad Dominum nostrum scripsi , quod Soldanus offerebat sexcenta millia . Quare nunc pro ducentis millibus ? Tamen quando hoc foret , quod dicit Majestas Vestra , forte ista ducenta millia volet Sua Sanctitas pro isto bello , quod parat contra Turcos . Domine Legate , inquit , si non scit hoc Paternitas Vestra , scio ego , & forte quod plus sunt : sed de ducentis millibus ego sum bene certus . Et non credatis (inquit) quod Sua Sanctitas velit pro isto bello : sed vult pro bello , quod intendit facere contra Regem Neapolitanum , & jam Sua Sanctitas

Etas est deliberata in mense Augusti proximo eum excommunicare , & certa alia facere contra eum . Ego , inquit , pro honore meo non possum eum relinquere , & credatis , Domine Legate , quod ista res habet majorem caudam , quam credatis , & faciet tantum ignem , quod Sua Sanctitas non poterit extinguere cum voluerit . Serenissime Rex , haec (inquam) omnino sunt incognita , & nunc primum audio : immo quando discessi , videbam Sanctitatem Suam satis ad pacem inclinatam & mihi commiserat , quod cum Majestate Vestra verba facerem , ut illa partes suas interponeret , & Regem Neapolitanum adhortaretur , quod capitula & conventa servaret , cum nullum adhuc servare voluisse . Et credit Majestas Vestra , quod mirum est illius Domini Regis ingenium , qui nunquam fidem servat . Tamen ego nescio quid ad hoc respondeam , cum nihil haec tenus audierim . Domine Legate , inquit , omnes nos amici sui hoc dicimus , quod Rex Neapolitanus nunquam servat fidem . Tamen Dominus sanctissimus ipse met est in culpa . A principio quando vos , Domine Legate , venisti , ego incepi super hac re laborare : & scio , quod illud , quod promisisset per manus meas , vellet nolle , ipse servasset : immo Dominus Rex non libenter audiebat , quod ego me interponerem , quia forte non intendebat servare quod promisit . Sed Sua Sanctitas istam rem commisit Laurentio de Medicis : postea Domino Ludovico : postea Venetis : quando ego audivi hoc , nolui me impedire . Dominus sanctissimus isto anno effecit , quod Dominus Ludovicus erat iam confoederatus cum Sua Sanctitate , & deseruerat Regem Neapolitanum . Sed ego tantum feci , quod concordavi eos . Sed hoc forte Sua Sanctitas ignorat . Praeterea ego audivi (inquit) quod isti Veneti fecerunt querelam contra me ad Suam Sanctitatem , quod illum Dominum de Camerino ego conduxi ad stipendia mea , & quod in capitulis ego promisi sibi , quod pecuniam , quam isti Veneti debent illi Domino de Camerino , per vim solvere faciam . Ego , inquit , possem per Deum jurare , quod non modo hoc non est expreßum in capitulis , sed hoc nunquam scivi , nec unquam de hoc fuit mihi factum verbum . Est verum , inquit , quod postquam ego vidi , quod Dominus noster vadit ad istas suas passiones , & non vult pacem habere cum Rege Neapolitano , non possum cum honore meo relinquere eum . Ego consideravi , inquit , quod melius est , quod ego habeam gentes de Italia , &

cum minore impensa , quam mittere hinc : & propterea conduxi eum Dominum de Camerino , qui vadat in auxilium ipsius Regis quando sit opus . Sed ego considero , inquit , quod intra paucos dies habebo novum , quod Marchio Mantuanus erit ad stipendia mea . Dixi : Serenissime Rex , de rebus Italicis ego possum liberius loqui , quia Italus sum . Ille Dominus de Camerino est subditus Romanae Ecclesiae , & non puto , quod audeat arma sumere , ubi senserit Dominum nostrum habere interesse . Et quid putat Majestas Vestra , quod ille sit ? praeter montes nihil habet . bene puto , quod in illis montibus aliquid possit , quia habet , ut dicitur , pedites sagittarios bonos : sed extra eorum loca & montes , praeter istos , qui dicuntur Ciarratani , qui portant falsas indulgentias , nihil habet , nee aliquid valet . Sed credat Majestas Vestra , quod adhuc de illo dictura est , Curva fra olas . Risit & ulterius ad rem non est locuta . Audio quod ad octavum Septembris Sua Majestas diem dixerat , quo ad colloquium cum Domino Maximiliano de pace tractanda convenient : & nescio quo levi murmure mihi refertur , quod isti nuncii Domini Maximiliani Domino Regi spei dederint de filia Maximiliani , quae in Gallia est , quam matrimonio cedet huic naturali filio Regis . Alii referunt de filia Regis Neapolitani : & hoc Dominae Reginae inventum est , ut turbet nuptias istius Sororis Ducis Mediolani . Praeterea , ut audio , brevi Dominus Rex Gubernatoris Regni Hungariae titulum huic filio suo dabit , ac jurari in Regem , ut post ejus obitum in regno succedat , efficiet . Optime ac felicissime valeat Sanctitas Vestra , cuius sacratissimis precibus humillime me commendo . Ex Buda xxv. Junii MCCCCCLXXXIX.

N O T A .

DE Zizimo , cuius in hisce literis fit mentio , vide Theodosium Zygomalam apud Martinum Crusium in Turcograecia pag.30.

L.

Ex editione Hortana.

Dilectis filiis Communitati & Hominibus
civitatis nostrae ORTANAE.

LEOPP. X

Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Inducimur fidei & devotionis sinceritate , quam ad nos & hanc sanctam Apostolicam Sedem geritis , ut ea quae vestris commodis pertinere noscantur , vobis paterno affectu concedamus . Quocirca cum sicut nobis exponi fecistis fel. rec. Julius Papa II. praedeceßor noster ex sinistra potius (ut creditur) informatione , quam alia justa causa motus , omnibus & singularis fructibus , redditibus & proventibus ad istam Communitatem alias pertinentibus , qui in solutione salariorum officialium istius nostrae civitatis exponi solebant , vos & Communitatem ipsam privarit , illosque camerae Apostolicae applicarit ; nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati , omnem venditionem de illis usque in praesentem diem quomodolibet factam harum serie revocantes , vos & Communitatem ipsam ad omnimodam perceptionem & exactionem dictorum fructuum & proventuum in pristinum & eum statum , in quo ante dictam privationem seu amotionem quomodolibet eratis , donec tamen civitas ista nostra in pace & unione manferit , ita quod quandocunque ob causam hujusmodi concessionis discordia vel divisio inter vos oriretur , ex nunc , prout ex tunc , praefens gratia cassa & irrita sit , tenore praesentium de specialis dono gratiae restituimus , reponimus , & reintegramus : ea insuper conditione adjecta , quod si nos expeditionem contra Turcos facere contigerit , tunc liceat nobis dictos introitus ad manus nostras reducere , & in ipsam expeditionem , donec illa duraverit , convertere ; mandantes omnibus ad quos spectat , ne vos super dictis introitibus , exceptis casibus praedictis , quomodolibet molestent aut molestari faciant vel permittant , non obstantibus praemissis , ac constitutionibus & ordinationibus Aposto-

licis , necnon venditionibus de illis factis , etiam per Breve nostrum confirmatis , ceterisque contrariis quibuscumque . Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris , die xxiiii . Maii MDXIII . Pontificatus nostri anno primo .

A. Colotius .

L I.

Ex editione Hortana .

Dilectis filiis Communitati civitatis nostrae ORTHARUM .

L E O P P . X

Dilecti filii salutem & Apostolicam Benedictionem . Nuper exponi nobis fecistis , quod alias dilecti filii praesidentes camerae nostrae Apostolicae supplicationibus dilectorum filiorum oratorum istius nostrae civitatis ORTHANAE inclinati , nolentes de cetero substantiam istius vestrae Communitatis superfluis comedationibus , dilecti filii Gubernatoris seu Locumtenentis provinciae nostrae patrimonii pro tempore existentis in visitatione dictae civitatis debitum dispergi & consumi , ex deliberatione matura in dicta camera praehabita , ne aliquid ultra quindecim ducatos : quos alias ex antiqua consuetudine pro huicmodi visitatione pro expensis seu viatico suo solvere consuevistis , ad solvendum pro dictis expensis seu viatico astringi de cetero possietis ; eset tamen in dicti Gubernatoris seu Locumtenentis facultate aut dictos quindecim ducatos in pecunia numerata loco impensarum , seu cibum & potum & alia pro expensis necessario ad sui electionem recipere pro visitatione facienda cum inhibitione Gubernatori & aliis officialibus provinciae praedictae tunc & pro tempore existentibus , sub excommunicationis latae sententiae & quingentorum ducatorum praefatae camerae applicandorum poenis , ne dicta de causa vos ultra quindecim ducatos praedictos , sicut antea solvere consueratis , compellerent , statuerunt & ordinaverunt non obstante , quod a quibusdam annis citra , secus observatum fuisset . Quare nobis

nobis humiliter supplicari fecistis, ut statuto & ordinationi praesidentum camerae hujusmodi pro firmiori iubilantia robur Apostolicae firmitatis adjicere, aliaque in praemissis de benignitate Apostolica providere dignaremur. Nos hujusmodi vestris in hac parte supplicationibus inclinati, harum serie statutum & ordinationem praedictam, ac omnia & singula per dictos praesidentes camerae circa praemissa, facta & gesta, ac si de verbo ad verbum praesentibus infererentur pro expressis habentes, confirmamus & approbamus, supplentes omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsitan in eis intervenerint. Mandantes nihilominus moderno & pro tempore existenti Gubernatori seu Locumtenenti ac omnibus & singulis aliis dictae provinciae officialibus sub eisdem poenis, ne contra statutum & ordinationem praedicta, aliqua via directe vel indirecte venire praesumant: quinimmo omnia & singula juxta statutum & ordinationem praedictae camerae observent & ab aliis inviolabiliter observari faciant, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die prima Novembris MDXX. Pontificatus nostri anno octavo.

L I I.

Ex editione Hortana.

Dilectis filii Prioribus populi, & Communitati civitatis nostrae HORTANAЕ.

L E O P P . X

Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Nobis nuper exponi fecistis, quod cum introitus ordinarii istius civitatis nostrae HORTANAЕ ad onera & expensas ordinarias & extraordinarias, quas de necessitate subire cogimini, non sufficiant; quasdam dativas, ut ex forma Statutorum & consuetudinum vestrorum a Sede Apostolica confirmatorum & hactenus inviolabiliter observatorum potestis, vobis metipsis & civibus comitativis vestris imponere pro one-
rum

rum & expensarum hujusmodi supplemento consuevistis. Quia tamen illarum exactio ut plurimum aut negligitur aut exactor majorem pro mercede & salario suo sibi partem vendicat, evenit saepenumero quod dativae dativis, onera oneribus, ac impensae impensis sine aliqua ipsius Communitatis ab imminentibus necessitatibus relevatione, congerminantur. Et dum se Communitas ex uno laqueo quaerit explicare, se multiplicibus astringit, in grave universitatis particulariumque personarum damnum & praejudicium. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, ut super hujusmodi dativis per Communitatem impositis salarium Potestatis vestri cum onere, quod ipse dativas ipsas pro suo salario sine aliqua exactio mercede exigere teneatur, deputare atque alias desuper vobis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos qui omnes, praesertim nobis & S. Romanae Ecclesiae immediate subjectos populos in visceribus gerimus charitatis, vos favore prosequi gratioso valentes, vestrisque humilibus nobis porrectis supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore praesentium salaryum Potestatis istius civitatis HORTANAЕ, nunc & pro tempore existentis super dativis semel vel iteratis vicibus per Communitatem istam legitime imponendis & ordinandis, quae pro hujusmodi salario sufficient, nisi ex dictis (ut vocant) exigibilibus, in totum vel in partem, vel etiam ex eisdem ordinariis introitis salaryum hujusmodi solvere volueritis, deputamus, decernentes, quod Potestas vester praefatus salaryum suum ex hujusmodi dativis, & quatenus vobis visum fuerit, ex dictis per se vel suos officiales exigere debeat & teneatur. Nec propter hujusmodi exactioem alienas mercedes exigat, aut exigere seu petere possit, nisi ab illis, si qui forsan essent, qui hujusmodi ex nostro decreto licentiores (quod non creditimus) facti aut solvere omnino recusarent, aut ter amicabiliter requisiti negligentes & remittentes ad solvendum forent: a quibus & summam per eos vel propter dativas seu dicta hujusmodi debita & ne ex indulgentia licentiam peccandi sumant, id quod alias juxta Statuta, reformationes, aut consuetudines vestras praefatas pro exactione similiis summae exactori deberetur, ipse quoque Potestas in hujusmodi recusatione & negligentia exigere possit, volumus, statuimus, & ordinamus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis, reformatiōnibus, electionibus, capitulisque, & promissionibus de aliter sol-

solvendo salario per vos Potestatibus hactenus electis , etiam per nos confirmatis & deputatis, forsan factis . Quas promissiones & capitula, quo ad salarii aliter, quam(ut praefertur)solutio nem facientem , irritamus & annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxiii. Martii MDXXI. Pontificatus nostri anno nono.

L I I I.

C L E M E N T I S . V I I
 BREVE VICARIO EPISCOPI HORTANI

Ex Archivo Vaticano.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris episcopi
HORTANI in spiritualibus generali .

Dilecte fili salutem &c. Exponi nobis fecerunt per suos Oratores dilecti filii Communitas & homines nostrae civitatis HORTANAE , quod ipsi ex praesentium temporum calamitate una cum ceteris afflitti in conservanda etiam ad devotionem nostram & sanctae Sedis Apostolicae dicta civitate , tam multas expensas facere , & onera subire coacti fuerunt , ut nihil fere eis sit reliquum ad futura onera , tutelamque dictae civitatis necessario subeunda , nisi Ecclesiae & hospitalia dictae civitatis , quae pariter cum rebus saecularibus defenduntur, pariter etiam dicta participant . Quodque etiam ipsi Communitas & homines penuriarum aquae ex modica fontis in dicta civitate existentis capacitate ita patiuntur , ut tempore obsidionis magnum eis periculum immineat se defetatu aquae dedendi . Verum sicut eadem expositio subjungebat, si Ecclesiae & hospitalia praedicta aliqua in parte suorum preventuum ipsam Communitatem coadiuvarent, & quaedam Ecclesia fonti dictae civitatis contigua demoliretur , ejusque area ad ampliandum dictum fontem , capacioremque ad suscipiendum aquam reddendum , eisque Communitati & hominibus concederetur , ex his profecto alleviationi ipsius Communitatis & securitati ac commoditati dictae civitatis plurimum consuleretur . Quare pro parte dictorum Communitatis & hominum

minum nobis fuit humiliter supplicatum , ut eis in praemissis paterne annuere ac providere de benignitate Apostolica dignarremur . Nos igitur, qui dictas Communitatem & homines ob fidem eorum inconcussam , quam nobis hoc calamitoso tempore præstiterunt , paterna ac debita benevolentia prosequimur, meritis eorum induiti precibusque inclinati , tibi per praesentes committimus & mandamus , ut Ecclesias & beneficia ecclesiastica tam saecularia , quam regularia in eadem civitate sita , obtinentes , hospitaliumque dictae civitatis Rectores nostro nomine horteris , mandesque & praecipias eisdem , etiam sub censuris & poenis ecclesiasticis , ut durante hac necessitate , & ad beneplacitum nostrum dumtaxat , de fructibus Ecclesiarum , beneficiorum & hospitalium hujusmodi pro communi sua & aliorum defensione & conservatione juxta tuas facultates & moderatam impositionem tuam , tam in expensis factis , quam fiendis pro dicto munimine , contribuant . Et nihilominus si ex demolitione dictae Ecclesiae , fonti civitatis propinquae , fontem capaciorem reddi ac securitati & commoditati dictae civitatis per hoc consuli repereris , atque ad id venerabilis fratris episcopi HORTANI , vel tui confensus accesserit eidem Communitati dictam Ecclesiam demoliendi & ex ejus area dictum , fontem ampliandi capacioremque faciendi , licentiam & facultatem auctoritate nostra concedas , non obstantibus sacrorum Conciliorum & aliis Apostolicis constitutionibus & ordinationibus , dictarumque Ecclesiarum & Hospitalium statutis &c. Roboratis privilegiis quoque & literis Apostolicis eis concessis confirmatis & innovatis , quibus ad effectum praesentium derogamus , contrariis quibuscumque aut si aliquibus &c. mentionem . Volumus autem quod in eventum demolitionis dictae Ecclesiae eadem Communitas suis expensis unum Altare sub eadem invocatione in Ecclesia cathedrali HORTANA construi , & ad illud missas in Ecclesia demolita celebrari solitas celebrari facere teneatur ; & ad hoc faciendum dictam Communitatem , antequam Ecclesia demoliatur , obliges , quodque eidem Altari bona dictae Ecclesiae demolitae si qua sunt , applicata censeantur : quodque pecunias ex ecclesiasticorum contributione redigendas in dictum , & non aliud opus vel usum converti , interimque penes idoneam fide & facultatibus personam deponi cures ; donec , ut praefertur , convertatur . Datum Orvieti &c. ultima Decembris MDXXVIII. an.v. Blof.

INDEX RERUM.

A

A B epistulis per n, non per o, antiquitus scriptum pag. 157. & seqq.
 Abundii & Abundantii SS. corpora translata jussu Ottonis III. Imperatoris 81.
 Accipiter in tributum datus Camerae Apostolicae 443.
 Acutianum. *Vide Farfa.*
 Adamus Hortensis episcopus 279.
 Adelphius maritus Probae Falconis 190. 197.
 Adeodatus subdiaconus regionalis Gregorii III. 385.
 Aditus ad sepulcra 172.
 Adria Colonia Etruriae secundae 20. ejus episcopus Philippus a Turre 39. 115. 167.
 Aedicula quid 114.
 Aedilites diversa a Quatuorviroatu 40.
 Aegidius de Horta Commendarius generalis ordinis S. Spiritus 299.
 Aequi Falisci 95.
 Agucchius Jo: Baptista 22. 102. 132. 133.
 Ajossa V. Pyrrhus.
 Albericus I. Comes Tusculani confusus cum Alberto seu Adalberto Marchione Tusciae 285. 287. fundit Saracenos ad Lirim 286. Hungaros in Italiam vocat & Hortae occiditur ibid. ejus uxor Marozia nubit Widoni Marchioni Tusciae 287. & postea Hugoni Regi Italiae 288.
 Albericus II. filium suum Benedictum IX. intrusit in Pon-

tificatum 288. ejus numimus ibid.
 Albertis Paullus de , Hortanus episcopus 299.
 Albulae aquae 152.
 Aleander Hieronymus 72.
 Aleottus Simon Hortanus Episcopus 316.
 Alexander Natalis notatus 214.
 Allius Pamphilus medicus 166.
 Altinus Thaddaeus Hortanus episcopus 315.
Ambius sepulcrorum 172.
 Ameria sita in Umbria 89. quando condita 90. non fuit Colonia Augusta 91. capta a Rege Luitprando 278. instaurata a Leone IV. 280.
 Amerina praedia seu Castellum Amerinum est Bassanum 88. in Etruria 89. 91.
 Amerina via 82. transibat per mediam Falarim 83. 89.
 Anastasius Cardinalis S. Marcelli electus Hortae in pseudopontificem 281. nepos Arsenii Hortensis episcopi 282. alias ab Anastasio Bibliothecario 283.
 Anianus emendator Breviarii codicis Theodosiani 231.
 Annius Viterbiensis nugator 2. 7. 98. 102. 131.
 Annonania provincia est Picenum 64. 65. cum Flaminia unicam constituebat provinciam 66.
 Antistius Manlius Valens consul ordinarius 155.
 Antonius Hortensis episcopus perit naufragus 304.
 Apocryphum quid significet in Decre-

- creto Gelafii 217. Canonico oppositum, & duplex 218. ejus significatio non intellecta a Beato Rhenano, neque a Melchiorre Cano, neque a Casaubono 220. ejusdem vocis originatio ex Isaaco Vossio 221.
- Aquileja. *Vide* Popo.
- Arcus Septimii Severi erafi 47. 55.
- Arena Cosimus de 128. 137.
- Arniensis Tribus 181. 182.
- Artemon Cassandrus scriptor antiquus 132.
- Aruns Etruscus filius Demarati Corinthii 143.
- Arsenius Hortensis episcopus apocrisiarius & legatus in Gallias missus a Nicolao I. 281. ejus epistola encyclica 282. In Galliis honorifice habitus 283. ejus gesta 284.
- Astmenus Neronis pincerna 168.
- Asterius Turcius Rufius consul 225. 226. emendatius edidit Sedulii carmen paschale 228. 230.
- Augustales. *Vide* Seviri.
- Augustinus Antonius 33.
- Augustus militares Colonias deduxit 28. 29. 30. Et Colonia rum jurisdictionem imminuit 34.
- Auzoutus Hadrianus 49.

B

- B** Aberius Cerialis Augustalis Hortae 37. 174.
- Bacchinius Benedictus 284.
- Bailletus Hadrianus notatus 195.
- Baldus Bernardinus 120. explicat assēm Etruscum 121. 128.
- Barthius Caspar notatus 192. 242. defensus 199.

- Bartholomaeus Deodaschis. *Vide* Deodaschis.
- Bartolus Hortensis episcopus 296.
- Bassanum est castrum Amerinum 88. 101. territorii Hortani 438.
- Bathylianenses 170.
- Baucae castrum 429. 436. 437.
- Belisarius Patricius, Hortae erigit monasterium S. Juvenalis 274.
- Belltorius Jo: Petrus notatus 55.
- Benevolentius Hubertus 140.
- Benignus beatus Hortanus 303.
- Berardus Farfae Abbas 289. 281. 395.
- Bergerius Nicolaus 28.
- Bernardinus S. Senensis Hortae facras conciones habet 302.
- Berrochius seu Verrochius Hortanus 299. 425. 427.
- Berruarii idest Satellites 416. 418.
- Blancus Sebastianus 146.
- Blandus Hortensis episcopus captivus Ravennae 275. pro ejus restituione S. Gregorius Magnus scribit ad Romanum Patricium Exarchum *ibid.*
- Blasii Afcanus Hortensis episcopus 316.
- Blera capta a rege Luitprando 278.
- Boccatius Jo: defensus 190.
- Bonarota Philippus 145. 153.
- Bongallus Scipio Hortensis episcopus 306.
- Bochartus Samuel 130.
- Bonifacii VIII. literae Bartolo Hortensi episcopo pro castro Kie 296. 297. 412. 413. Item Laurentio Hortensi episcopo 414.
- Bonifacii IX. diploma Hortensi episcopo 419. alia Hortanis civibus 412. 423. 439. alia Paullo de Juvenatio 424. 426. alia Verrochio Domicello Hortano 427. 429. 436. 437. aliud Bassa-

- Bassanensibus 438. aliud Jo-
hannello & Andreae Thoma-
cellis 441. aliud Vicarello fi-
lio Verrochii 453.
Bononia caput Etruriae secundae
20.
Borghinius Vincentius 14.
Britannici nomen quando a Cara-
calla adsumptum 56.
Brunus Henricus Hortanus epi-
scopus 304.
Burchardus Jo: Hortanus episco-
pus 305.
265. factus Hortensis episco-
pus 266. transit Augustodou-
num 268. ubi succedit Simpli-
cio 269. ejus acta a variis lau-
data 270. 271. Hortae succe-
forem habuit Leonem 272. *acta*
prosaica 335. *metrica* 343. Il-
lius meminit sanctus Germanus,
beatus Gregorius Turonensis &
Martyrologium Romanum 342.
ejus translatio & miracula 361.
Sermo in ejus tumulatione 370.
Officium 378. Missa 382. Vita
383. 384.

Cecarellus Alphonfus impostor 3.
Cellarius Christophorus 160.

Centones unde dicti 246. 247.
Virgiliani. *Vide* Proba. Home-
rici 248. 259. 260. 261. edi-
tiones 264. Centones erant
panni ex lana 249. adhibiti
contra incendia 250. memorati
a scriptoribus Tacticis 251.
252.

Centonarii 252. 253. cur juncti
Dendrophoris, Tignariis &c.
254. 255. 256.

Cerialis Augustalis 174. 175. 176.
177.

Cetheus S. seu Peregrinus, Ami-
ternensis episcopus 277.

Chresimus. *Vide* Onesimus.

Clarus Julius Erucius consul ordi-
narius 201. Item Sex. Erucius
202.

Claudius II. Imperator an eccl-
esiā persequutus sit 86.

Clemens XI. Pont. Max. 121.

Clitumnī templum 152.

Cluverius Philippus notatus 91.

Collegia Augustalium a Tiberio
instituta 37.

Coloniae sibi suos magistratus eli-
gebant 35. earum discrimin-
27. 28. Coloniae Augustae cur
ab historicis non recensitae 25.

Rrrij 28.

C

- Accia Matthaeus & Plinius
Hortani 315.
Caesius Paullus & Pomponius
Cardinales & episcopi Horta-
ni 306.
Cajetanus Bellus 298.
Callimachus statuarius 119.
Cansachius Jo: Vincentius Hor-
tanus episcopus 307.
Canus Melchius notatus 220.
Capenates foederati 62.
Capua urbs princeps Etruriae ter-
tiae 22.
Caracalla quando primam Tri-
buniciam potestatem injit 53.
quando Britannici nomen ad-
sumpsit 56. nummi cum arcu
Septimii 53. 54.
Cartenses nummi 416. 418.
Casaubonus Isnacus notatus 220.
Castellana civitas olim Falisco-
rum Colonia 77. 80. ejus epi-
scopatus Hortano unitus 300.
Castellorum provincia est Aemilia
64. 65.
Cato scripsit de rebus Itallicis 2.
Cave Gullielmus notatus 195.
196. 213. 216. 217.
Cassianus S. domo Alexandrinus

28. 30. quot fuerint & quae-
nam 31. 32. Colonia & munici-
pium aliquando unica urbs 93.
94.
Conbarissius 168.
Condulmerii Francisci Cardina-
lis literae ad Hortanos 468.
469.
Conradus Hortanus episcopus
296. 409.
Conradus Nicosiensis archiepi-
scopus S.R.E. Camerarius 428.
Conradi II. Imperatoris diploma
Guidoni Farfensi Abbatii 386.
Conscripti. *Vide Decuriones.*
Conservator Hercules dictus 112.
Copia pro familia 182. 183.
Corrector Tusciae & Umbriae
Narniae residuebat 72.
Crescentianus Castellanensis epi-
scopus 81.
Cuperus Gisbertus 12. 112. 145.
174. 187.
Curator reipublicae 67. 68.
Curia in Coloniis erat Senatus
33.
Cyato a. 168.
Cyrus poeta 262.

D

- D**atus Carolus 119.
Dausquius Claudius reje-
ctus 158.
Decius Antonius 308. 310.
Decretum Gelasii. *Vide Gelasius.*
Decuriones in Coloniis *Conscripti*
appellati 70.
Demaratus Corinthius docuit
Etruscos literarum formas 132.
in Italiam navigat 143.
Dendrophori 254. 255. 256. 257.
258.
Deodaschis Bartholomaeus de,
Potesias Hortensis 298.

- Deus dedit Cardinalis auctor col-
lectionis canonum 278.
Dionysius Halicarnasseus non me-
minit Hortae Etruscorum 14.
Divinitatis notae tres apud Gen-
tiles 115.
Domicelli nobiliores famuli 416.
418.
Domitiani inscriptions erasae
44. 60.
DD. nempe depositus, in epit-
aphiis Christianorum 188.
Draco Corcyrensis explicatus,
123. 124. 127.
Dupinus Ludovicus notatus 194.
228.
Duumviratus annuus 35. respu-
batur ob sumptus in edendis
spectaculis *ibid.*
Duumviri in Coloniis 33. eorum
dignitas 34. quinquennales ob
merita in patriam electi 36.

E

- E**Pistulis. *Vide Ab epistulis.*
Eructorum gens 202.
Et particula in lapidibus gemi-
nata 113.
Etruriae urbes XII. potissimae 15.
16. 17. earum reges Lucumo-
nes dicti 16. Etruria triplex
19. 20. 21.
Etruscorum origo 132. an indi-
genae 133. an permixti cum
Lydis 134. 136. 137. eorum li-
bri rituales & epochae *ibid.*
mores & lingua propria 129.
130. 131. 132. eorum lingua
Romani usi 143. & ritibus 144.
charakteres 128. 141. 142. 143.
Asses five nummi 138. 139. 140.
varia monumenta 121. 137.
145. 146.
Evander literas duxit in Latium
131.

Eudo-

INDEX RERUM: 501

Eudocia Augusta an scripserit
Centones Homericos 259. 260.
261. Eudociae plures 262.
Eugenius IV. unit Castellanen-
sem episcopatum cum Hortano
300. 465.
Evocati Augustorum 149.
Exire de nomine quid significet
171. 172.
Ex viso & ex visu formula vetus
115.

F

F Abianus Hippolytus Hortensis
episcopus 312.
Fabrettus Raphael 24. 57.
Fabricius Jo: Albertus 263.
Falconia Proba Poetria. *Vide*
Proba.
Falconum & Falconiorum gens
asserta 220. alii a Faltoniis 201.
Falco ordinarius consul *ibid.*
Faltonia Proba Anicia. *Vide* Proba.
Falaris urbs aedificata ex Falisco-
rum ruinis 80. 87.
Falerii magnae Graeciae 74.
Faliscorum Colonia male confusa
cum Faleiis 73. 74. ejus varia
nomina 75. non est Gallesium
76. Falerii ejus cives *ibid.* fuit
ubi est civitas Castellana 77. 79.
Faliscorum lingua propria 144.
quando urbs diruta 81. 84. fuit
juxta viam Flaminiam 82. me-
morata ab Usuardo 85. Falisci
Aequi in Etruria 93. Falisci
Chalcidenses in Campania 96.
Faleria urbs in Piceno 75.
Familiae a variis opidis nomen-
mutuatae 12.
Farfense five Acutianum mona-
sterium 386. 390. Abbates Hu-
go, Guido, Berardus 289. 291.
ad ipsos pertinuit ecclesa-

S. Theodori Hortae 291.
Fasti consulares emendati 156.
Felix Asper emendator Martiani
Capellae 231.
Felix S. Castrum Terracinense
453.
Felsina. *Vide* Bononia.
Fescennium urbs unde Fescennini
versus 76.
Ficoronius Franciscus 139.
Flaminiae viae ductus transibat
juxta Coloniam Faliscorum 84.
Fluvii culti ut Dei 151. 152.
Feederati quinam dicerentur 63.
Formula condendorum decreto-
rum in Coloniis 70.
Franciscani alumni Hortam trans-
lati 295.
Francischinius Franciscus Hor-
tensis episcopus 305.
Fulviae Plautillae nomen ex in-
scriptionibus erasum 44. 45. &
sequentibus. Item Fulvii Plau-
tiani ejus parentis *ibidem*.

G

G Allesium non est oppidum Fa-
liscorum 76. 79.
Gelasius I. In decreto de libris
recipiendis non comprehendit
Canonem scripturarum 214.
224. Idem decretum memora-
rum ab Hormisda 215. a S. Isido-
ro Hispalensi & a Lupo Ferrare-
nsi 216. ejus codex Vaticanus
ibid. Carbonariensis..... Alii
codices ejusdem decreti 222.
Quando conditum 223. 227.
prodiit in Concilio Romano
232. Idem collatum cum vul-
gato 317. in eo memorantur
Probae Centones 311. a variis
editum & laudatum 312. Da-
maso & Hormisdae perperam
tri.

- tributum 313. Gelasio vindicatum 332. ejus judicium de actis martyrum 333.
Getae nomen non fuit erasum ex arcu Septimii Severi 45. 46.
Giambullarius Petrus Franciscus 129.
Goldastus Melchior notatus 229.
Goropius Becanus explosus 98.
Gozadinus Angelus Hortensis episcopus 312.
Grabius Ernestus 213.
Gradus. *Vide Urso.*
Gracilianus & Felicissima martyres passi Faleris 85. 86.
Grandius Jacobus 124.
Gregorius Hortensis episcopus 290.
Gregorius III. Pont. Max. rogat gat episcopos Tusciae Langobardorum, ut a Luitprando de- precentur urbes captas 278. 385.
Gregorii IX. Literae Guidoni Hortensi episcopo 402.
Guido Hortensis episcopus 294. 402.
Guinizo Comes Hortensis 289. 395.

H

- H**Arduinus Jo: notatus 74. 95.
Haustus aquae in sepulcris 173.
Henricus Canonicus Tudertinus respuit episcopatum Hortanum 296. 410.
Hercules cultus ab Etruscis 119. 120. 123. 137. Somnialis 116. Conservator 111. Defensor 112. Magusanus *ibid.* Hortae cultus 115. 117.
Hermadion Arcarius 202.
Herodoti testimonium de Lydis

- in Umbriam profectis 133.
Hesperides cum Hercule 118. 119.
Hilprandus Luitprandi regis filius 385.
Holstenitus Lucas notatus 172.
Honor pro munere 185.
Horta five Orta urbs Tusciae suburbicariae 3. ejus nominis variae urbes *ibid.* eadem varie appellata 4. unde dicta 5. a Thessalis condita *ibid.* ejus cives contra Aeneam praelati 8. Hortinae classes equitesne, an naves? *ibid.* Hortae cives vario modo appellati 10. Hortensia gens ab Horta sic dicta 12. Hortenses Latii alii ab Horten- sisibus Umbriae 11. cur ab uno Plinio Horta memorata 12. fuit una ex XII. Etruriae urbibus 17. 18. 19. ejus vetustas 22. 23. Colonia militaris ab Augusto deducta 24. 25. 32. In Tribu Quirina 26. & in Atniensi 40. 181. 182. extra Faliscorum fines 96. Hortae inscriptio erasa 60. Hortae Coloniae magistratus 33. Collegium Augustale 37. 177. ejus vallis 101. 102. Inscriptiones 110. Hercules cultus 113. 117. Tiberini patris ara 149. Ejus cives male cum Ortonensisibus confusi 276. Proba Falconia civis Hortae 190. monasterium S. Juvenalis erectum a Belisario Patricio 274. ejusdem urbis moenia instaurata a Leone IV. 280. In ducatu Romano 278. Occupata a Romano Exarcho Ravennate 274. a Rege Luitprando 278. donata Apostolicae Sedi a Ludovico Pio Imperatore 279. Ibidem electus in pseudopontificem, Anastasius 281. Ibidem occisus Albe.

Albericus I. Tusculani Comes 286. Hortae Comes Guinizo 289. 395. Ecclesia S. Jacobi spectans ad Abbatem Saxivivi 292. 294. 403. Ecclesia S. Theodori spectans ad Abbatem Farfensem 291. Ecclesia S. Laurentii 340. Hortana ecclesia donis ornata ab Innocentio III. 401. Hortanus Tribunus & dativus 396. Hortae haeretici Patareni 402. Horta pignerata ab Urbano VI. 298. Ejus coenobium Minorum conversum in arcem 299. Episcopatus conjunctus cum Castellanensi 300. Urbis, insigne *ibid.* Ibi sacras conciones habet S. Bernardinus Senensis 302. Horta paruit Regi Ladislao 456. 457.
Hugo Farfensis Abbas 395.

I

Jacobus de Horta doctor Parisiensis & Prior generalis ordinis S. Augustini 298.
Janningus Conradus 271. 360.
Janus in nummis antiquis 123.
Imperialis Cardinalis Josephus Renatus 33. 85.
Infessura Stephanus 304.
Innocentii III. Literae Potestati Hortae 399. aliae Hortanis 400. muniberibus ornat ecclesiam Hortanam 401.
Innocentii IV. processus judicialis inter Hortanum episcopum & Saxivivi Abbatem 403.
Innocentius VIII. Confirmat statuta Hortana 472. Ejus literae Angelo Hortano episcopo 473.
Inscriptiones decreto publico erae 43. 44. 135. & *seqq.* Loca ubi eruuntur adnotanda 41.

Insulani Cardinalis Jacobi diplomata 11. Hortanis 455. 461.
Interamnae epocha 135. 136.
Jo: Fulginas Hortanus episcopus 208.
Jo: Hortanus episcopus 290. 294.
Jo: Kissanensis episcopus Hortani translatus 298.
Isidorus S. defensus 195. 196. 197.
Juliae Maesae nummus rarus 181.
Julianus Hortensis episcopus 277.
Junius Franciscus 119.
Juramentum *per salutem Papae* 398.
Juretus Franciscus notatus 231.
Juvenalis S. monasterium Hortae 274. collapsum 297.
Juvenatio Paullus de 424. 426.

K

K ie Castrum. *Vide Bonifacius VIII.*
Kilinus Sutrinus episcopus vindicatus 291.

L

L Adislaus rex Neapolis Hortae dominus 456. 457. 463.
Lambertus Hortensis episcopus 289. 396.
Landuinus Hortensis. episcopus 290.
Landus five Lannus. martyr 107. 108.
Langobardi quam late in Italia regnaverint 276.
Laurentius Hortensis episcopus 297.
Lazzarinus de Murro Dominicus 179.
Leo Hortensis episcopus 273.
Leo IV. Pont. Max. Hortan-

& Ameriam instaurat 22.
 Leonillus Josephus Sillianus Hortensis episcopus 316.
 Liberti habebant jus sepulcri , sed non omnes 184.
 Lingua latina barbari aevi grammaticae legibus soluta 332.
 Lomejerus Jo: 103.
 Longus Andreas Hortensis episcopus 307.
 Lovia sive Lobia est porticus 417. 418.
 Lucas Hortensis episcopus 301.
 Lucumo Etruscus filius Demarati Corinthii , postea dictus Lucius Tarquinius 143.
 Lncumones Tuscorum reges 16.
 Ludovicus Hortanus episcopus 305.
 Ludovicus I. constitutionem sanctit pro Romana ecclesia 92. donat Hortam Apostolicae Sedis cum ducatu Romano 279.
 Luitprandus rex Langobardorum capit urbes ducatus Romani 278. eas restituit Zachariae 279. Literae Gregorii III. pro iis impetrandis 385.
 Lydi in Etruriam profecti 131. 132. 133. 134. 136. 137.

M

MAbillonius Jo: xix. 214. 217. 219. 283. 334.
 Maccafanus Georgius Hortensis episcopus 305.
 Magalottus eques Hortanus 409.
Magistri dicti Seviri primi 38.
 Magliabechius Antonius 129.
 Magulanus . *Vide* Hercules .
Majo Italorum , non est Majuma 258.
 Manlius Valens Consul ordinarius . *Vide* Antistius

Mantua urbs Etruriae secundae 21.
 Mantinus Jacobus Ebbaeus 129.
 Marca Petrus de 27. 37.
 Marmocchinus Sanctes 129.
 Marozia uxor Alberici I. Comitis Tusculani & postea Widonis Tusciae Marchionis 287. filia Theodoreae senioris *ibid.* scotum Sergii pseudopapae 288. ex Alberico genuit Sergium Nepefinum episcopum , Constantimum & Albericatum II. *ibid.* post Widonem nupsit Higoni Regi Italiae *ibid.*
 Marciatus Comes Thomas 304.
 Martinianus Hortanus episcopus 273.
 Martinus IV. eligit Conradum in Hortensem episcopum 409. scribit ea de re Capitulo & Hortanis 411.
 Martis ultoris templum 25. ab Augusto votum 26.
 Massa Antonius refutatus 96. 98.
Materi pro Matri 179. 180.
 Mauricio dux Perusinus ab Agilulpho rege interemptus 275.
 Mauricius Hortensis episcopus 277.
 Medici Servi 167.
 Mercurialis Hieronymus 167.
 Merula Paullus 131.
Meserum pro mensum 186.
 Messoris mystae 170.
 Messuriæ lacus in Carnis 106.
 Miles idem ac eques 409.
 Militares Coloniae . *Vide* Augustus .
 Minorellus Thomas Maria 154.
 Miraeus Aubertus 161.
 Miro Jo: Baptista de 289.
 Moduinus Aeduensis episcopus 362. 369.
 Montesperellus Paullus Aemilius 146.

Mont-

Montfaucon Bernardus 41. 240.
270. 341.
Morellius Andreas 49. 53.
Muggianum Castrum in agro Hor-
tano 292.

N

NAr navigabilis 9.
Nardinus Famianus nota-
tus 45. 46. 55. 82.
Nardinus Nicolaus 63.
Nardus Jo: Hortanus episcopus
298.
Narnia Colonia in Tribu Scaptia
71. ejus inscriptio *ibid.* sedes
consularis Tusciae & Umbriae
72. ibidem exceptus Zacharias
Papa a Rege Luitprando 279.
Narniensis Tribus ficticia 182.
Narniensis dativus Silvester 395.
Nicolaus Hortanus episcopus .
Vide Zabareschis .
Nicolai V. diploma Hortanis 470.
Ninnius Q. Sevir Augstalis &
Quinquennalis Hortae 39.
Noris Henricus 33. 36. 134. 215.
Notitia publica 395. privata 397.
Nummi Etrusci 125. 126. 127.
Nuptius Ferdinandus 23.
Nurra Jo. Paullus 116.

O

ONesimus & Chresimus cogno-
mina servorum 185.
Ordo & populus in Coloniis 69.
Orta. *Vide* Horta .
Ortelius Abrahamus defensus
102.
Orthosia urbs duplex 341.
Ortonensis episcopatus instaura-
tus a B. Pio V. 273. Ortonenses
male cum Ortanensibus confusi
276. Ortona Colonia & muni-
cipium 94. in editione Lango-

bardorum 277. alia ab Ortona
in Latio 14. 22.

P

PAlmerius Nicolaus Hortanus
episcopus 301. ejus scripta
302.
Pagius Antonius notatus 92. 198.
200.
Palatina processio 285.
Papebrochius Daniel notatus 275.
Papienses denarii 418.
Passienae & Passeniae gentis fe-
pulcra 173.
Passioneus Dominicus 121. 163.
Patareni haeretici Hortae 402.
Patricius Poeta 261. 263.
Paveſe idest clypeus 417. 418.
Paullus I. Hortanus episcopus
292. 404. consecrat ecclesiam
S. Nicolai de Funariis 293.
Paullus II. Hortensis episcopus
293. ejus diploma monialibus
tertii ordinis S. Francisci 454.
Pearsonii Jo: opinio de decreto
Gelasiano rejecta 216. 217. 224.
225.
Pechinolius Angelus Hortanus
episcopus legatus ad regem
Hungariae 304. 474.
Pelagius Patricius alias a Patri-
cio I. qui scripsit Centones Ho-
mericos 261.
Pelasgi in Italiam migrant 5. va-
rias urbes condunt 6. 7. 8. lite-
ras in eam ferunt 131.
Pentapolis Italiae 64. 65. 66.
aucta ad Decapolim & Deca-
pentapolim 67.
Peregrinus Camillus 20. 22.
Peregrinus sanctus . *Vide* Ce-
theus .
Perfectissimi viri 61. eorum anti-
e quitas 62.

- Perizonius Jacobus 12. 44. 54.
 Perucus Nicolaus Hortanus episcopus 307.
 Perusinus ducatus 275.
 Petitus Jacobus notatus 333.
 Petrus I. Hortensis episcopus & legatus Apostolicus in Germaniam missus 285.
 Petrus II. *Vide* Popleto.
 Petrus III. Hortensis episcopus 298.
 Petrus de Horta Commendarius generalis ordinis sancti Spiritus 299.
 Pheus Julius & Laurentius Hortani, Advocati consistoriales 312.
 Pierius Valerianus 144. 145.
 Pigafetta Philippus interpres Leonis Tacticus 250.
 Pisonis iter Romam post mortem Germanici 9.
 Plautianus. *Vide* Fulvia.
 Plutia gens alia a Plautia 105.
 Pontifices quinquennales duae erant dignitates 38. 39.
 Popleto Petrus de, Hortanus episcopus 294. transfert ordinem S. Francisci Hortam 295.
 Popo Aquilejensis Patriarcha 290.
 Postulatio quid 72.
Potens miles titulus magnatum inferiori aevo 418.
 Potestas, magistratus 415. Hortae 296. 298.
 Postellus Gullielmus 129.
 Priscianus emendatus 163.
 Proba Faltonia Poetria Hortana 190. cum Anicia Faltonia Proba confusa 191. & seqq. 206. laudata a variis 233. 234. ejus Cento 203. notatus a S. Hieronymo 204. a Gelasio relatus inter apocrypha 211. cur 217. 219. dicatus Honorio Augusto
207. non Eudociae 235. ejus inscriptio vulgata 208. vera 210. idem Cento memoratus a S. Isidoro Hispalensi 216. emendatus ab Henrico Stephano 245. & a Caspare Barthio 245. ejus editiones 237. 238. codices 239. 240. alia insuper a Proba conscripta 236.
 Proba Faltonia Anicia, Probi, Probini, & Olybrii mater 241. obiit post Sextum Petronium maritum 242. laudata 243. alia a Proba virgine Romana *ibid.*
 Procopii locus male intellectus 197.
 Pronunciatio linguae latinae barbari ævi 332.
 Putei apud sepulcra 173. 174.
 Pyrrhus Ajossa Hortensis episcopus 304.

Q

- Quatuorviri in Coloniis 34.
Q Quatuorviratus alias ab aedilitate 40.
 Quinquennales in Coloniis qui Romae censores 38.
 Quirina tribus 26.

R

- R** Aderus Matthaeus notatus 192. 198.
 Radulphus ordinis Praedicatorum 402.
 Ravennas anonymous geographus explicatus 64.
 Ravenna extra Pentapolim 65. caput Pentapoleos 66.
 Reinetius Thomas a Norisio notatus de Seviris Augustalibus 36. ejus sententia de lingua Etruria

- sea 131. notatus in aliis 166.
198. 202.
Relandus Hadrianus 144.
Rhenanus Beatus rejectus 220.
Rhenferdus Jacobus 145.
Robortellus Franciscus contra
Sponium defensus 167.
Rodulphus Hortensis episcopus
291.
Romanus Patricius Exarchus Ra-
vennas Hortam capit 274. te-
net captivum Blandum Horten-
sem episcopum 275.
Roscius Julius 13. 22. 307. 308.
309. 310. 235.
Ruinartus Theodericus 269.

S

- Abatinus M. Antonius 181.
Sabellus Lucas Hortensis epi-
scopus 306.
Sanctes Hortensis episcopus 300.
Salmasius Claudius de Aequis Fa-
liscis notatus 95.
Sauffajus Andreas 222. refutatus
341.
Saxivivi Abbas habuit ecclesiam
in episcopatu Hortano 292.
294. litem ea de re intendit
cum Hortano episcopo 403.
Scaliger Julius Caesar rejectus
163. 193.
Scaliger Josephus notatus 97. ejus
opinio de lingua veteri Etrusca
130.

- Scribonianus M. Furius Camillus
e fastis eralus 136.
Scripta virorum illustrium a claris-
simis viris olim emendata 231.
Sedulii praefatio spuria 208. ejus
Carmen paschale laudatum in
decreto Gelasii 226. editum
ante Gelasium 230. ab Asterio
postea emendatius editum 231.

- diversum a paschali opere 232.
Senatus in Coloniis idem ac ordo
69. 70. *Vide Curia.*
Septimii Severi inscriptiones era-
sae 45. 46. & seqq.
Sepulcra duplicis generis 171.
184.
Sermugnanum castrum 304.
Seviri Augustales erant sacerdo-
tes, non magistratus 36. quando
instituti *ibid.* sex primum no-
minati e corpore Augustali 37.
in plura Collegia partiti, qui
bus distincti Seviri praeyerant
ibid. Seviri honorarii 38.
Signius Carolus notatus 102.
Silvani inscriptio 202.
Simeonius Thomas notatus 190.
191.
Sotion emendatus 104.

- Spanheimius Ezechiel 28. 74. 79.
94.
Sponius Jacobus notatus 167.
Sportula consularis 243.
Stella Antonius Hortensis episco-
pus 301.
Stephanus Hortensis episcopus
280.
Stephanus Henricus Ausonium
carpit 244. Centonem Probae
emendat 245.
Stephanus Patricius & dux Ro-
manorum 278.
Strabo mutilus 15.
Suaresius Josephus Maria notatus
46.

T

- T'Arquinius Priscus filius De-
marati Corinthii 143.
Theobaldus B. Assisias Hortae de-
functus 295.
Theodori S. ecclesia Hortae 386.
390.

508 INDEX RERUM.

- Thomacellus Johannellus & Andreas Hortae rectores 299.
 Thomasius Josephus Maria 216.
 219. 334.
 Tiberis navigabilis juxta Hortam
 8. 9. 10.
 Tiberini Patris ara 149. 150.
 Tillemontius Sebastianus 56. 63.
 86. 87. 196.
 Titius Sigismundus 129.
 Trasimundus Hortensis episcopus
 294. 403.
 Trasimundus Spoleti dux 278.
 Tribuni varii Langobardi 395.
 Tribus rusticae & urbanae 26.
 Tucia gens 179. 180.
 Turre Philippus a. *Vide* Adria.
 Tyrrheni in occidentali Etruria
 cum Pelasgis habitarunt 133.

V

- Adimonis lacus 97. 98. de eo
 Plinii junioris testimonium
 99. apud eum gesta 101. ejus
 virtutes 103. 105. 106. ejus insulae 104.
 Vaillantius Jo: notatus 48.
 Valentinus Hortanus & Castellaniensis episcopus primus 300.
 Velli extra xii. urbes Etruriae 18.
 non fuerunt ubi nunc est civitas
 Castellana 77. eorum situs 78.
 Colonia & municipium 94.
 Velserus Marcus 37.
 Verecundus Ulpius 115. 116.
 Verilianus Ortonensis comes 277.
 Verrochinia Christaura 304.
 Verrochius. *Vide* Berrochius.
 Vestinus Ameriae patronus 90.
 Ughellus Ferdinandus in serie
 episcoporum Hortensium cor-

- rectus 272. 273. 274. 275. 277.
 286. 289. 290. 294. 295.
 Vicarellus Verrochii Hortani filius 452.
 Victorinus Petabionensis 334.
 Vignelius Jo: 69. 138. 164.
 Villanius Marius Hortanus 312.
 Umbrorum lingua dialectus Etruscae 164.
 Ungarellus B. Hortanus 303.
 Volumnius Tragoedias Tuscas
 conscribit 143.
 Vossius Gerardus Jo: notatus 159.
 Urbanus VI. donat Jo: Nardo
 Hortano bona Belli Cajetani
 298. pignerat Hortam Malatestae de Malatestis *ibid.*
 Urbinates Hortenses 11.
 Urso Petrus de , Hortanus 301.
 Urso Gradensis Patriarcha 290.
 Usserius Jacobus agnoscit Sedulii
 praefationem pseudepigrapham
 208.

X

- X Anthus Lydus Historicus 132.

Z

- Zabareschis Nicolaus de, Hortanus episcopus 298.
 Zacharias Hortensis episcopus 285.
 Zacharias Papa adit ad Regem
 Luitprandum 279.
 Zaratinus Castellinius 10. 179.
 Zizimus Turca 490.
 Zonis sive Zeno Alexandrinus
 335. 342.

509

INDEX. CHRONICUS

EPISCOPORUM . HORTENSIMUM

Ann. Christi

330	I.	<i>Jo: Montanus</i>	pag. 272
390	II.	<i>S. Cassianus</i>	268
400	III.	<i>Leo</i>	272
502	IV.	<i>Martinianus</i>	273
590	V.	<i>Blandus</i>	275
649	VI.	<i>Julianus</i>	277
743	VII.	<i>Mauricius</i>	ibid.
761	VIII.	<i>Adamus</i>	279
826	IX.	<i>Stephanus</i>	ibid.
860	X.	<i>Arsenius</i>	281
900	XI.	<i>Zacharias</i>	285
916	XII.	<i>Petrus I.</i>	ibid.
963	XIII.	<i>Anonymus</i>	289
1005	XIV.	<i>Lambertus</i>	ibid.
1026	XV.	<i>Jo: I.</i>	290
1037	XVI.	<i>Landuinus</i>	ibid.
1049	XVII.	<i>Gregorius</i>	ibid.
1124	XVIII.	<i>Rodulphus</i>	291
1179	XIX.	<i>Paullus I.</i>	292
1200	XX.	<i>Paullus II.</i>	293
1222	XXI.	<i>Guido</i>	294
1239	XXII.	<i>Trafimundus</i>	ibid.
1245	XXIII.	<i>Jo: II.</i>	ibid.
1254	XXIV.	<i>Petrus II. de Popleto</i>	295
1284	XXV.	<i>Conradus Viterbiensis</i>	296
1290	XXVI.	<i>Bartolus</i>	ibid.
1298	XXVII.	<i>Laurentius de Vellitro</i>	297
1334	XXVIII.	<i>Nicolaus de Zabareschis</i>	298
1362	XXIX.	<i>Jo: III.</i>	ibid.

Pe-

1366	XXX.	Petrus III.	ibid.
1366	XXXI.	Jo: IV.	ibid.
1396	XXXII.	Paullus III. de Albertis	299
1396	XXXIII.	Sanctes	300
1396	XXXIV.	Valentinus	ibid.
1443	XXXV.	Lucas Bononiensis	301
1450	XXXVI.	Antonius Stella	302
1455	XXXVII.	Nicolaus Palmerius	ibid.
1467	XXXVIII.	Antonius	ibid.
1473	XXXIX.	Pyrrhus Ajossa	304
1492	XL.	Angelus Pechinolius	ibid.
1496	XLI.	Henricus Brunus	ibid.
1498	XLII.	Georgius Maccafanus	305
1503	XLIII.	Ludovicus	ibid.
1504	XLIV.	Jo: V. Burchardus	ibid.
1506	XLV.	Franciscus Francischinius	ibid.
1525	XLVI.	Paullus IV. Caesius	306
1530	XLVII.	Lucas Sabellus	ibid.
1538	XLVIII.	Pomponius Caesius	ibid.
1544	XLIX.	Scipio Bongallus	ibid.
1566	L.	Nicolaus Peruscus	307
1582	LI.	Andreas Longus	ibid.
1590	LII.	Jo: Vincentius Cansachius	ibid.
1607	LIII.	Hippolytus Fabianus	312
1621	LIV.	Angelus Gozadinus	ibid.
1670	LV.	Thaddaeus Altinus	315
1685	LVI.	Josephus Sillanus de Leocillis	316
1697	LVII.	Simon Aleottus	ibid.
1704	LVIII.	Ascanius Blasii	ibid.


Praecipua menda, quae inconsulto auctore
irrepserunt, sic corriguntur.

Pagina.	Linea.	Error.	Corre ^{ctio} .
x	10	Colouisi	Coloniis
5	8	mediterranae	mediterraneae
26	16	Curiensibus	Curensibus
43	15	MAIESTIQVE	MAIESTATIQVE
48	22	Gaetae	Getae
56	2	LICI	LICIS
63	10	iniisset	iniissent
82	22	Oκρικλον	Oκρικλου
114	6	sandte	sandiae
118	20	Mithographos	Mythographos
124	3	Dalecampius	Dalechampius
129	13	lingue	linguae
137	18	vulgandas	vulganda
156	3	unum antevertit	unum epocham vulga- rem antevertit
163	20	Politianum, qui ante	Politianum ante
172	15	vetebantur	vetabantur
174	17	xi.	XL.
176	10	pesequuta	persequuta
209	6	Theodosii	Theodosii
216	22	Ferrariensi antiquiores)	Ferrariensi) antiquio- res
228	2	compediariis	compendiariis
249	16	restiterent	refisterent
275	21	a	ac
280	5	ccccxv.	ccccxcv.
232	5	Sedulii: ideoque	Sedulii, quod postea emendatus edidit idem Asterius: ideo- que
234	ult.	Tytirum	Tityrum
270	12	saepे, numero	saepenumero
278	16	DCCXC.	DCCXL.
281	14	apocryfarius	apocrifarius
292	24	reparatur	reparator
298	27	in Appendice proferendis	in Archivo Vaticano
			fervatis
306	11	MDXXXIV.	MDXXXIX.
315	17	sepelliri	sepeliri
317	5	316	216
341	6	silentim	silentium
384	35	Martyroloio	Martyrologio

R O M A E

Excudebat FRANCISCUS GONZAGA
in via Lata
M DCC VIII.

PRAESIDUM PERMISSU.



SPECIAL 93-B
4164

